EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS.

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ANNUS SEPTIMUS — VOLUMEN SEPTIMUM

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
FL
Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA A PACE, PHILIPPI CUGGIANI
In Vico a Pace num. 35.

1893.

41122

Annus VII. N. 1. Ianuar. 1893.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

FAUSTA OMNIA
NOVO INTROEUNTE ANNO MDCCCXCIII
VENERABILIBUS CONSOCIATIS
EPHEMERIDES LITURGICAE
ADPRECANTUR

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Continuatio V. n.* 11 *an. praeter.*)

III.

1. *Kyrie eleison* sequitur *Hymnus Angelicus*, seu *Gloria in excelsis*. In Ecclesiastica Hymnodia hoc hymno nobilior reperiri non potest. Variam apud veteres nomenclaturam obtinuit. *Hymnus matutinus*, in veteribus latinis Psalteriis nuncupatur: in uno Sarisberiensis Ecclesiae, circa ann. 980 exarato, nomen *orationis purae cum laudatione* obtinet. Ast, apud latinos

magis usurpatum, et quod in praesenti etiam obtinet, nomen fuit *hymni angelici;* apud graecos vero: *magnae aut maioris doxologiae.*

Quamque convenienter hoc ultimo nomine, seu a latina seu graeca donetur Ecclesia, nemo est, qui non videat. In prima enim, ob initium eius, quod Christo nato, sacer cecinit Angelorum chorus, angelici epithetum habuit: ob glorificationis verba, *doxologia* ab altera Ecclesia appellatur, *maior* vero ad distinctionem *minoris*, nempe: " Gloria Patri etc. „

2. De eius origine varie ab auctoribus disceptatur. Ad verba evangelica, e caelo ad nos Angelorum voce derivata, cetera quis addiderit, incertum est. Quidam, circa auctorem Constitutionum Apostolicarum decepti, ubi (*lib. 7, cap. 47*) integer reperitur, ipsis Apostolis adscribunt: quidam vero Telesphorum Papam, (*circa ann. 150*) auctorem faciunt, ita Sigebertus in Chronico, et Innocentius III. (*lib. 2, de Mysteriis Missae cap. 20*). Alii vero multo plures, hanc gloriam Hilario, Pictaviensi Episcopo tribuunt. Ita ex Emo Bona (*lib. II, cap. IV, IV*) Alcuinus, Hugo Victorinus, Remigius Antisiodorensis, Ioannis Belethus. Ita etiam Macri (*Sacr. Diction. ad ver.* Gloria in excelsis Deo). Idque a pluribus existimari fatetur ipse Innocentius III (*loc. cit.*). Sed uti Emus Bona (*loc. cit.*), illiusque adnotator Sala (*not. 3*) sapienter observant, de aliquo tantum illius complemento intelligendum est. Quapropter, cum praelaudatis doctissimis viris, nonnisi Patrum Concilii IV Toletani certae potius sententiae adhaerere licet: " Reliqua quae sequuntur, post verba Angelorum, Ecclesiasticos composuisse. „

3. Mos autem apud veteres fuit, haud solum in Missa, verum etiam et ad matutinas laudes, et in

publicis gratiarum actionibus, hymnum angelicum decantandi. Imo testatur cl. Martene (*De ant. Eccl. Rit. Tom. 1, c. 4, art. 3, n. 5*), apud antiquos scriptores non legi, ipsum in Missa adhibitum in Gallicana Ecclesiae. Quod vero ad matutinas laudes olim hymnus angelicus cantari soleret, praeter ipsum nomen, *hymni matutini*, quod, uti vidimus, quandoque adscitum est, Hugo Menardus et citatus Martene in Regula S. Benedicti ostendunt pro latina ac gallicana Ecclesia. " Pro graeca vero, Euchologium habes Graecorum cum notis Iacobi Goarii, dicens, praedictum hymnum, seu magnam doxologiam in Officio matutino quotidie legi, et diebus Dominicis ac maioribus festis modulatione quadam cani. Palmare vero testimonium, de hymni angelici usu etiam in publicis gratiarum actionibus, in actis Concilii Oecumenici sexti, ac Concilii Toletani reperies. Nam primi Concilii Patres in allocutione *acclamatoria* ad Constantinum Pogonatum Imp. de felici eiusdem Concilii exitu: *Soli sapienti, inquiunt, et omnipotenti Deo gratiarum laudes enixius offeramus,* GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX decantantes. „ Alterius vero: *Agentes Domino gratias exclamavimus,* GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS. „

Eumdem hymnum Summum Pont. Leonem III, in occursu Pipini, Caroli Magni filii, inchoasse scribunt Anastasius (*in vita eiusdem Leonis*), Eginhardus (*in Ann. Franc., inter script. Francicos Duchesnii tom. 2, atque inter Germanicos Reuberi pag. 15 et seqq.*) Praeterea S. Ioannes Chrysostomus (*hom. 3, in Ep. ad Coloss.*) ait: " Dum gratias agimus, dicimus *Gloria in excelsis Deo.* „ Et Victor, Vitensis Episcopus, tradit, Martyres sub Hunnerico Rege in Africa passos " procedere cum

fiducia ad supplicium, quasi ad epulas, decantantes, *Gloria in excelsis Deo* (1). „

4. Stephanus Papa huius nominis primus iussit hymnum angelicum concini in festo Nativitatis Christi. Bonifacius primus, referente Durando (*Rat. div. off. Lib. 6, cap. 73*), et in feria V *in Coena Domini* iussit recitari: Symmacus autem hymni eiusdem usum ad dies Dominicos festaque solemniora extendit. Prisco more a solis dicebatur Episcopis, nonnisi in Pascha a Sacerdotibus, cum dicat antiquissimus Ordo Missae Romanae: " Dicitur *Gloria in excelsis Deo,* si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis. A Presbyteris autem minime dicitur, nisi in solo paschate. „ Idem confirmatur ex Ordine Romano primo. Quod autem ex privilegio habuerunt olim Episcopi, uti quidam Abbates (2), postea universis concessum fuit Sacerdotibus: ut saeculo XI cunctis celebrantibus illius recitatio communis esset (*Micrologus cap. 11*).

5. Olim Sacerdotes ad orientem versi hymnum dicebant angelicum. Antiqui enim Ordinis Romani statutum habent: " Quando Cantores finierint (kyrie eleison), dirigens se Pontifex contra populum, incipit *Gloria in excelsis Deo,* et statim regyrat se ad orientem usque dum finiatur „. Celebrans incipiebat, cho-

---

(1) In praesenti disciplina, si hymni angelici partem primam excipias, quae e caelesti Spirituum militia prima vice concenta, pro antiphona in festo Nativitatis Christi adoptata ab Ecclesia fuit, alius non est illius usus, sed sola in Missa locum habet.

(2) Tamquam singulare privilegium addere in Missa hymnum angelicum Zacharias Papa Abbati Cassinensi concessit, uti e Constitutione 7, n. 6, Bullarii Cassinensis constat.

rusque reliquum hymni prosequebatur. Ordo enim Romanus primus dicit: „ Litania finita, incipit solus Pontifex clara voce hymnum *Gloria in excelsis Deo*, si tempus fuerit, deinde vero totus respondet chorus; Et in terra pax hominibus. „ Faciem Pontificis ad orientem conversam in huius intonatione hymni, docet etiam Amalarius (*Lib. III, cap. VIII*). Ideo ad populum se convertebat, animadvertit Mabillonius, ut ad Deum laudandum invitaret populum (*Comment. in Ord. Rom. pag. CLXVI*). Liberum quondam fuisse vel in medio altari vel in cornu Epistolae intonari, docet Emus Lambertinius (*De Sacrif. Miss. pars. IV, sect. I, n. CXXII-XXIII*). Chartusiani ac Patres Ordinis Praedicatorum adhuc in praesenti dicunt ad cornu Epistolae: id quoque in Ritu Ambrosiano servatur iuxta proprii Missalis Rubricam (*Rub. Gen.* § *15*) (1).

6. Georgius adnotat, primitus in Romana Ecclesia in nocte Nativitatis graece fuisse hymnum angelicum decantatum. Affert auctoritatem Anonymi Turonensis, qui scribit: “ Solus Sacerdos praecinit hac nocte *Gloria in excelsis Deo*, mox cum eo totus chorus. Nos canimus illud graece iuxta morem antiquum Romanae Ecclesiae in prima quidem Missa, sed in secunda la-

---

(1) Iuxta praesentem disciplinam, vi Rubricae seu Missalis, seu Caeremonialis Episcoporum hymnum angelicum solus intonat Celebrans in medio altari, quocum eumdem recitantes prosequuntur ministri, dum chorus prosequitur hymni cantum, quem organa ex generali lege comitari possunt. Alternatim, uti de *Kyrie* et *Christe eleison* dictum est, etiam hymnus angelicus cantari potest: adeo ut post intonationem, alter legatur versus sub *organo*, tertius canatur, legatur quartus, atque ita ad finem usque. Id autem vetitum est, si organa desint, cum integer per cantores sit tunc modulandus. Optime nihilominus, integre cantari potest, etsi consociatus organorum sonitu.

tine (*De Liturg. Rom. Pontif. Cap. XIII, n. X*). „ Missa Illyrica hymnum habet angelicum sicut latina, habet et Missale Gallicanum, habet et Mozarabicum, nec non in Pontificali Salisburgensi reperitur inscriptus. In pluribus tamen codicibus plures additae interpolationes fuerunt, quas Emus Bona refert (1): quae ad S. Pii V aetatem usque perseverarunt, sed ab eo postea sublatae atque omnino fuerunt interdictae, quod privata auctoritate insertae in libris ad usum chori fuerint (*Lib. II, cap. IV, § VI*).

S. RITUUM CONGREGATIO

STRIGONIEN.

Maximopere sollicitus Rmus Ordinarius Archidioecesis Strigonien. in Hungaria, ut ritus omnes qui ad divinum cultum pertinent, in sua Archidioecesi pror-

---

(1) Pro Die Nativitatis Domini, post *Laudamus te*, addebatur: LAUS TUA, DEUS, RESONET CORAM TE, REX. Post *Benedicimus te*, QUI VENISTI PROPTER NOS REX ANGELORUM DEUS. Post *adoramus te*, GLORIOSUM REGEM ISRAEL IN THRONO PATRIS TUI, etc. etc. Pro festa Dedicationis interpolationes mutabantur: ex. gr. *Glorificamus te*. UT CREATURA CREANTEM, PLASMA PLASMANTEM, FIGMENTUM FIGULUM. *Suscipe deprecationem nostram*, QUEM QUISQUIS ADORAT, IN SPIRITU ET VERITATE OPORTET ADORARE, etc. etc. In festis almae Virginis aliae addebantur, ex. gr. *Domine Deus, agnus Dei, Filius Patris*, PRIMOGENITUS MARIAE VIRGINIS MATRIS. *Suscipe deprecationem nostram*, AD MARIAE GLORIAM etc. etc.

sus peragantur iuxta liturgicas praescriptiones, Sacram Rituum Congregationem adivit pro opportuna resolutione sequentium Dubiorum, nimirum:

Dubium I. Missa votiva de SS. Corde Iesu, quae ex Decreto S. R. C. diei 28 Iunii 1889 celebrari permittitur feria VI, quae est in calendis cuiuscumque mensis vel eas sequitur, debetne esse solemnis seu cantata, vel potest etiam esse privata, ut in duplicibus, cum *Gloria,* oratione unica et *Credo* ad tramitem decreti citati?

Dubium II. Si anniversarium consecrationis Episcopi dioecesani, quotannis impediatur festo dupl. I. cl., quaeritur an Missam et Commemorationem dicti anniversarii, tali in casu anticipare vel transferre liceat, quia secus semper et quotannis omitterentur?

Dubium III. Missa solemnis vel cantata de anniversario electionis seu creationis Summi Pontificis regnantis, vel consecrationis Episcopi dioecesani, debetne etiam extra ecclesiam cathedralem et collegiatam celebrari, praesertim supposito quod plures ibidem celebrentur Missae?

Dubium IV. Adest etiam in Hungaria, consuetudo, toto tempore S. Adventus, quotidie sub aurora celebrandi Missas in honorem B. M. V., vulgo a populo *Rorate* dictas et frequentatas, quas cum S. R. C. die 1 Dec. 1742 (*in una ord. Carmel. Discalc. Polon.*) declaraverit haud posse celebrari in Dominicis Festisque I et II classis, alias vero iam eadem S. Congregatio pluribus Dioecesibus (sic, Archidioec. Pragensi 17 Nov. 1864, nec non territorio nullius Archiabbatiae S. Martini in sacro monte Pannoniae 25 Maii 1871) concesserit missas easdem quotidie, excepta Dom. I Advent. et Vigilia Nativ. Dñi solemniter decantando celebrare; quaeritur, utrum Decreta haec habeant formam spe-

cialis privilegii, et si affirmative, an praesupposito magno populi concursu, extendi haec gratia possit etiam ad alias Dioeceses, praesertim ad eas maiores ecclesias, ubi duo ad minus quotidie celebrant Sacerdotes, ita ut diebus dupl. I et II cl. duae celebrentur Missae cantatae: una sub aurora *Rorate* dicta, et alia de die vel festo currente, quam sacri curiones applicare debent pro populo?

Dubium V. In regionibus Hungariae, plurimae celebrantur ex inveterata consuetudine coram exposito SS. Sacramento Missae solemnes, in quibus, nescitur quanam ex causa, ut plurimum omitti solet pacis osculum; hinc quaeritur an hic usus sustineri possit, vel potius servandae etiam in casu rubricae?

Dubium VI. Rubricam Missalis (Tit. VI, n. 1) non usquequaque claram, auctores et professores Liturgiae sacrae interpretantes docent, ultimum evangelium in fine Missae, eodem prorsus modo dicendum esse prout primum, i. e. Sacerdote *oblique* stante, sive parum per suam sinistram converso ad populum. Cum tamen alii, praesertim seniores Sacerdotes negent talem esse sensum huius rubricae, quaeritur, utrum ultimum evangelium a Sacerdote *oblique* stante recitari debeat?

Dubium VII. Officium vot. de Immaculata Concep. B. M. V. in nonnullis dioecesibus Hungariae, hodie adhuc ex concessione Benedicti PP. XIII diei 15 Dec. 1717 ritu duplici recitari solet, quaeritur an diebus his Sabbati liceat celebrare Missam privatam de Requie. Ratio dubitandi est, quia officium est quidem duplex, sed votivum.

Dubium VIII. Recitans privatim officium aliquod votivum feriis Quadrag., Quatuor tempor. aut vigiliarum, potestne celebrare Missam de feria in colore violaceo? Et si affirmative, debetne omittere com-

memorationem officii votivi illa feria privatim recitati?

Dubium IX. Commemoratio de Cruce, quae dicitur tempore Paschali. loco suffragiorum de Sanctis, iuxta Decretum S. R. C. 29 April. 1887 in Emeriten. omittenda est in offic. votiv. de Passione, an eadem omittenda est, ratione identitatis mysterii, etiam in officio de SS. Euch. Sacramento?

Dubium X. Rituale Romanum licetne ubique adhibere et in quibuscumque functionibus, etiamsi proprium Rituale dioecesanum, in nonnullis tantum a Romano discrepans, habeatur?

Dubium XI. Rituale Romanum optioni administrantis S. Communionem relinquit, utrum antiphonam *O sacrum convivium* etc., recitare velit nec ne; sed ex rubrica erui non potest, num versiculi et Oratio (Deus qui nobis) sint etiam ad libitum vel omnino de praecepto; et si affirmative ad secundam partem, quaeritur, utrum benedictio manu dextra et adhibita formula: *Et benedictio* etc., semper sit elargienda, quando citra Missam administratur S. Communio.

Dubium XII. Quum a Caeremoniali Episcoporum praescribatur ut omnes, exceptis Canonicis eccl. Cathedral., unicum genu flectant Cruci Altaris maioris, quaestio exorta est, utrum haec genuflexio facienda sit etiam in aliis ecclesiis seu cappellis publicis, ubi in altari maiori haud asservatur SS. Euch. Sacramentum?

DUBIA ADDITIONALIA.

Dubium I. Cum interdum 1892 festa SS. Cordis Iesu et S. Ioann. Bapt. simul eadem die concurrant, et iuxta Decretum Urbis et Orbis diei 28 Iun. 1889, hoc in casu illud SS. Cordis in diem proximam 25 Iunii

sit transferendum, quaeritur: quomodo ordinandae sint secundae Vesperae in festo S. Ioann. Bapt., nonne totum erit de sequenti SS. Corde, cum commemoratione praecedentis S. Ioannis Bapt.?

Dubium II. Quum festum Annunc. B. M. V. incidit in fer. VI. post Dom. III Quadrag., cui feriae pro aliquibus locis affixum est offic. SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C., officium hoc potest transferri in feriam sequentem, quae est Sabbatum, an vero debet omitti?

Dubium III. In Hungaria (et multis dioecesibus Austriae) festum S. Ioannis a Capistrano Conf. hucusque recolebatur ritu duplici die 23 Octobris, quae est dies obitus dicti Sancti, decreto vero Generali S. R. C. de dicto 19 Aug. 1890, quo festum ad universam extenditur Ecclesiam, dies 28 Martii eidem qua sedes propria assignatur cum ritu semiduplici tantum. Nunc vero exorta sunt varia inter compositores Calendariorum dioecesanorum dubia, et ideo quaeritur:

1.° An in Hungaria liceat festum S. Ioannis a Cap. C. ritu duplici celebrare prout hucusque, 23 Octobris, vel potius in omnibus melius et laudabilius eo die quo fit in Ecclesia universali, prout factum fuit cum officiis SS. Cyrilli et Methodii EE. CC. nec non S. Camilli de Lellis C., quae priusquam extensa fuissent ad universum orbem catholicum, recitata fuerunt 14 respective et 16 Martii?

2.° Quid faciendum iis in locis vel ecclesiis, quorum S. Ioannes a Cap. est Patronus respective Titulus, nonne bene ibi celebrabitur eius festum die 23 Octobris ritu dupl. I. cl. cum octava, eo vel magis, quia hucusque externa quadam solemnitate hac die celebrabatur?

Dubium IV. In Archidioec. Strigoniensi et aliis nonnullis Hungariae Dioecesibus die 26 Novembris ritu

duplici recitabatur hucusque offic. SS. Reliquiarum, quae in Metropolitana, respective Cathedrali, et aliis per Dioecesim ecclesiis asservantur. Iam vero ab anno sequenti dies haec minime est libera amplius, sed S. Silvestro abb. propria, et ideo quaeritur: 1.° Utrum offic. SS. Reliquiar. quod est duplex, cedere debeat festo S. Silvestri Abb. aeque duplici, et si affirmative, 2.° an officio SS. Reliquiarum assignari possit alia dies, quae adhuc in Calendario est libera, e. g. 25 Octobris, prout aliis in Dioecesibus; et si iterum affirmative, quaeritur 3.° utrum pro festo SS. Reliquiar. assignari possit Dominica IV Octobris prout in Brev. et Missal. Rom. pro aliquibus locis habetur, etiamsi in ea aliud festum duplex occurrat, quo in casu secundum rubricas de duplici hoc simplificato fieret Commemoratio ante Dominicam?

Dubium V. Si festum Patrocinii B. M. V. Dom. III Novembr. affixum, impediatur Octava Omnium Sanctorum vel alio festo altioris ritus, postne sine speciali indulto transferri, vel potius debet iuxta alias Decreta omitti?

Dubium VI. Cum S. R. C. novissimo Decreto die 17 Maii 1890 Plurium Dioecesium, prohibuerit in benedictione aquae festo Epiphaniae Domini peragi solita, alium adhibere ritum, quam qui praescribitur in Rituali Romano pro facienda aqua benedicta, quaeritur utrum Decretum hoc omnes respiciat Dioeceses ita, ut nullo modo amplius liceat usurpare formulam illam longissimam et Ecclesiae Graecae propriam, et si affirmative, an formula haec antiqua omnino expungi debeat ex Ritualibus?

Et eadem Sacra Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum

Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Sacrae eidem Congregregationi Praefecti atque in hac causa Ponentis, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad dubium I. Quoad primam partem, *Negative:* quoad secundam detur Decretum in una *Montis Politiani* 20 Maii 1890.

Ad II. Transferatur in primam sequentem diem non impeditam.

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem: ad secundam *Affirmative* ex privilegio, exceptis tamen Dominica I Adventus, Vigilia Nativitatis Domini, festo Immaculatae Conceptionis eiusque Octava, diebus in quibus fit Officium infra Octavam eiusdem, Feria IV quatuor Temporum (1), nec non festo Expectationis Partus.

Ad V. Observentur in casu Rubricae.

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative,* et detur Decretum in *Bergomen.* 24 Novembris 1691.

Ad VIII. *Affirmative,* ad primam partem: *Negative* ad secundam (2).

---

(1) Ratio huiusce exceptionis est, ne eadem bis videatur Missa cani. Namque Introitus, Graduale, Evangelium, et Communio Missae huius feriae cum Missa *Rorate* plane in omnibus fere conveniunt.

(2) Non possumus, quin animadvertamus: 1. Responsum istud doctrinae apprime respondere, quam *Ephemerides* iam tradiderunt (*vol.* 5, *pag.* 689 *et seq.*). 2. Maxime esse perpendenda consectaria, quae ex praesenti declaratione derivant, seu circa naturam votivi, uti loco citato exposuimus, seu circa praecedentia decreta. Duo ad rem ultro se nobis offerunt: primum est *Patriarchalis*

Ad IX et X. *Affirmative.*

Ad XI. Versiculi, et oratio *Deus qui nobis,* sunt de praecepto: benedictio autem semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum, sub formula *Benedictio Dei* etc. (1).

Ad XII. *Affirmative,* sed in actu functionis tantum.

AD DUBIA ADDITIONALIA.

Ad 1.^{um} Vesperae erunt de Nativitate S. Ioannis Baptistae cum commemoratione de sequenti, iuxta Decretum in una *Dubii* die 5 Septembris 1891.

Ad 2.^{um} *Affirmative,* Si Sabbatum est dies libera; secus ad aliam diem intra Quadragesimam, quae si non suppetat, omittatur.

Basilicae Vaticanae, d. d. 21 Iun. 1855, alterum est *Dubiorum* 4 Mart. 1866, ad II. Illud sic se habet: « An occurrente festo ritus semiduplicis cum feria etiam maiore vel vigilia, liceat Missam privatam more votivo celebrare de feria, vel vigilia etc.? ». Cui responsum fuit: « Non licere. » Istud vero in dubio II inquirit: « Missae de Dominicis vel de feriis per annum, dici possunt tamquam votivae? » Responsum vero fuit: « Ad II Negative. » Nunc observamus, primum Decretum vix ita intelligi posse, ut non loquatur de Missa seu Dominicae, seu feriae, seu vigiliae occurrentium, dum ritus festi recolendi est semiduplex. Quod si ita revera res se habeat, tunc procul dubio per praesens Decretum antiquius revocatum dicendum est. Ad alterum vero quod spectat, ita intelligi optime potest, sicuti patet, ut Missa, de qua est quaestio, non respiciat Dominicam aut feriam occurrentes, sed alias: quo in casu eius dispositioni standum erit. Si vero alio intelligatur sensu, ut nempe de Dominicis et feriis loquatur occurrentibus, tunc aut interpretatio eiusmodi falsa dicenda est, aut Decretum, uti superius, revocatum dicendum.

(1) Particula *et,* de qua quaesitum, in Rituali Romano non legitur; merito ergo de ea responsum tacet, proindeque in formula benedictionis huius locum non invenit.

Ad 3.um Quoad 1.um ad primam partem *affirmative*; ad secundam provisum in prima. Quoad 2.um Provisum in antecedenti.

Ad 4.um *Affirmative* ad primum. Quoad secundum, Officium Reliquiarum amandetur ad primam insequentem diem liberam iuxta rubricas. Qua deficiente, Sacra Congregatio indulget, ut die 25 Octobris anticipari possit.

Ad 5.um *Negative* ad primum, *Affirmative* ad secundum.

Ad 6.um *Affirmative,* et in Rituali adnotetur abrogatio benedictionis, donec novum imprimatur, a quo expungenda. Atque ita rescripsit, declaravit, et servari mandavit die 30 Augusti 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius*

MAIORICEN.

De mandato Rmi Dni Episcopi Maioricensis in Insulis Balnearibus hodiernus eiusdem Ecclesiae Cathedralis Caeremoniarum Magister Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis die II Maii 1867 Hispaniae datum quamplurima festa abrogata sunt, et quoad locorum Patronos statutum est: " ut in qualibet Dioecesi unus tantum Patronus principalis, a Sancta Sede designandus recolatur, servata lege Sacro adstandi et ab operibus servilibus abstinendi „ quod fideliter in hac Dioecesi servatum est,

et a Sancta Sede per Decretum 18 Iunii 1861, Beatissima Virgo Maria in Mysterio suae Immaculatae Conceptionis patrona totius Dioeceseos est designata; sed populi omnium Dioecesium usque nunc festa suorum particularium patronorum pie et laudabiliter servaverunt sicut prius, et quaeritur nunc quid faciendum sit in Liturgia, quia in fine memorati Decreti legitur: " Sanctitas Sua non intellexit Sanctorum minuere venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam; ideo Sanctorum solemnitatem, Officia et Missas tam in abrogatis festis, quam in eorum Vigiliis retineri, et sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari iussit ". Dubitans nunc utrum pie de aliis festis universalis Ecclesiae abrogatis tantum loquatur Decretum, vel etiam de his Patronis, quaeritur:

Festa horum Patronorum celebranda sunt ritu duplici primae classis cum octava, sicut prius?

Et quatenus negative: quonam ritu celebranda, cum aliqua, velut Sancta Margarita Virgo et Martyr, ritu simplici in Dioecesi celebrentur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Affirmative.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die 25 Novembris 1892.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA Praef.

Vincentius Nussi, *Secretarius.*

EPHEMERIDES LITURGICAE

ET

IRISH ECCLESIASTICAL RECORD

DUPLICIS QUAESTIONIS EXAMINATIO

1. *Irish Ecclesiast. Record*, seu *Ephemeris*, quae Dublini in Hybernia singulis vulgatur mensibus, in Octobri alteram, in Novembri 1892, alteram egit quaestiunculam, quas de more resolverant *Ephemerides liturgicae.* Primae obiectum erat, an e parte Evangelii, an Epistolae exire parati ministri debeant e sacrario, quod retro altare situm est: alterius erat stolae delatio a presbytero, sacram Viae Crucis functionem solemniter peragente. Ad primam quod pertinet, *Ephemeris Hybernica* docet, sententiam suam esse Missalis Rubricis innixam fundatamque, hoc est: vi Rubricarum, ad altare pergendum ex parte sinistra seu Epistolae, ex parte dextera seu Evangelii redeundum in sacrarium. *Ephemerides Liturgicae* sustinuerunt oppositum, cum interpretatae fuere decretum *Briocen.* d. d. 12 Aug. 1854 (*V. Ephem. vol. 1, pag. 52, Dub, VII*). Consequenter praesentis discussionis materia sit, et praefatum decretum, et Rubricae, cui decretum inhaeret. Circa alteram, docet *Ephemeris Hybernica*, stolam deferre ex parte presbyteri pium Viae Crucis exercitium persolventis, non esse spiritui Rubricarum conforme: cuius oppositum insinuarunt ex romana consuetudine *Ephemerides Li-*

turgicae. Videndum itaque, num bene ratiocinata fuerit *Irish Eccl. Record* contra *Ephemerides Liturgicas.*

Equidem nil nostra refert aliorum videndi ratio in rebus, quae dubiae appellari possunt; at cum in praesenti quaestione de Rubricis agatur de earumque spiritu, ac si sensui nostro, potiusquam illis inhaeserimus, officii nostri ducimus negotium duplex istud ad trutinam revocare: quidquid autem *Ephemeris Hybernica* deinceps responderit, haud quidem spernentes, sed prorsus negligentes.

2. *Hybernicae Ephemeridis* sententia, circa ministros e sacrario egredientes (*pag. 932*), *securiori* supponitur *fundamento innixa*, videlicet *Rubricis Missalis.* Idque probatur e dexterae et sinistrae partis significatione, quarum prima eadem est ac pars Evangelii: altera vero, eadem ac pars Epistolae (*Rit. celebr. Tit. IV, n. 5*). Atqui Decretum *Briocen.* non potuit, quin eodem sensu acciperet seu dexteram partem, seu sinistram; ergo cum edicitur in Decreto, e sinistra egrediendum, a parte Epistolae: cum edicitur egrediendum a dextera, a parte Evangelii intelligendum est. Haec quidem *Ephemeridis Hybernicae* argumentatio, quam compendifecimus, quamque apprime probare nititur scriptor, tam ex intrinseco, quam ex extrinseco momentis allatis.

Profecto, si de simplici ageretur opinione, alia ab illa, quam *Ephemerides* nostrae docuerunt, silentium crederemus potius esse servandum, quam suscipiendam discussionem. Sed hic de sententia sermo est, quae Rubricis Missalis innixa supponitur; consequenter altera, quam nos tradidimus, cum illi sit opposita, et in Rubricis Missalis haud fundata censenda est: quod vehementer negamus.

3. Itaque cum *Hybernica Ephemeride* admittimus (antiquitate praetermissa, et iuxta praesentem sentiendi

modum loquentes), dexteram altaris esse Evangelii partem, sinistram vero, partem Epistolae, in quo demonstrando optime se gerit *Ephemeris Hybernica.* At eiusmodi non est quaestio nostra, sed potius, an ad dexteram altaris, seu Evangelii partem, pergere in casu debeant ministri pro celebranda Missa, an autem ad sinistram, seu partem Epistolae, idque vi Rubricarum Missalis. Ad dexteram, seu ad partem Evangelii, nos diximus: ad sinistram, seu ad Epistolae partem, ait *Ephemeris Hybernica:* oppositum in redeundo servandum. Ubinam veritas? Clarior esse nequit proposita quaestio. Responsionem exhibitam tenemus adhuc, confirmamusque contra oppositam. Namque cum aliquo, eundum est Celebranti, vel vertere ipse se debet, pluries Rubrica docet quomodo se gerere debeat. Ita Titulo II, num. 4. (*Rit. celebr. Missam*) ait, Celebrantem descendere ad infimum gradum altaris, sed notat: *vertens se ad cornu Epistolae;* seu ad dexteram suam. Titulo V, num. 1 (*loc. cit.*) ait, pro dicendo *Dominus vobiscum* Celebrantem vertere se *e sinistro latere ad dextrum:* quod semper servandum est. Ad *Orate fratres* dicit: *a sinistra manu ad dexteram vertit se.* Ad Benedictionem dicit: *vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum,* atque idem in aliis similibus casibus, ad praedictorum normam, servant Sacerdotes. Ita Celebrans cinerem capiti fidelibus imponens, a sinistra parte ad dexteram pergit: a laevo latere ad dexterum procedit, cum communionem clero vel populo distribuit, cum distribuit candelas, palmas, etc. Hinc generale oritur certumque principium e Rubricis (quae naturam non destruunt, sed supponunt et sequuntur in agendis), quoties seu Celebranti seu Ministris aliquo eundum est, e latere se movere sinistro, ut versus dexteram semper procedant, et non e converso.

quod contra naturam esset. Iam nunc pone, Ministros in casu e sacrario pergere ad altare per ipsius altaris Evangelii partem, et Rubricas Missalis fatebere apprime servatas, servatamque naturam motus: quippe qui versus propriam dexteram, ut palam est, procedunt, et prouti motus natura exigit. Pone vero, Ministros ad altare procedere per latus Epistolae, et oppositum eos agere iudicandum est, videlicet, nec Rubricarum servare principium, nec secundum sed contra naturam procedere: idem de opposito intellige in redeundo. Ergo sententia in *Ephemeridibus* nostris exhibita a Rubricis est: quam tradit *Ephemeris Hybernica*, a Rubricis non est.

4. Proinde, licet conveniamus, dexteram altaris significare partem Evangelii, sinistram vero partem Epistolae, negamus nihilominus, ex hoc derivare solutionem propositae quaestionis: ita saltem, ut sit illa perspicua ac fulgens cuicumque etiam ex minus cultis lectoribus, quod *Ephemeris Hybernica* veluti dogma crepat (*pag. 933*). Namque, ut super Decreto *Briocen.* nonnihil animadvertamus, agitur de sacrario, quod retro altare manet, ad quod accedere Ministri possunt, seu ex latere Evangelii, seu ex latere Epistolae. " Quaeritur ergo quanam ex parte exire debeant ad altare? „ Quid responsi? S. R. Congregatio ita se exprimit: " A Sacristia e sinistra egrediendum, a dextera ad illam accedendum „. Nunc autem iudicavimus, et ob positum principium (*V. n. 3*) iudicamus, ita sinistram et dexteram partem posse intelligi, ut non ad altare sed ad Sacerdotem aut Ministros sint referendae. Profecto responsio *sacristiam* nominat, a qua egrediendum, non altare, ad quod est pergendum; cumque Evangelii partem et Epistolae nominare posset ad quaesiti normam, de his tacet, sinistram et dexteram no-

minare contenta. Quid ergo mirum, si eiusmodi, haud alio sensu, hanc interpretati fuimus responsionem? Hòc certum credimus, nostram interpretationem, haud aliam *Ephemeridis Hybernicae* respondere Rubricis, uti superius demonstratum est. Quod si aliter illi aliisque res videatur, respondemus, ita quidem apparere posse, sed ita revera esse, non posse nos persuasum habere. Etenim in hac hypothesi quamdam videremus oppositionem inter legem et legem, quam admittere nequimus: quamdam perspiceremus cum natura actus et S. R. Congregationis dispositione contrarietatem, quam admittere nec possumus nec volumus. Haec ratio est, qua moti aliam ab illa, quam alii exhibuerunt, Decreti dedimus interpretationem. Aliter sentire A Carpo, aliter de Herdt, aliosque convenimus; quin imo ipsum Auctorem Caeremonialis Missae privatae, in *Ephemeridibus* hisce vulgati, aliter docuisse concedimus. At nil nostra interest; et contradictio, de qua imputantur *Ephemerides*, nulla est, si perpendatur, nullum ex scriptoribus teneri, si incerta sit res, aliorum sententiam sequi, ut contradictionem vitet. Hinc patet insulse *Ephemeridem Hybernicam* scripsisse in casu (*p. 934*): " Unius probatio testis, qui sibi stulte contradicit, vim nullam habet „: stultissime enim applicatur principium.

Quin ergo *Ephemeridis Hybernicae*, sicut et aliorum impugnemus videndi rationem, potius concludimus, Decretum *Briocen.* aliquid praeseferre obscuritatis, quam nova, quae paratur, Collectio erit certe dissipatura. Interim Rubricis, earumque spiritui, recto naturae sensui, ac interpretationi Decreti, iisdem magis respondenti, credimus inhaerere sustinentes, ad altare in casu exeundum esse per eiusdem altaris partem

Evangelii, per Epistolae vero in sacrarium redeundum, haud e converso.

5. Sed quae circa alteram quaestionem dicenda manent, nimis graviora sunt: *Hybernicam Ephemeridem* pedetentim sequi necessarium ducimus. Correspondenti suo ius concedit credendi, posse deferri stolam violacei coloris a Sacerdote Viae Crucis exercitium solemniter peragente; sed excusationem petit, si contra illius persuasionem, contra *Ephemeridum* nostrarum auctoritatem et praxim Urbis sustineat, usum deferendi stolam in casu, non tantum Rubricis haud esse probatum, sed et eidem Rubricarum spiritui repugnare (*num. Nov. pag. 1044*). Hoc est profecto gravissimum, Urbique iniuriam irrogans; sed antequam respondeamus, asserti probationem expectemus. — In ultimo, prosequitur *Ephemeris Hybernica*, numero Octobris demonstravimus, *Ephemerides Liturgicas*, licet Romae editas periteque conscriptas, infallibilitate in suis decisionibus nequaquam pollere. — Veritati, quod infallibilitatem spectat, inclinamus caput; imo quid nimis nobis sonant illa verba, *in suis decisionibus, in its decisions;* nostrum enim non est definire, sed quaestiones tantum ope scientiae discutere et resolvere. At quando probatur assertum? Patienter adhuc attendamus. — Namque, ait *I. E. Record,* uti iudicavimus, non solum quaestionem *Ephemerides* resolverunt contra verum illius sensum, regulamque in Missalis Rubricis contentam; sed et veram in sequenti numero quaestionis solutionem exhibuit, sicque iis quae antea protulit, omnino contradixit. — Quid de hoc, quod asserit *I. E. R.* censendum sit, ex iam expositis lectores norunt: videlicet, primo non esse, ad minus, certe erroneam quam dedimus, interpretationem Decreti: secundo, errore etiam admisso, interpretationem

cum Rubricis Missalis plane concordare: tertio, contradictionem nonnisi Hybernicae phantasiae partum esse: quarto demum, ex eo quod *Ephemerides Liturgicae* infallibilitate non gaudeant, nullo pacto derivare, stolae delationem, in casu, Rubricarum spiritui refragari, quod *Hybernicae Ephemeridi* adhuc probandum est. Quando probabitur? Expectemus adhuc. — Ad Praxim Urbis quod spectat, *I. E. R.* respondet, illam ad rem non facere, et sequenti ratione demonstrat. Primo, si usus est contra Rubricas, sit immemorabilis, vigeat quocumque loco, nunquam legalis esse poterit, sed remanebit abusus abrogandus, quemque nec praxis Urbis potest tolerabilem reddere. — At hic sumus in hypothesi, cuius robur est nullum, donec demonstretur assertum. Praeterea, animadvertimus, rituales leges ab Ecclesiae voluntate prorsus dependere: adeo ut, si usus (pone etiam, cum Rubricis comparatum esse in se abusum) Romae praevaleat, ab auctoritate cognoscatur, toleretur, permittatur, cohonestetur, exigatur, desinit esse malus: *chi bolla, sbolla,* dicunt sapienter Itali. Atqui ita revera res se habet ad stolam quod attinet in Via Crucis agenda ex parte Presbyteri; ergo. Denique nulla ex notis Rubricis stolam in casu prohibet; quibus ergo modis eam repugnare Rubricarum spiritui *Hybernica Ephemeris* demonstrabit? Quidquid sit, multa cum patientia eiusmodi demonstrationem adhuc expectamus, quae iam pretiosa nimis evadit. — At vero *Hybernica Ephemeris* concludit: ergo huiusmodi consuetudo, nisi literae, saltem spiritui Rubricarum opposita demonstrata fuit. — Parce nobis, *Hybernica Ephemeris:* ex quibusnam praemissis talis conclusio? ubi demonstrata? Quo in numero? Qua in pagina? Si alibi, faveas aperte dicere, ut quod demonstrari nequit demonstratum legamus. Sed hoc in numero, in argumentis hucusque

allatis, quae gradatim insectati sumus, assertum revera demonstratum non est: lectores iudicent.

Sed neque id probatum iudicet *Ephemeris Hybernica* in num. mensis Augusti (*pag. 742*), cum nihil ibi quoque legatur, vim probationis habens. Asserit quidem, opinatur *Ephemeris*, stolam in casu vetitam; et satis est illi, si paritatem excipias a Vesperis desumptam, quae sine stola celebrandae sunt ab officiante. At profecto nihil valet eiusmodi paritas, cum ab aliis multo pluribus functionibus paritas contraria maiori iure desumi possit, uti dicemus (*num. 6*).

6. Progrediamur. — Etsi admittatur, usum stolae eiusmodi esse, ut omnibus sit conditionibus praeditus, ex quibus legitimus efficiatur, talis evadit tantum in loco, in Ecclesia, in urbe aut pago, ubi ortum habuit et viget. Hinc, tametsi stolae usus, legalis sit Romae, eiusmodi non est ubique locorum. — Miramur, quod *Hybernica Ephemeris* generale principium applicet Romae, cui applicari in casu nec potest nec debet. Eoque magis, quod singulorum in fronte numerorum inscriptum ipsa gerat: Ut christiani, ita et Romani sitis. Namque de quacumque hic non agitur Urbis praxi, sed de praxi laudabili, approbata, Episcoporum, Purpuratorumque Patrum facto roborata: quam praxim in omnibus Italiae Ecclesiis Rectores earum secutae sunt et sequuntur.

Nec de abusu agitur in origine, quem postea cohonestavit communis praxis; nullam enim legimus, sive ante sive post S. R., et Indulgentiarum Congregationes institutas, querimoniam hac super consuetudine exortam, si praesentem *Hybernicae Ephemeridis* imaginationem excipias. Nam Viae Crucis exercitii inter fideles certa origo nescitur, sed in antiquitatis

tenebris obvolvitur (1): licet hodierna forma ac methodus adscribendae sint praecipue Seraphico Ordini Fratrum Min. S. Francisci. Qui e Terra Sancta reduces, sub fine saeculi XIII, et maxime a saeculo XV, S. Viae Crucis stationes ad instar stationum earumdem, quas in Civitate sancta visitaverant, in Ecclesiis aliisque locis erigere, et saluberrimum hunc Passionis D. N. I. C. recolendae modum inter fideles propagare ceperunt. Nec contra Rubricas esse potest usus deferendae stolae; huiusmodi enim exercitium sacram et ecclesiasticam functionem constituit quidem, si solemniter fiat, haud vero liturgicam, cum in nullo ex liturgicis codicibus descripta legatur. Nec contra Rubricarum spiritum est; quippe qui fert, ut in pluribus aliis actibus similibus, stolam deferat Sacerdos qui praesidet, uti in processionibus, in adoratione almi Sacramenti solemniter expositi, in concionibus agendis, in precibus ad altare recitandis etc. In his enim Sacerdos, qui caput est, uti talem se gerit, solemniori forma orat, benedicit etc. Hinc decreta non pauca hanc stolae delationem non solum permittunt, sed et requirunt; et ad instar istorum actuum, est quoque piissimum Viae Crucis exercitium: ut proinde et in hoc permittatur, imo et in Urbe stolam requiri toto sit iure asserendum. Eiusmodi est

(1) Piissimi huius ac proficui exercitii primam originem pia traditio attribuit Beatissimae Virgini Mariae. Quae « cum suis, cruenta filii sui vestigia ad crucem usque secuta, post eius sepulturam hac rediens, prima Viam Crucis ex devotione calcasse pie creditur. Unde et christianorum processiones, ac Crucis gressiones originem habere videntur (Adrichomius, Theatrum Terrae Sanctae, sub titulo *Ierusalem... brevis descriptio*). »

consuetudo, de qua verba facimus; ergo, ut christiana, ita et romana sit *Hybernica Ephemeris* oportet: consequenter ubique locorum illa accipi et servari, nisi debeat. citra dubium potest. Contrarium asserere, iniuriosum nimis est Urbi; imo et efficere potest, ut quae anglica nuncupari potest, appellari quoque possit *Ephemeris anglicana*.

Nam Roma ab aliis differt urbibus et pagis, quippe quae docet verbo et exemplo: exemplo, inquam, si laude et plausu dignum, uti praesens; quod ergo in casu romanum est, christianum est, et proinde, ut christiani ita et romani sitis, iure clamamus.

7. Tandem *Ephemeris Hybernica* universalem consuetudinem innuit, quam non explicat, vi cuius Sacerdotes Urbis, ipsique Parochi quinquaginta duo (1), in errore circa rem gravissimam hactenus versati essent. Sed cum ipsa auctoritati innitatur cuiusdam recentis scriptoris, qui forte nescit quod asserit (*if we are to credit the statement of a recent writer who seemed to know*), a priori nobis liceat factum negare, quoad Ephemeris certior de negotio fiat (2). Interim animadvertimus,

---

(1) Haud quinquaginta duo, sed quinquaginta septem sunt impraesenti Parochi Urbis, totidem enim sunt paroeciae.

(2) Agitur de Decreto S. C. Ind. d. d. 23 Sept. 1775, cuius obiectum est conditio, sine qua non, invocandi saltem mentaliter SSmum Nomen Iesu, pro lucranda Indulgentia Plenaria, adnexa Benedictioni in articulo mortis. Fortasse dicere intelligit *Ephemeris Hybernica*, universos Sacerdotes Romanos, et maxime Parochos, haud consuevisse praefatam in casu invocationem praescribere, ex errore, quo iudicabant non esse necessariam. — Plures possemus animadversiones agere contra hanc hypothesim; sed aerem verberandi periculum vitemus. Interim exploratum hoc esse sciat *Hybernica Ephemeris*, ex dubiis praemissis certam illationem inferri non posse.

argumentationem nulla vi gaudere, cum rei incertae innitatur. Praeterea generale quod ponit principium, vi cuius, usus Romae praevalens non ideo secundum legem iudicandus est, minus nihilo in casu probat, et ad rem non facit, quod ex hucusque dictis abunde patet.

Ea propter concludimus, *Ephemeridi Hybernicae* ius esse tenendi, stolam in casu non esse necessario deferendam, ubi eiusdem non ferendae viget usus: nullum vero ius esse censura notandi consuetudinem Urbis, quae cum Rubricarum spiritu apprime consonat. Praeterea, ubi eadem inducatur consuetudo, utpote Romae probata, nil contra legem fieri aut legis spiritum, iudicandum est. Spiritum autem legis alibi accipiendum melius quam in Hybernia aut Anglia; et si alibi, quidquid I. E. R. sentiat, ubi Summus Pontifex legem iubet, nempe Romae.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

I.

DE RITU EXPONENDI SANCTORUM RELIQUIAS.

Mos viget in quibusdam ecclesiis ita exponendi Sanctorum Reliquias, ut aliquibus rei liturgicae peritis occasionem conquerendi praebeat. Namque imprimis cuiusdam Sancti occurrente festo, cuius insignis Reliquia habetur, in eleganti ea exponitur Repositorio,

quod instar throni confectum est, sub quo, tempore benedictionis, ipsum Sacramentum, sublata Reliquia, solemniter exponitur. Insuper plures aliae pro floribus, exponuntur Reliquiae ad ornatum altaris inter candelabra: ante quas aliquae ad tempus accenduntur candelae, tempore scilicet alicuius functionis; sed hac absoluta, lumina omnia extinguuntur, quin nihilominus Reliquiae vel deponantur ex altari, vel saltem velo cooperiantur. Denique dictae Reliquiae manent adhuc super altari, etiamsi SS. Eucharistiae Sacramentum, non tamen pro Oratione 40 horarum, sit exponendum: ea, ut dicitur, de causa, quia illarum expositio haud ad cultum fit, sed ad ornatum tantum. Item cum ad Missam solemnem thus illis adhibetur, bis quidem, de more, hinc inde incensantur, sed simplicibus, haud duplicibus ductibus.

Hinc quaeritur:

1. *Utrum semper in Ecclesia seu latina seu graeca mos viguerit Sanctorum exponendi Reliquias ad fidelium venerationem? Et quid de earum expositione ad ornatum?*

2. *Quid autem Decreta S. R. C. praescribant circa ritus servandos in Reliquiarum expositione?*

3. *Quid iudicandum de singulis, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Iacobi Gentili e Pontif. Seminario Romano: habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 18 Nov. 1891: acta Epitoma per Rmum. Dom. Dom. Iosephum Piazza ex Praelatis Romanis.

I. Quaeritur, utrum semper in Ecclesia seu latina seu graeca mos viguerit Sanctorum exponendi Reli-

quias ad fidelium venerationem, et quid de earumdem expositione ad ornatum.

Quidquid saeculi XVI novatores ore blasphemo circa Sanctorum Reliquiarum cultum blaterent; certum est ab ipsis Ecclesiae incunabulis Sanctorum Reliquias magno semper in honore apud omnes fuisse habitas. Et sane, nemo est qui christicolarum in primaeva Ecclesia venerationem erga corpora SS. Apostolorum Petri et Pauli, erga exuvias SS. Ignatii atque Policarpi ignoret: qui altaria, cappellas, basilicas super corpora Sanctorum extructas nesciat: qui demum quanti existimatae fuerint apud omnes Sanctorum Reliquiae ignarus sit. Inter tot, quae haud difficile inveniri possent testimonia, unum seligimus, nempe Prudentii in Hymno S. Vincentii Martyris. En quomodo christianorum aemulationem in Sanctorum Reliquiis colligendis, christianus Venosinus eleganter describit:

Plerique vestem lineam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.

Verum non modo Sanctorum Reliquias Christiani in Ecclesiae primordiis venerabantur, sed etiam publicae fidelium venerationi exponebant; ut mos iste tam apud latinam quam apud graecam constanter viguerit Ecclesiam. Pauca tantum testimonia afferemus, ut primae quaesiti parti faciamus satis. Et imprimis ad latinam quod spectat Ecclesiam, indubium est, Hierosolymitanos fideles iam ante saeculum IV cathedram S. Iacobi Minoris veneratos fuisse. Testis est Eusebius (*in Lib. VII, c. 19. Hist. Eccl.*) dicens: " Sane et Iacobi illius cathedram, qui primus

Hierosolymorum Episcopus ab ipso Servatore et ab Apostolis est constitutus, ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiae, inde iam a maioribus magna prosequuntur reverentia, satis perspicue declarantes qualiter cum antiquiores tum nostri temporis Christiani viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem, debito semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur „.

Et S. Hieronymus in Epistola 103 de S. Stephani loquens Reliquiis, quae publicae fidelium venerationi exponebantur, subiungit: " Et nemo nescit, quam convenienter debeant honorari „.

Quod graecam vero spectat Ecclesiam testis est S. Basilius, qui in Hom. XX pro Quadraginta Martyribus dicit, Reliquias illorum Martyrum diversis in locis distributas fuisse, " ut ornamento sint et praesidio „. Item S. Gregorius Nissenus, qui in Oratione S. Theodori Martyris scribit: " Cum multo honore cultuque... rei instar pretiosissimae (corpus S. Theodori) ad regenerationis tempus reservatur „. Denique et S. Ioannes Chrysostomus, qui homiliam LXXVI in honorem SS. Iuventii et Maximini habitam sic concludit: " Assidue ad illas veniamus, et cum fide eorum reliquias veneremur „.

Ad secundam quod spectat quaesiti partem, reponimus, non semper uno eodemque modo Sanctorum reliquias fuisse antiquitus expositas. Nam quandoque sub altaribus fidelium venerationi collocabantur, uti aperte S. Ambrosius (*in Epist. 22*) testatur, hanc afferens rationem: " Ille (Christus) super altare qui pro omnibus passus est, isti sub altari qui illius redempti sunt passione „. Quandoque, ut refert Tillemont, (*Tom. 1, Hist. Eccl. S. Ioann. Bapt.*, § X.), et Anastasius Bibliothecarius (*in Vita Sergii*), in sa-

cristiis custodiebantur, et ibi in quibusdam solemnitatibus publicae exponebantur fidelium venerationi. Aliquando, ut cl. Bocquillot in suo Tractatu Historico S. Liturgiae ait, in latu dextero altaris, sublimiori in parte locabantur. Quandoque etiam statutis diebus insigniores Reliquiae fidelibus ostendebantur, et mos huiusmodi in Romanis Basilicis adhuc viget. Paulinus in Epistola II ad Severum ita loquitur: " Hierosolymis exponebantur (statutis diebus solemnibus) Reliquiae Sanctissimae Crucis „. Idem fieri in Constantinopolitana Ecclesia, scribit Curopalates. Insuper Concilium Budense in constitutione LVII, haec habet: " Statutum est ut amodo Reliquiae extra capsam nullatenus ostendantur, nisi in praecipuis festivitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis „.

Circa vero expositionem Reliquiarum ad modum ornatus inter candelabra, nullum extat in prima antiquitate vestigium, sed nec reperiri potest. In confesso enim apud omnes est, olim nihil super altare fuisse positum praeter ea, quae necessaria pro sacrificio erant, atque ipsam crucem, nonnisi lapsu temporis locum invenisse super altari, hinc et tardius Sanctorum Reliquias (1).

Nihilominus mos iste ponendi Sanctorum Reliquias inter candelabra liturgicus est, ut ex Caeremoniali

(1) Eorum (altarium) tabulae candelabris destitutae ad saeculum usque IX, nullum recipiebant ornatum, vasis sacris exceptis (Gay, Gloss. arch. p. 88). Eadem infertur veritas ex recentioribus in romanis hypogaeis detectionibus. Hinc et ipsa praesentis Rubrica Missalis Romani: « Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae Sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat (Rubr. Gen. Tit. XX) ».

Episcoporum eruitur cum dicat, congrue exponi eas posse alternatim inter ipsa candelabra (*Lib. I, cap. XII, p. 12*).

Sed antequam ad alterum progrediamur quaesitum, notatu dignum est; latinam Ecclesiam rigidiorem sapientioremque severitatem quamdam prae Graeca adhibuisse in exponendis Sanctorum Reliquiis. Latina enim, uti studia viri eruditissimi Ioannis Baptistae De Rossi demonstrant, numquam vel raro permittebat in minutiora fragmenta corpora Sanctorum dividi, et publicae fidelium venerationi exponi; sed integra corpora exponebantur in initio sub altaribus.

At barbarica irruente persecutione in Sanctorum Reliquias, etiam in ipsis cryptis positas, Pontifex iussit, ut pretiosa illa corpora in partes dividerentur, variisque distribuerentur Ecclesiis; hinc Reliquiarum dispersio.

II. Ad alterum quaesitum, quid nempe Decreta S. R. Congregationis et Rubricae praescribant circa ritus servandos in Reliquiarum expositione, procedamus.

1. S. R. Congregatio interrogata circa Reliquiarum expositionem, respondit: " Sanctorum Reliquiae non sunt collocandae super altare, in quo reipsa SS. Sacramentum expositum est publicae venerationi (*Aquen. 2 Sept. 1741 ad 5*) „.

Ex quo decreto dicendum prima fronte videtur, omnem prohibitam esse Reliquiarum expositionem, etiam ad ornatum, in altari, ubi quocumque modo publicae fidelium venerationi Sacramentum exponitur. Liturgici nihilominus auctores benigne hocce decretum interpretantes, docent Reliquias in sola expositione solemni, aut. 40 Horarum, prohibitas esse. In aliis vero casibus, ad ornatum adhiberi posse etiam detectas, seu

sine velo; ex eo enim quod pro floreis vasis adhibentur, omne periculum removetur venerationem in ipsas divertendi, quae tunc Sacramento solummodo debetur. Reliquia tamen Sancti, de quo agitur festum, cum eminentiori in loco et distincto, communiter collocetur, etiam in hisce casibus amovenda, vel saltem velo cooperienda esset. Sed Romae benigna haec interpretatio convenire minime potest; vi enim Instructionis Clementinae, Reliquiae prohibentur in quacumque expositione, privata non excepta. En illius verba: "Super altari (in quo SSmum exponitur) non collocentur Reliquiae Sanctorum: quod et in cunctis expositionibus particularibus prohibetur (§ *IV*) „.

2. Numquam Sanctorum Reliquiae sub baldachino exponendae sunt; ut recte enim notat Cavalerius, sicut in processione sub baldachino Reliquiae, ex expressa S. R. Congregationis prohibitione (*Decr. Gen. 27 Maii 1826*), deferendae non sunt, sic etiam sub ipso minime exponi debent, cum verba S. Congregationis "usus enim baldachini tantum competit SSmae Eucharistiae „ generalia sint, ac pro uno alterove casu aeque valeant (1). Insuper in loco, ubi collocatur crux, Sanctorum Reliquiae exponi etiam nequeunt, neque superimponi tabernaculo, ubi Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat (*Decr. Gen., 3 Apr. 1821*), neque collocari ante eiusdem tabernaculi ostiolum (*S. Angeli in Vado 6 Sept. 1845*), et nec palla subter eas umquam adhibenda est *Ariminen. 7 Apr. 1832, ad 4*).

---

(1) Idem tamen decretum tolerat, ac, habita ratione fere universalis consuetudinis, permittit, quod Lignum SSmae Crucis, aliaque Instrumenta Dominicae Passionis sub baldachino deferantur, dummodo id fiat seorsim et disiunctim a Sanctorum Reliquiis.

3. Eadem S. R. Congregatio tandem in duobus decretis luminum numerum, qui ante Reliquias ardere debet, expresse declaravit. In primo (*Congr. Montis Coronae, 22 Ian. 1701*) Camaldulensium Visitatori, proponenti: "An ante sacras Reliquias expositas unica solum lampas continuo ardere debeat „, respondit: " Omnino debere, ut super altare saltem duo lumina ardeant, alias Reliquiae non exponantur „. Ex quibus, liquido patet, nedum illicitam esse Reliquiarum expositionem absque ullo lumine, sed etiam unicam lampadem non sufficere.

At, dicet aliquis fortasse, haec pro Reliquiarum expositione in loco principe in medio altaris, haud vero pro Reliquiis ad ornatum inter candelabra positis valere. Sed alterum S. Congregationis decretum (*Briocen. 12 Aug. 1854, ad 18*), dubio, " Utrum thecae deauratae Sanctorum Reliquiis addictae, *ad altaris ornamentum inter candelabra collocatae*, et apertae singulis diebus sine lumine sic permanere possint „, respondit: " Ante sacra Lipsana exposita, saltem duo lumina ex decretis collucere debere „. Sed iam progrediamur ad ultimum quaesitum.

III. Ex hucusque discussis abunde patet: 1. Contra legem agere, qui Sanctorum Reliquias sub baldachino collocant, cum usus baldachini dumtaxat Eucharistiae competat. Et hic notare liceat, hunc morem haud esse suppositum sed realem: namque ipsa in Urbe quaedam non desunt Ecclesiae, in quibus hic abusus viget. 2. Contra legem pariter eos omnes agere, qui tempore tantum alicuius sacrae functionis, lumina ante Reliquias accendunt; uti enim vidimus, nimis clare S. R. Congregatio super hoc negotio loquitur. Neque, contra S. Congregationis dispositionem Ecclesiae paupertas in medio afferatur; cum enim in prin-

cipalibus solemnitatibus tantum, communiter Reliquiae exponantur; non videmus quomodo tenuissimam hanc expensam pauper quaeque Ecclesia sustinere non valeat. Ceterum, si vere impar omnino esset Ecclesia quaedam huic tolerandae expensae, tunc post functionem, dum lumina extinguuntur, Reliquiae vel velo cooperiantur, vel, ut verba usurpemus S. R. Congregationis, non exponantur. 3. Ad Ecclesias quod spectat Reliquias in altari ad ornatum collocantes, ubi SSmum Sacramentum exponendum est pro benedictione impartienda, iuxta Liturgicos nonnullos videntur haud male agere: citra controversiam tamen est, vi Clementinae Instructionis, quam perbelle ac docte Cavalerius commentatur, Romae id minime fieri licere. 3. Tandem circa simplices ductus, quibus Reliquias thurificantur, haec notanda veniunt. Ductus per se habetur etiam, uti cl. De Herdt advertit, dum ducimus et reducimus thuribulum, quapropter qui bino ductu hoc modo Reliquias thurificat, Rubricae satisfacit dicenti, ut bis ducatur thuribulum. Ergo tali ductu incensando Reliquias ad normam Rubricarum agimus. Sed quid de duplici (1) ductu, quo communiter

(1) *Duplex ductus* est, more Italorum, fortasse etiam quorumdam exterorum, thuribulum elevare ad usque oculcrum altitudinem, atque inde illud demittendo et iterum elevando velut lyrae instar ac reducendo, thus adhibere. Huius duplicis ductus origo unde et quando orta sit, nescimus: forte in maioris solemnitatis modo ratio sita est, quo ductum alterum ab altero solemniori, iuxta rerum personarumve excellentiorem praestantiam, distinguere iudicatum fuit. Quidquid sit, ductum duplicem a simplici ob consuetudinem distinguere, et utrumque iure adhiberi posse, non dubitamus. At neque inficiandum est, Rubricam Missalis, pariter ac Caeremonialis Episcoporum, praefatam non exhibere distinctionem. Illud enim quoties de thure adolendo loquitur, ita se exprimit:

utimur ? Et in hoc altero casu, arbitramur etiam Rubricae plene satisfieri, cum etiam ductus requisitos habeamus. Ast, quantum videmus, haec esset in praxi regula sequenda: Si crux ac altare ductibus duplicibus thurificantur, Reliquiae pariter ductibus duplicibus thurificentur: si crux e contra et altare simplicibus, et Reliquiae pariter eadem ratione incensentur. Uno verbo, uniformitas in tota actione perpetuo servanda.

DE PRESBYTERO ASSISTENTE

IN MISSA SOLEMNI HAUD PONTIFICALI

STUDIUM.

Pluribus a mensibus expetitae Ephemerides fuerunt ut iudicium ferrent super duabus Instructionibus iam evulgatis, circa presbyterum assistentem quod spectat in Missa solemni non pontificali, eo quod eaedem in pluribus discordent. Ex iisdem Instructionibus altera ad cl. De Herdt pertinet, ad privatam personam altera, cuius nobis mandatum typis missum est exemplar. Post comparativum super utraque studium, admodum Rev. Inquirenti sequentes exponimus animad-

ter incensat: ducens thuribulum: bis ducens thuribulum: ter ducens thuribulum, etc. (Rit. celebr. Tit. IV, n. 4 et 5). Simili se explicat modo Caeremoniale: *ter ducens: bis ducens thuribulum: thurificantur triplici ductu: duplici ductu: unico ductu etc.* (Lib. I, cap. XXIII).

versiones, in quibus Instructionem primam per litterant A, alteram per B significabimus.

I. Ex diverso ac fere opposito principio, quod profitetur alter et alter ex scriptoribus, duae Instructiones indubitanter derivant. Admittit A, uti aperte resultat, presbyterum assistentem in casu, non nihil dignitatis veri presbyteris assistentis Episcopo esse participem. Hinc plura illi permittit, ex quibus ostenditur eumdem esse ministrum superiorem Diacono et Subdiacono. Admittit vero B, uti pariter evidenter apparet, assistentem in casu, nihil habere commune cum presbytero assistente Missae pontificali Episcopi, sed toto caelo differre. Hinc nihil illi permittit, ex quibus minister ostendatur Diacono et Subdiacono superior, sed prorsus iisdem consideratur inferior. Consequenter iuxta A, ex. gr. assistens pluviali indutus pergere in chorum debet ad dexteram Diaconi: iuxta B, e contra, procedet solo superpelliceo ac birreto indutus ad dexteram Caeremoniarii, nisi consuetudo ferat, ut stet ad dexteram Celebrantis, Caeremoniario ad huius sinistram manente. Docet A, Assistenti sedendum esse ad dexteram Celebrantis: docet vero B, eidem in scamnum separatum eundum ut sedeat, atque ita ut manifesta appareat eum dignitate inferiorem esse reliquis ministris. Placet A, ut Assistens pacem accipiat a Celebrante, detque Diacono: at B docet, Diacono convenire, ut pacem a Celebrante recipiat, qui dat Subdiacono, a quo tantum habebit pacem Assistens, ecc. ecc. Ut consequenter gravia discrimina inter Instructionem A et B, ex prorsus diverso oriantur principio: ut nempe A superiorem, B inferiorem Diacono et Subdiacono, ministrum in casu consideret assistentem presbyterum.

II. Antequam itaque iudicium exquisitum feramus, officii nostri ducimus examinare, cuium principium sit alii praeferendum: reliqua perfacile tamquam legitima consectaria profluent. Itaque principium A aequum nobis, quantum capimus, probandumque videtur. Namque animadvertendum primo est, assistentem istum esse debere necessario presbyterum: ut ridiculum prorsus foret, eum sacerdotali Ordine non esse insignitum: quod, credimus, discussioni non subiacet. Ceterum, ipsa loquendi communissima ratio id ostendit: adeo ut non dicamus *Subdiaconum* vel *Diaconum* assistentem, multoque minus *clericum*, sed PRESBYTERUM ASSISTENTEM. Secundo animadvertendum, eiusmodi presbyterum in variis a lege casibus permissum in Missa solemni, licet non pontificali, officio quodam indubie fungi, quod ministerii appellatur; hoc est, revera is tamquam ministrum se habet Celebrantis. Imo animadverti tertio posset, eiusmodi ministrum nobiliori, maxime cum Neocelebrante, fungi officio, quam Diaconum et Subdiaconum. Si enim isti ministrant materiam pro Sacrificio, et Celebranti inserviunt, ille non solum assistit uti presbyter toti rei divinae: sed et in omnibus quae peracturus est Celebrans, praeire ipse potest, et si opus est debet, pro suo persolvendo munere. Est ergo quasi concelebrans, vel quasi concelebrantis figuram omnibus adstantibus repraesentat: aut certe ipsius Celebrantis est doctor, quippe qui ut talis ei assistit in divino actu. Hinc iure merito iudicavit A, presbyterum assistentem considerandum esse ut ministrum Subdiacono et Diacono dignitate superiorem, proindeque in pluribus eidem ministeriis obeundis praelationem attribuit.

III. Sed B principium haud profecto spernendum; stetit enim legi, quae et presbyterum assistentem

omnino denegat Celebranti solemniter, nisi sit Episcopus: in casu vero specialioris concessionis, exigit lex, ut presbyter assistens ad librum tantum assistat. Haec luce meridiana apparent clariora, seu ex Decreto 4593, ab Apostolica Auctoritate adprobatum, super quo et Constitutionem appositam vulgari iussit Pius Papa VII (*num. 16 Decr. et Const.* DECET ROMANOS PONTIFICES d. *quart. nonas Iul. 1823*): seu ex altera Constitutione Pii Papae IX (APOSTOLICAE SEDIS OFFICIUM *d. quarto kalend. Sept. 1872, num. XV*): seu ex Decretis *Mathelicen.* 11 Mart. 1837, et maxime *Vicentina*, quo S. R. C. mitius quam antea, hoc quod spectat negotium, se gerit; statuit nihilominus, presbyterum assistentem pro Neosacerdote prima vice celebrante " POSSE TOLERARI, DUMMODO ASSISTAT TANTUM AD LIBRUM (*4 Decem. 1882 ad 2*). „ Quinimo in primo dubiorum huius ultimi decreti *dubitatur, an hic presbyter se gerere possit more presbyteri assistentis Episcopo solemniter Celebranti.... an vero debeat assistere dumtaxat ad librum, prout absque pluviali et cum superpelliceo tantum Rubricae Missalis permittunt in ritu celebrandi Missam Tit. VII, n. 11, et Tit. VIII, n. 89.* Iam audi responsum: " NEGATIVE AD PRIMAM PARTEM; AD SECUNDAM PARTEM, UBI SIT CONSUETUDO IMMEMORABILIS POSSE CUM PLUVIALI ADSISTERE AD LIBRUM. „ Toto ergo iure videtur B alteri principio inniti, ut diversas, vel contrarias conclusiones inferat: quid ergo iudicandum?

IV. De re agitur haud omnino certa; hinc quod nobis melius apparet more solito dicemus, quin alios contrarium tenere nos pigeat. Instructio A nobis arridet magis quam B, quia principio innititur, quod recto liturgico sensui est omnino consonum, uti in numero II demonstratum est. Consequenter ritus et caeremoniae, quos, vi illius, presbyter assistens exercet, dignitati

presbyterali magis respondent, sicut et muneri, quo fungitur, uti ex facienda comparatione magis constabit. Praeterea Instructio A antiquior est, usuque probata, dum altera B recens est, vix in usu, et nonnulla habet, quae sustineri non possunt.

Et primo: duo docet Instructio B, nempe et cum superpelliceo esse Assistenti exeundum e sacrario, et dum thurificatur altare pluviale induendum, aliquo adiuvante clerico (*n. 2*). Sed contra primum, si S. R. C. permittit ut presbyter assistat cum pluviali ad altare, qua de causa induere illud non poterit in sacrario? Unde huiusmodi dispositio cohonestetur non videmus; quin imo indecorum credimus, reliquos superiores ministros omnibus paramentis indutos e sacrario procedere, et solum presbyterum, qui per se saltem dignior est Subdiacono et Diacono, indutum superpelliceo cum birreto. Equidem cotta indutus exit presbyter assistens in Pontificali Missa; at comitatur Episcopum, haud sacris indutum paramentis, sed tantum mantelleto vestitum. Docet praeterea, assistentem procedere, seclusa consuetudine alia, post ceroferarios, quod pariter indecorum iudicamus ex iam dicta ratione. Contra alterum, quomodo cohonestari potest doctrina dicens, presbyterum assistentem se induere dum Celebrans altare thurificat? Novum sonat et insolitum, quod in nulla liturgica functione indicium habet. In casu enim ministri omnes sunt parati: quomodo ergo ipse solus paramenta assumet, et quidem dum thurificationis actus in altari persolvitur? Satis ergo melius est iuxta Instructionem A, ut presbyter assistens cum aliis ministris ex integro in sacrario vestiatur, atque ita cum iisdem ad latus Celebrantis ad altare procedat.

V. Numeri 3 et 4 Instructionis B docent, ut presbyter assistens post sacros ministros abeat ad scamnum ut sedeat, solus separatusque ab illis, ac si esset extraneus, vel simplex Caeremoniarum magister. Quomodo probari id potest? Ut quid tunc S. R. C. pluviale permittit? Longe melius videtur nobis quod docet Instructio A, nempe Assistentem una procedere ad scamnum cum ministris, sed post Celebrantem, sedeatque a dextris illius. Legitur deinde (*num. 5*), Assistentem post *Gloria in excelsis,* e scamno pergere ad altare per laterales gradus, hoc est per breviorem viam, ut indicet Orationes Celebranti legendas. At primo, quare nec genuflexio fit, aut saltem reverentia cruci? Deinde, qua de causa non inclinabit choro cum aliis, quibuscum sedit? Item, dum Celebrans Evangelium legit, presbyter assistens ad sinistram illius consistere debet, et quasi retro post illum, ac si presbyter inferior esset Subdiacono. Denique haud prorsus toleranda positio Subdiaconi dum a Diacono Evangelium canitur: staret videlicet in plano laterali a cornu Evangelii, conversus ad populum. Ut quid? Unde eruitur? Quid tali positione repraesentat? — Arbitramur itaque satis esse consultius, Instructionem A in praxi tenere, quae docet, presbyterum assistentem post *Gloria in Excelsis* ad altare ascendere una cum Celebrante, idemque per consequens illi faciendum post cantum symboli (1): ad latus consistere Celebrantis legentis Evangelium, quod dum Diaconus

---

(1) Notandum peculiariter, post cantum symboli presbytero assistenti pergendum esse, haud ad dexteram, uti post *Gloria in excelsis*, sed ad sinistram Celebrantis: ad quam quomodo ascendi possit per gradus laterales non intelligitur: et hoc tamen docet Instructio B (*num. 8*).

cantat, stare presbyterum assistentem in cornu quidem Evangelii, sed versa, ut par est, facie ad Diaconum.

Instructio B insuper docet, assistenti presbytero thus adolendum post Diaconum, hoc est, ultimo loco, ab ipso thuriferario (*num. 9*). At inusitata atque indecora nimis est dispositio ista, ministri enim altaris superiores ad minus thus semper accipiunt antequam thurificetur clerus inferior: ita in Missa semper, ita in ipsis Vesperis. Quomodo hic disponitur, ministrum pluviali indutum thurificandum esse post totum chorum? — Similiter an pacem recipere debeat a Subdiacono (*n. 12*) ante an postquam data fuerit choro, Instructio B non explicat; semper tamen hoc habetur, quod minor maiori daret pacem. — In num. 14 dicitur assistens presbyter communionem, si fiat, recipere ante clerum non paratum, sed semper post ministros alios paratos, et quasi unus ex choralibus cotta indutis. — Ad benedictionem, disponitur Diaconum et Subdiaconum genua in suppedaneo flectere, presbyterum vero assistentem in infimo gradu (*num. 15*): quod pariter indecorum nimis est, et aegre fertur. Hinc recto sensui consonam magis iudicamus Instructionem A docentem, presbyterum assistentem a Diacono incensari statim post Celebrantem, vel si chorus habeatur, post hunc quidem, sed ante Subdiaconum; atque a Celebrante pacem recipere (1), et ad benedictionem Diaconum et Subdiaconum stare hinc inde presbyteri assistentis.

VI. Sed iam gravissima nobis obiicitur difficultas contra exposita: quae videntur aequiparare presbyterum assistentem in casu, alii presbytero assistenti Episcopo. Id autem decretis contradicit et Rubricis, ut in numero III implicite ostensum fuit. Equidem eiusmodi difficultatem haud spernimus, sed destruere,

quantum vires suppetunt, satagimus. Itaque ad decreta quod attinet, animadvertimus, ea hoc unum praedicare, presbytero in casu assistenti competere tantum ut assistat ad librum: quod est indubie praecipuum ex iis quae agere debet. Nihilominus sciscitari liceat, num verba eiusmodi ita omnino intelligenda sint, ut alium quemcumque actum presbytero assistenti prohibeant? Sanae profecto mentis id affirmabit nemo: secus tamquam cerei paschalis aut candelabri alterius figuram huiusmodi presbyter assistens super altari exhiberet. Ceterum conveniunt omnes, presbyterum assistentem Celebranti non Episcopo, praeter assistentiam ad librum, posse et debere, si Celebrans et duo alii ministri sedeant, ut hi sedere, thurificationem et ipsum habere, pacem recipere et dare; a communione facienda, si ab aliis fiat, et ipsum non posse impediri etc. Ergo indubium ponimus, per verba *assistat tantum ad librum*, S. R. Congregationem nec voluisse nec potuisse interdicere presbytero in casu assistenti alios actus liturgicos, quos ab eodem iuxta Rubricas peragi necessum est.

VII. Hoc posito, quomodo vi decretorum gerere se debet presbyter assistens simplici sacerdoti solemniter celebranti? Redeunt quae animadvertimus in num. II, quae et decretis confirmare fas est. Voluitne S. R. C. ut assistens presbyter vices ageret veluti caeremoniarum magistri, an potius tamquam veri presbyteri assistentis? En quaestio: quam decretis innixi primo sensu reiicimus, altero vero admittimus et probamus. Exploratum est enim, presbyterum assistentem, etiam in casu nostro, esse debere indutum rocheto, si sit Canonicus qui illo utatur, aut superpelliceo, et pluviali. Certo id constat, seu ex decreto in *Mathelicen.* superius citato, seu ex alio in *Vicentina* (*1 Dec. 1882*

ad 11), seu ex recentiori in *Senen.* (*30 Iul. 1883 ad 1*). Et nota, in antiquiori ex his citatis decretis expetitam explicite fuisse S. R. Congregationem circa presbyterum absque pluviali et cum solo superpelliceo; sed ita respondit, ut ostenderet, pluviale requiri (*Vid. num. 3 sub fine*). Quid ergo? Profecto, si Sacrum Tribunal nonnisi alium caeremoniarum magistrum, vel eius vices gerentem, in presbytero assistentem agnovisset, solum superpelliceum permisisset, prohibuissetque pluviale. Sed viceversa solum superpelliceum implicite exclusit, permisitque, sub notis limitibus, assistentem presbyterum, sed cum pluviali. Et sapienter; si fontes enim universos liturgicos requiras, graviter dubitandum, utrum reperias unum, qui vel remote aliquid innuat circa caeremoniarum magistrum pluviali solemniter indutum, melius fortasse quam ipsum Celebrantem. Esset proinde novus ritus insolitusque, satisque ineptus, quem S. R. Congregatio non tolerat. Consequenter, cum pluviale requiratur ex decretis, legitime concluditur, presbyterum assistentem, haud esse considerandum tamquam caeremoniarum magistri gerentem vices. Est ergo vere unus ex ministris superioribus, melius quam Subdiaconus et Diaconus; pluviale enim in Missa Vesperisque solemnioribus, nonnisi superioribus, ex iis qui altari deserviunt, ministris conceditur.

VIII. Quod ut evidentius fiat, gravior est facienda animadversio super una ex Rubricis Missalis, quae citatur in relato Decreto Vicentina (*Vid. num. III sub fin.*). In hoc Decreto supponit Orator Rubricam *Tit. VII, n. 11* permittere presbyterum assistentem in Missa solemni simplicis Sacerdotis *absque pluviali et cum superpelliceo.* Sed bona cum Oratoris venia nobis tenere liceat, hypothesim suam esse alienam a veritate, cum

ex verbis Rubricae potius contrarium fas sit arguere. Postquam enim dixit, Diaconum et Subdiaconum se ponere, ut dicant *Sanctus,* hinc inde Celebrantis, ita prosequitur: " Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens dum dicitur Canon, *nisi alius Sacerdos assistat,* QUIA TUNC IPSE (*id est Diaconus*) STARET AD DEXTERAM ALIQUANTUM POST CELEBRANTEM (*Rit. celebr. Tit. VII, n. 11*) „. Ubi vides Diaconum cedere nobiliorem locum assistenti presbytero, qui stare in casu deberet ad sinistram Celebrantis, ut ei legenti assistat: dum ipse Diaconus ad dexteram staret *aliquantum post Celebrantem,* et quidem nihil faciens. Quomodo ergo Diaconus inferiori se cederet nobiliorem locum, nec pluviali sed cotta solum induto, ut ad alteram pergat partem pro nihil agendo? Quis id sibi persuasum habebit? Erravit ergo Orator, quem prudenter S. R. C. implicite quasi, de errore redarguit, de Rubrica tacens, sed pluviale in presbytero assistente admittens. Ut itaque aliam sileamus Rubricam ex qua nil potest contra pluviale inferri, ex exposita nonne manifesto eruitur, presbyterum assistentem in casu, et vere esse ministrum, et ipsis Subdiacono et Diacono superiorem? Imo, etsi hoc negare volueris, inficiari non poteris, eum saltem inter superiores ministros esse recensendum. At omnia tunc reviviscunt argumenta in numero II exposita: vi quorum nec decet dignitati sacerdotali, nec Rituum decori convenit, ut presbyter in casu assistens, Diacono et Subdiacono consideretur inferior.

IX. Ex hactenus discussis facile coniicies: 1. Instructionem A aequiori ac solidiori principio inniti, quam Instructionem B, illamque, in praxi, maiori cum decore sacrorum Rituum posse adhiberi, quam istam. 2. Legem non extare determinantem, quid presbyter

in casu assistens possit, quid nequeat, si assistentiam ad librum excipias; hinc fere omnia Instructio A ex officiis depromit, quae presbytero assistenti Episcopo certe competunt, Instructio autem B ex arbitrio: ut neutra, per se loquendo, obliget. 3. Instructionem A in cunctis propemodum convenire cum Instructione pro tali presbytero assistenti, quam tradit Bauldryus (*Lib. I, art. II, cap. III*), iisque respondere, quae docet Gavantus (*Pars II, Tit. X, n. 9*), cui et Meratus consentit (*Apud Gav. loc. cit.*): convenire pariter cum Instructione Castaldi (*Lib. I, Sect. VII, cap. X*), si pacem excipias, quam iuxta auctorem recipere deberet presbyter assistens a Subdiacono, qua tamen de causa nescimus (*num. 8, loc. cit.*). 4. Denique tanti valere quae diximus, quanti facienda momenta, quae attulimus: de cetero et hoc notatum volumus, cum in dubiis versemur, unumquemque abundare in sensu suo posse.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Titulus VI).

DE VIGILIIS

N. 1.

(Continuat. Vide num. 7, an. VI, pag. 408)

De vigilia (141) fit officium in omnibus Vigiliis per annum (142), quae ieiunantur (143), ubi in Calendario adnotatur haec vox: *Vigilia* (144), nisi in die Vigiliae occurrat festum novem lectionum, vel octava (145); tunc enim in officio novem lectionum legitur nona lectio de homilia Vigiliae (146), et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum (147) cum Antiphona ad *Benedictus* et ℣ feriae occurrentis de psalterio, et oratione de Vigilia (148); praeter quam in illis festis maioribus, quae inferius excipiuntur (149).

(141) *De Vigilia.* A *vigilando* nomen accepit vigilia, eo quod ab Ecclesiae incunabulis, fideles in praecipuis festitatibus noctem antecedentem divinis in laudibus vigilantes in ecclesiis traducere solerent; uti SS. Patrum sermones et homiliae passim testantur; adeo ut

divina officia quae pridie festorum persolvebantur, vigiliae vocatae fuerint, iuxta illud S. Ambrosii (*Serm. in Ps. 109 de festo Pentec.*): *Ieiunavimus Sabbato, Vigilias celebravimus* etc. Id quoque probant vetera monumenta a Martene (*Tom. 4, c. 2, n. 1*) citata, qui concludit: *Ea fuit Ecclesiae pia consuetudo, ut praecipuas solemnitates Sanctorumque festivitates vigiliis praeveniret.* Huiusmodi autem vigiliarum institutio, apostolica iure merito dicenda est; Apostoli enim, et iuxta veteris testamenti traditionem, et iuxta exemplum SS. Redemptoris, qui noctes in oratione vigilando transigebat, maxime *in qua nocte tradebatur*, quae revera fuit solemnissima vigilia Passionis eius et Mortis, vigilias agere Christianos docuere.

Quum vero, frigescente fide, in nocturnis vigiliis abusus non pauci contra ordinem, pietatem et mores irrepere ceperint, eas abstulit prudenter Ecclesia, solo retento ieiunio, excepta tamen nocte Nativitatis Domini. Id accidit circa saeculum XII, uti demonstrat Trombellius a cl. Bouvry (*p. 2, sect. 3, Tit. 6*) citatus; Martene autem (*cap. 7, n. 3*) probat usque ad saecutum XIV in quibusdam Cathedralibus antiquam vigiliarum disciplinam viguisse. Porro in praesenti disciplina, Vigilia nihil aliud est, nisi quasi praeoccupatio festi, seu dies ad id destinata ut divinis officiis et plerumque etiam abstinentia ac ieiunio animi praeparentur ad celebrandas maiores festivitates. Imo, ut notat Meratus (*sect. 3, c. 7*), remansit nomen Vigiliae, iuxta fidelium locutionem communiter ad significandum ieiunium, quod sive iure scripto, sive iure tradito, aut generali consuetudine, servatur in ipsis Vigiliis.

Vigiliae autem, quae iuxta Romanum ritum hodie celebrantur, sunt septemdecim, quia antiquis sexde-

cim, ex SS. Pontificis Leonis XIII decreto d. d. V Dec. 1879 adiicenda est Vigilia Immaculatae Conceptionis.

Hae sunt:

1.	Vigilia	Nativitatis Domini		24 Decembris
2.	„	Epiphaniae	„	5 Ianuarii
3.	„	Ascensionis	„	
4.	„	Pentecostes		
5.	„	Assumptionis B. M. V.		14 Augusti
6.	„	Immac. Conceptionis B. M. V.		7 Decembris
7.	„	Omnium Sanctorum		31 Octobris
8.	„	S. Ioannis Baptistae		23 Iunii
9.	„	SS. Petri et Pauli App.		28 „
10.	„	S. Mathiae	„	23 vel 24 Febr.
11.	„	S. Iacobi	„	24 Iulii
12.	„	S. Bartholomaei	„	23 vel 24 Aug.
13.	„	S. Matthaei	„	20 Septembris
14.	„	SS. Simonis et Iudae	„	27 Octobris
15.	„	S. Andreae	„	29 Novembris
16.	„	S. Thomae	„	20 Decembris
17.	„	S. Laurentii Mart.		9 Augusti.

Dividuntur autem, 1° in Vigilias *maiores* et *minores* ut clar. Maugère cum Merato opportune notat, (*Brev. comm. tit. IV*): Maiores sunt tres, nempe Vigiliae Epiphaniae et Pentecostes, quae ritu semiduplici aguntur, seu cum officio novem lectionum, et Vigilia Nativitatis Domini, quae licet habeat officium simplex ad Matutinum, ad Laudes tamen et deinceps ritu duplici decoratur (1). Insuper Vigiliae Nativitatis et

(1) Nescimus qua de causa citatus Maugère, alioquin diligens et accuratus, dicat, Vigiliam Nativitatis ritu semiduplici potiri; quando ea occurrit in Dominica, hoc quidem ritu celebratur ad Matutinum, in gratiam officii Dominicae occurrentis, sed per se, et ut plurimum, minime certo.

Pentecostes numquam omittuntur, praecedunt enim duplicibus quoque primae classis. Minores vero sunt reliquae vigiliae per annum, non exclusa Vigilia Ascensionis. Dividuntur 2°, in Vigilias *quae ieiunantur*, et in Vigilias *quae non ieiunantur*. Sunt absque ieiunio tres Vigiliae, Epiphaniae, ob laetitiam Natalis Domini, Ascensionis ob gaudium eius Resurrectionis, ut notat Gavantus (*hoc loco*), et Immaculatae Deiparae Conceptionis, quia Summus Pontifex, eam instituens, ieiunium non imperavit. Ceterae Vigiliae, per se, et ex earum institutione omnes ieiunantur; licet vero in nonnullis ex illis hodie ob Apostolicum indultum amplius non ieiunemus, attamen pro effectibus legis Liturgicae, uti videbimus, considerantur adhuc cum ieiunio.

In aliquibus Dioecesibus, agitur officium Vigiliae pro Sancto Patrono, uti fit Vercellis die 31 Augusti, pridie festum S. Eusebii Ep. M.; in aliis agitur Vigilia sine officio, sed solo cum ieiunio, ut fit Placentiae pridie festum Ss. Xm. Crucifixorum, ex voto: de his autem non est hic locus inquirendi.

(142) . . . *fit officium in omnibus Vigiliis per annum...* Dicitur *per annum: non privative,* quasi ad distinguendas vigilias *de Tempore,* in calendario non inscriptas, uti est ex. gr. Vigilia Ascensionis, et vigilias de Sanctis, quae in eodem indicantur; sed *comprehensive,* scilicet ad comprehendendas omnes vigilias, quae per anni circulum celebrantur.

(143) . . . *quae ieiunantur...* Frustra requisivimus in Rubricarum commentatoribus, non exclusis Gavanto, Guyeto, Merato et Cavalerio, ut taceamus de recentioribus, qua de causa Rubrica hic loquatur de Vigiliis tantummodo " *quae ieiunantur* ", nemo vero ex his in re liturgica peritissimis, huiusmodi quaestionem

sibi proposuit, et superfluitatem verborum „ *quae ieiunantur* „ hoc loco, animadvertit.

Miramur porro Gavantum, qui bis interfuit correctioni Breviarii, sub Clemente et sub Urbano VIII, has voces, utpote inutiles, non expunxisse; ideoque, formidantes ne nimia inquisitio nos decipiat, a sapientioribus optamus edoceri. En dubium nostrum. Si Vigiliae *quae non ieiunantur,* diversa lege regerentur ab illa, quae hic traditur a Rubrica pro Vigiliis *quae ieiunantur,* tunc non amplius esset nobis interloquendi locus. Sed quum ex. gr. Officium Vigiliae Ascensionis, quae prout diximus *non ieiunatur,* eodem modo sit persolvendum sicut officia cuiusvis Vigiliae minoris; desiderium oritur cognoscendi cur hac locutione usa sit Rubrica. Novimus quidem in fine huius Tituli (n. 5) Rubricam docere: *In Vigilia vero Epiphaniae et Ascensionis, quae non ieiunantur, fit officium ut in propriis locis notatur.* Nihilominus, si Vigiliam Epiphaniae excipias, quae revera in proprio loco habet officium suum cum tribus Nocturnis, Vigilia Ascensionis nihil habet in proprio loco adnotatum, sicut cuique videre est, ex quo doceamur officium eius persolvendum esse alio modo, quo persolvuntur officia ceterarum Vigiliarum, Et reapse, si festum duplex vel semiduplex occurrit in hac Ascensionis Vigilia, fit de festo, cum IX lectione et commemoratione Vigiliae, prouti hic praescribit Rubrica pro ceteris Vigiliis *quae ieiunantur.* Ad quid ergo hoc loco ponuntur verba „ *quae ieiunantur* „ ? Restat igitur nostrae dubitationis ratio.

Ceterum, ut diximus, Vigiliae omnes, exceptis illis Epiphaniae, Ascensionis et Immaculatae Conceptionis, per se et ex earum institutione essent cum ieiunio; quod fidelibus imponitur ex generali et antiqua consuetudine Ecclesiae latinae, vim legis habente. Nihilo

tamen minus in fine saeculi XVIII, et in principio huius, ex diversis Summorum Pontificum indultis, multis Vigiliis ieiunii praeceptum sublatum est, hodieque non ieiunamus nisi in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, S. Ioannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli. In Gallia tamen, et ubi viget indultum 9 Aprilis 1802, ut docet De Herdt (*hoc loco*), demptum est quoque ieiunium Vigiliae S. Ioannis Baptistae.

Quoad ergo Vigilias, quibus dempta est obligatio ieiunii, nihil innovandum est circa officium, aut circa eius caeremonias. Siquidem S. R. C. (*11 Martii 1820 N. 4566 ad 4*) decrevit: *Cum per Apostolicum Indultum, abrogatis Vigiliis quoad ieiunium, nihil immutatum fuerit quoad ritus et functiones Ecclesiasticas, imo expresse cantum sit, ut retineantur, ideo ad preces Officii, et in Missa de Vigilia erit genuflectendum ad formam Rubricarum*

(144) ... *ubi in Calendario adnotatur haec vox:* Vigilia. Ne Rubrica hic describeret Vigilias singillatim, quae per annum occurrunt, satius reputavit omnes simul indicare, remittendo ad Calendarium, in quo adnotantur suis diebus Vigiliae; quod item facit Rubrica cum ad indicanda officia quae celebrari debent ritu duplici vel semiduplici, ad Calendarium remittit lectores.

(145) *nisi in die Vigiliae occurrat festum novem lectionum, vel octava.* Cum enim officia duplicia et semiduplicia maioris sint dignitatis, prout suo loco probavimus, iure praecedunt, et de vigilia minori nonnisi commemoratio agitur. Idem dicatur de die infra octavam, ob eamdem rationem.

(146) ... *tunc enim in officio novem lectionum legitur nona lectio de Homilia Vigiliae.* Impedito enim of-

ficio Vigiliae, de ea saltem vult Rubrica ut fiat commemoratio, ac proinde legitur nona lectio de homilia Vigiliae. Excipe quando Evangelium Vigiliae idem esset ac Evangelium festi occurrentis, quia tunc omittenda esset nona lectio Vigiliae, uti iure argumentamur ex nova Rubrica speciali, diei octavae Immaculatae Conceptionis, quae praescribit: *Si fuerit Feria IV Quatuor Temporum, lectio IX de Homilia Feriae omittitur.* Cum enim idem Evangelium habeant Festum Immaculatae, et Feria IV Temporum hiemalium, omittitur nona lectio, sicut et Evangelium in fine Missae, ne bis dicatur; ergo a pari.

(147) . . . *Et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum:* ad Laudes tantum, 1° quia officium Vigiliae minoris, est officium feriale, quod desinit subsequente alio officio novem lectionum: 2° autem quia officium Vigiliae, quatenus tale, consistit in sola homilia et antiphona ad Laudes cum oratione. In primis ergo et secundis Vesperis nihil fit de Vigilia.

(148) . . . *cum antiphona ad Benedictus et ℣. feriae occurrentis de psalterio, et oratione de Vigilia.* Officium enim Vigiliae ex natura sua feriale est, ideoque Antiphona et ℣. sumuntur e feria occurrenti ut in Psalterio, oratio autem sumitur propria Vigiliae.

(149) . . . *praeter quam in illis festis maioribus, quae inferius excipiuntur.* Nempe in duplicibus omnibus primae classis, prout videndum erit.

(*Continuabitur.*) Doct. Petrus Piacenza.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Galliis.* **De functionibus triduo mai. hebdomadae in minor. Ecclesiis.** Functiones in triduo maioris hebdomadae fieri ne possunt in cappellis publicis, puta hospitalium, iuxta normam parvi Ritualis Benedicti XIII?

Resp. 1. Officium tenebrarum licite in quibuscumque minoribus ecclesiis recitari aut cantari posse credimus, sicut etiam in Oratoriis publicis, uti hospitalium. Ratio est, quia agitur de officio, quod facile et sine inconvenientibus persolvi potest, dummodo sufficiens psallentium numerus praesto sit. Hinc cl. De Herdt ait: " In aliis ecclesiis, nec cathedralibus, nec collegiatis, nec conventualibus, nec parochialibus, aut aliis, in quibus officium publice non agitur, officium huius tridui, non quidem fieri debet, sed potest: nihil enim obstare videtur, modo fiat solemniter (*intellige quantum fieri potest*), et cum sufficienti numero ministrorum (*Pars 5, n. 34, 2*).

Resp. 2. Ex decreto *Neapolitana* S. R. Congregationis d. d. 14 Iun. 1659, dicendum videtur nec Missam feria V. in coena Domini posse fieri in dictis Oratoriis, nec Sacramentum in altari, quod sepulcrum vulgo dicitur, asservari, rogata enim S. R. C. in praedicto decreto explicite docuit: " Non licere ". Eidem decreto innixus praefatus De Herdt praedicat: " In ecclesiis, in quibus SS. Sacramentum non asservatur, non licet feria V in coena Domini Missam celebrare, nec in sepulcro SS. Sacramentum asservare (*Loc. cit. n. 34, 1*) ".

Diximus tamen, *videtur;* quia decretum citatum antiquioris aetatis est, postque ipsum secutum est Rituale parvum Benedicti XIII, nempe anno 1725: cui inhaerens S. R. Congregatio aliud decretum minus antiquum vulgavit (*28 Iul. 1821*), in quo minus severe, generaliter loquendo, se habuit. Super hoc autem sequentia animadverti opportune possunt. Dubium S. R. Congregationi propositum paroecias respicit, praesertim rurales, ait enim: "An toleranda consuetudo, vigens in quibusdam paroeciis, praesertim ruralibus etc." Ergo agitur de ecclesiis SS. Sacramentum asservantibus, de quo ius et onus omnibus inest paroeciis. At considerationis Eminentissimorum Patrum obiectum, non tantum parochiales fuerunt ecclesiae, sed etiam aliae minores; ait enim: "Emi PP... solliciti, ut sacrae functiones, quae ex ecclesiae instituto ad recolendam memoriam Passionis, Mortis, et Resurrectionis D. N. I. C. peragi debent in maiori hebdomada, non omittantur *in minoribus Ecclesiis*, et signanter parochialibus *etc.*" Iam nunc ecclesiae huiusmodi minores, ius profecto non habent Sacramentum asservandi, quas nihilominus considerarunt eminentissimi Principes. Videntur ergo et istae easdem posse, eodemque modo minus solemni, praefatas functiones peragere, consequenter et Sacramentum in sepulcro posse condere, uti in paroeciis.

Sed iterum dubitandi subest ratio, quia decretum nonnisi paroecias nominat, reliquas minores ecclesias silet; ait enim: "Affirmative (*quoad celebrationem harum functionum in triduo mai. hebdom.*) et ad mentem. Mens est, ut Locorum Ordinarii quoad *paroecias*, in quibus haberi possunt tres quatuorve clerici, sacras functiones feriis V et VI ac Sabbato Maioris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis

Benedicti XIII anno 1725 iussu editi: quoad alias *paroecias*, quae clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi **(petita quotannis venia)** feria V in coena Domini Missam lectam celebrare possint. Quid de aliis minoribus ecclesiis, et a fortiori de Oratoriis, et Cappellis etsi publicis? Nihil. Quod ergo velut incertum enunciavimus, nunc uti certum docemus; quod enim considerationis obiectum fuit in consessu Purpuratorum Patrum, latius erat, sed Decreti materiam non constituit. Ergo cum De Herdt certo concludendum, vi legis Sacramentum recondere in altari, quod vulgo dicitur sepulcri, in omnibus minoribus ecclesiis esse prohibitum, quae saltem parochiales non sint.

Resp. 3. Idem dicendum, hoc est vetitum esse per se, agere alias functiones Tridui mai. hebdomadae proprias in iisdem ecclesiis minoribus, haud saltem parochialibus. Primo, quia praefatum Decretum d. d. 28 Iul. 1821, confirmatumque a Pio Papa VII d. 31 Iul. eiusdem anni, quod est *Resolutionis Dubiorum* ad 1, loquitur explicite de omnibus functionibus quae peragi in eiusmodi Triduo solent, uti superius ostensum est. Secundo, quia in ipso Rituali parvo verba semper fiunt de Parocho, de Rectore parochialis Ecclesiae, de suis parochianis etc. ut proinde nonnisi et solas parochiales ecclesias respiciat. Tertio quia aliud minus relatis antiquum decretum *Mechlinien.* d. d. 16 Mart. 1876, a Pio Papa IX confirmatum d. 23 eiusdem mensis et anni, quaerebat a S. R. Congregatione: "An in dictis minoribus Ecclesiis non parochialibus, et Oratoriis (*Regularium, Fratrum Religiosorum et Monialium uti antea dicitur*), officia hebdomadae Sanctae, aliaque similia, iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII persolvi possint?" Responsum est autem: "Negative".

Cumque in hac negativa hypotesi postularetur Indultum, S. R. C. respondit; " Ad Postulatum: pro gratia iuxta modum; nimirum ut petita facultas concedatur solummodo Oratoriis, sive publicis, sive privatis, Monialium sub clausurae lege viventium, et aliis Oratoriis sive Ecclesiis publicis pro locorum necessitate, sive magna utilitate, iuxta prudens Rm̃i D. Ordinarii pro tempore arbitrium, et facto verbo cum SSm̃o. " *Qui benigne annuit pro gratia... limitato tamen tempore ad proximum quinquennium.*

Et peculiariter notandum, Calendarii Redactorem in Mechliniensi Dioecesi exposuisse S. R. Congregationi, in dictis ecclesiis minoribus non parochialibus functiones mai. hebdomadae solemniter quidem non posse fieri *ob defectum sive Ministrorum sive paramentorum*, bene tamen fieri posse *convenienter iuxta praefatum parvum Memoriale Rituum*. At, hisce haud obstantibus responsum negativum S. C. dedit. Ergo, quidquid in contrarium appareat, nobis concludere licet: In ecclesiis, quae minores sunt et non parochiales, uti Oratoria Hospitalium, functiones Tridui mai. hebdomadae proprias, etsi nonnulli haberi possint clerici, peragere vetitum est, sine speciali Indulto. Excepimus nihilominus Officium Tenebrarum, contra quod recitandum aut decantandum, rationes in Decretis allatae nulla ratione militant.

Nota. Hanc ex resoluto quaesito occasionem nanciscimur animadvertendi, Parochos pro functionibus mai. hebdomadae agendis in eorum Ecclesiis, si tres quotuorve clericos habeant, nulla indigere venia Ordinarii. Qua revera opus quotannis habent alii ex Parochis, qui clericis destituuntur, et Missam lectam solum celebrare ob populi commodum optant. Ita manifeste Decretum supra relatam *Resolutionis Dubiorum*,

licet in Ephemeridibus duplex negotium istud haud distinctum alibi fuerit (*Vol. VI, 1892, pag. 161, IX Dub*).

II. *E Dioecesi Briocensi.* **De loco Celebrantis Vesperas ad Antiphonam finalem, si Vesperae ex libito celebrentur.** Quando post Vesperas, omisso Completorio, canitur finalis antiphona, ubinam esse debet Celebrans Vesperas?

Resp. Praemittimus, quaecumque officia, seu functiones liturgicas, sive in praecepto, sive ex lubito fiant, uti praescripta sunt, ita esse peragenda. Praeceptum enim non tangit agendi modum, sed actum: at si actus, etsi non praeceptus, ponatur, profecto ita persolvendus uti praescriptus est. Sic Sacerdos, uti talis non tenetur quotidie Missam facere; at si faciat, nonne iuxta Rubricas eam celebrare tenetur? A pari; agitur enim de actu liturgico.

Hoc posito, proposito dubio respondemus, Caeremoniale esse servandum; non enim alia habetur lex pro cantandis Vesperis in choro. Caeremoniale vero ita se exprimit: " Si vero non sequatur Completorium, expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac *eodem loci*, dicto etc. incipit Antiphonam B. Mariae, stans *ibidem*, seu genuflexus etc. iuxta regulas Breviarii (*Lib. II, Cap. III, n. 15*) ". Eiusmodi se exprimendi ratio legis, omnem excludere videtur dubitationis locum. Ergo non ad altare, sed ad subsellium dicenda antiphona a Sacerdote et Ministris.

Notandum nihilominus, Rubricas, sicuti ceteras leges, pro hominibus esse latas, haud pro legibus homines factos, easque habere pro finali obiecto cultum Dei, Deique domus decorem. Haec autem, attentis locorum adiunctis, obtineri quandoque non possent, si Rubricae litterae materialiter inhaerendum esset:

quo in casu, facile diversa inducitur consuetudo, quae non est quidem secundum litteram, sed spiritui Rubricae apprime respondet. Nunc autem indubie est, chori formam, consequenter et subsellii, ubi Celebrans et Ministri sedere, vel manere genuflexi deberent, ita esse quandoque confectam, ut eosdem genuflexos, continere nequeant sine dedecore, atque etiam sine gravi et Sacerdotis et Ministrorum incommodo. Quid tunc putares agendum? Nil magis congruum quam ad gradus altaris pergere, ibique antiphonae finalis a Sacerdote ad subsellium intonatae cantum audire. Ita spiritui legis magisquam litterae inhaerentes plures in Urbe ecclesiae agunt, et citra dubium laudabiliter, cum fieri decenter aliter nequeat.

Inquiri ulterius posset, ad eiusmodi finalem antiphonam quod spectat: 1. Utrum cani possit, aut debeat vi legis: 2. Utrum sit praeintonanda in casu affirmativo: 3. A quibus dicendi versiculi et quo modo?

Respondemus ad primum, Caeremoniale Episcoporum non facere verba de cantu, sed solum de recitatione, cum dicat, versiculum, orationem et *divinum auxilium* dicenda esse *voce submissa*. Id autem Caeremoniale innuit, quia cum pars officii non sit antiphona finalis, nec cani supponitur, sed recitari tantum. Cum nihilominus in Directoriis chori primae inscriptae sint notae intonationis, et integer notatus sit in respectivis codicibus antiphonarum finalium cantus, nihil obstat, quominus cantari queant, sive dicatur, sive non, Completorium, ratione solemnitatis. Hinc Castaldus supponit, easdem antiphonas cantari diebus dominicis, in quibus solemnius quam ferialibus officia persolvuntur (*Lib. II, Sect. III, cap. I, n. 16*). Potest itaque cani, nusquam tamen datur antiphonae finalis canendae praeceptum.

Respondemus ad alterum, antiphonas finales non esse praeintonandas; seu quia lex nonnisi antiphonas Vesperarum et Matutini, quae solemniori ratione cantantur psalmumque post se habent, praecipit intonari ac praeintonari: seu quia licet cum cantu dicantur hae antiphonae finales, locum semper habent post officium, cuius partem non efficiunt, et solemnitas iam absoluta est. In casu autem sola intonatio sufficit: ceterum, sicut intonatio extat in Directorio chori, ita ne verbum quidem ullibi de praeintonatione.

Ad tertium respondemus, legem haud perspicue loqui, cum non supponat cantum, sicut antiphonae, ita et versiculorum. Hinc varius est et in Urbis ecclesiis usus. In nonnullis versiculos Sacerdos et ministri, etiam post cantum antiphonae, ad altare clara voce recitant: in aliis ipsi cantores modulantur ad legile: in aliis, uti ex. gr. in Lateranensi, ipsimet ab orchestra musici. Arbitramur ergo, in unaquaque Ecclesia consuetudinem servari posse, quae viget.

Nota. Ad argumentum, a Rev. Inquirente adhibitum circa praeferendam Dominicae vel non commemorationem duplicis, instar simplicis redacti in concurrentia, momentis iam alibi pro et contra expositis aliquid ulterius addere vix utile iudicamus. Rev. Inquirens consulat, si libeat, Ephemerides in respectivis locis, vol. I, pag. 731 et seq. — Vol. II, pag. 217 et seq. — Vol. V, 677 et seq.

III. *E Germania inferiori.* **De commemorationibus eiusdem obiecti.** Quaenam sequenda regula circa commemorationem faciendam vel omittendam ratione identitatis obiecti, in festis tam Deiparae, quam Domini?

Resp. 1. Exploratum est, ad omittendam commemorationem festi B. Mariae concurrentis cum alio eiusdem Virginis festo, identitatem obiecti seu myste-

rii non requiri, sed sufficere identitatem subiecti, de quo utrumque festum concurrit. Hoc ex pluribus decretis constat, et adm. Rev. Inquirens admittit; ab eo ergo principio comprobando libenter abstinemus. Sed aliter res se habet cum duo concurrunt festa Domini; tunc enim ad omittendam alterius commemorationem non sufficit identitas subiecti, de quo duo festa concurrunt, sed requiritur obiecti seu mysterii identitas: secus commemoratio facienda praescribitur. In utroque autem casu seu nempe duorum Deiparae festorum, licet diversum habentium obiectum, seu duorum festorum Domini, eiusdem tamen obiecti, semper commemoratio alterius in concurrentia omittitur, ne bis de eodem fiat. Quod si ratio inquiratur discriminis in identitate diiudicanda, respondemus, eam fortasse consistere in superiori Domini, prae Deiparae, excellentia: adeo ut quod pro ista satis est ad identitatem constituendam, non sufficiat pro illo, sed quid aliud exigatur.

Iam nunc eamdem tenendam regulam in occurrentia festorum, seu Virginis seu Domini, inter se, dubitari non potest. Si quandoque nempe accidat, ut festum aliquod Domini occurrat infra aliquam alterius festi Domini octavam, tunc si obiecti detur identitas inter utrumque festum, citra dubium commemoratio octavae omittenda, secus adiicienda. Pone ex. gr. alicubi festum SSmi Cordis cum octava celebrari, et infra eamdem occurrere festum translatum Inventionis S. Crucis: putasne ad Vesperas utrasque et ad Laudes praedicti festi, commemorationem fieri de SSmo Corde? Non credimus; quia in officio de Sacramento non admittitur com. SS. Cordis, quod in Eucharistia continetur; atqui in eodem officio de Sacramento, utpote Memoriale Passionis, excluditur com. Crucis; ergo ne-

que in officio de S. Cruce com. SS. Cordis admittenda est. Argumentandi rationem omnino certam iudicamus.

Quaestio ergo potius versatur in vera identitate festorum Domini, non tam ad subiectum, quam potius ad obiectum seu mysterium quod attinet. Fieri enim potest, ut duo mysteria censeantur eadem, quae forte diversa a S. R. Congregatione iudicantur: alia e converso, quae forte diversa quoad mysterium iudicantur, eadem a S. R. Congregatione censeri possunt. Hinc fortasse est, quod duobus Domini occurrentibus festis, nempe Instrumentis Passionis Dominicae et Fugae eiusdem Domini in Aegyptum, vel SS. Redemptoris, applicandum esse decrevit S. R. C. Decretum *Ord. Min. S. Franc. de Observantia:* Quod docet, duobus concurrentibus festis eiusdem Sancti, in paritate ritus, faciendum esse de occurrente festo sine ulla commemoratione sequentis. Id significat, haec tria festa considerata a S. R. Congregatione fuisse tamquam eiusdem mysterii, licet appareant diversa, quod materialiter verum est. Secus praefatum decretum, si authenticum sit, explicari non posset.

At oppones: si vera sint exposita, quare eadem S. R. C. in eodem Decreto iubet festum SS. Redemptoris occurrens in die octava Passionis Domini transferendum? Dum ad festa plura Deiparae quod attinet, eadem S. C. decernit nihil faciendum de octava, et festum in ea occurrens celebrandum esse? Respondemus, quia aliud est commemorationem omittere ob identitatem obiecti, aliud est ob eamdem rationem totum festum ad nihilum redigere. Illud in festis Domini solet quoque fieri, istud vero non fit, nisi in festis Sanctorum et Deiparae. Indubie Sacramentum et Cor Iesu idem constituunt obiectum, unde in octava Corporis Christi nulla fit de Corde Iesu commemora-

tio. Iam pone, quidquid sit de possibilitate, octavam Corporis Christi et festum Cordis Iesu eadem die occurrere, censeres ne alterum omitti, alterum festum celebrari? Minime gentium. Exceptio pro Sanctis et Deipara, non tangit festorum Christi celebrationem integram, uti ex pluribus decretis satis abunde notum fit.

Si tandem Ven. Inquirens postulet, quaenam inter festa Domini censenda sint eiusdem obiecti, ingenue fatemur, non posse nos in certum discrimen responsum nostrum adducere. Certum id est, ex decretis, de Passione et de Eucharistia, proinde et de festo SS. Cordis Iesu; at de reliquis non est nostrum respondere, sed competentis tantum auctoritatis.

IV. *Ex Urbe.* **De duplici genuflexione Diaconi pacem dantis.** An Diaconus debeat descendere in planum Presbyterii ad pacem dandam Subdiacono, item genuflexionem facere ibidem, antequam ascendat ad Altare?

Resp. Negative ad utrumque, ut clare constat ex Rubr. Miss. (*Rit. celebr.*) Tit. X, n. 8. Ibi praecipit genuflexionem unam Diacono faciendam antequam descendat et pergat ad dandam pacem Subdiacono; et, data pace secundam exigit genuflexionem postquam conscenderit suppedaneum, quin ullam mentionem faciat de tertia genuflexione in medio. Rubrica praeterea non praecipit Diacono ut descendat in planum, sed tantum dicit: *vertit se ad Subdiaconum retro post celebrantem.*

Idem probatur ex Auctoribus Liturgicis. Cl. Martinucci, Lib. I, c. XIII, n. 95, haec habet: " Post haec „ (pace accepta a Celebrante, Diaconus) genuflectet, se „ convertet dextrorsum, descendet de suppedaneo gradum unum, pacem dabit Subdiacono, manus illi im-

„ ponens humeris, et dicens *Pax tecum*. Pace data, re„ verebitur ipsum, conscendet suppedaneum ad sini„ stram Celebrantis, genuflectet et subsistet ad Missale„. Lib. II, c. IV, n. 204, idem prorsus dicit, adhuc clarius magis declarans gradum in quo se sistere debet ad pacem Subdiacono dandam, ubi dicit: “ ... descendet super primum vel alterum gradum... „. Et alibi passim. — Cl. Baldeschi tom. II, P. I, c. VI, n. 33, idem docet. — Cl. A. Carpo idem tradit. P. II. de Missa solemni c. IV, art. II, n. 176. Aliique Auctores communiter tenent hanc sententiam. Est denique praxis communis Ecclesiarum Urbis.

N. B. Quoad Subdiaconum, antequam a Diacono osculum pacis accipiat, nullam genuflexionem facere debet; quia non recedit e medio Altaris, quia haec non est praescripta a Rubr. Miss. loc. cit., neque ab Auctoribus supracitatis, neque traditur a praxi communi Urbis, imo his omnibus repugnat. Quoad Auctores sufficiat citare Cl. Martinucci Lib. I, c. XII, n. 65, Lib. II, c. IV, n. 205. Cl. Baldeschi loc. cit. c. V, n. 30. A Carpo P. II de Miss. solem. c. IV, art. IV, n. 195.

Accepta pace a Diacono, Subdiaconus genuflectit in infimo gradu, eodem momento, quo Diaconus genuflectit in suppedaneo, ad maiorem congruentiam ac decorem, deinde pacem affert ad Chorum.

V. *E Brixia*. **De Oratione *A Cunctis* vel de Spiritu Sancto in Vigilia Omnium Sanctorum.** In Vigilia Omnium Sanctorum, cum fit de semiduplici occurrente, vel de quocumque votivo, tertia Oratio esse ne debet de Spiritu Sancto iuxta Rubricam Missalis, an potius *A cunctis* iuxta Decretum *Ord. Capuccinorum*, d. d. 18 Iun. 1710 ad 1?

Resp. Rev. Inquirens, Dubium exponens advertit, se non nescire recentius Decretum 18. Iul. 1881, quod

nos in authentica Collectione reperire non potuimus: ut super eo nil dicere possimus. Ab hoc itaque abstrahentes respondemus, Rubricam Missalis, et Decretum *Ord. Capuccin.* optime inter se cohaerere, et Ven. Inquirentem haud diligenter ea forte legisse. Sane, licet in Missa huius Vigiliae inscriptae habeantur prima Oratio de Vigilia, altera de Spiritu Sancto; in Rubrica nihilominus praecedenti haec habentur: " Si in Vigilià Omnium Sanctorum occurrerit Missa de aliquo semiduplici, tunc tertia Oratio erit, *A cunctis,* non vero de Spiritu Sancto. „ Decretum vero inquirit: " Si contingat fieri Officium semid. in Vigilia festi Omnium Sanctorum, utrum... dici debeant suffragia communia in Laudibus, et Oratio *A cunctis* in Missa, an vero... dicenda in Missa Oratio de Spiritu Sancto? „ Porro responsio est: " Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam „. Ergo vi seu Rubricae Missalis, seu Decreti, quae apprime inter se conveniunt, quando in Vigilia Omnium Sanctorum fit de semiduplici, sicuti prima Oratio de festo esse debet, altera de Vigilia, ita tertia esse debet *A cunctis,* haud vero de Spiritu Sancto.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

LAETOS · TOLLITE · PLAVSVS
QVIRITES
TRIVMPHALES · CERTATIM · NECTITE · CORONAS
LEONI · XIII · PONT. MAX.
AVSPICI · FAVSTITATIS
INVICTO · DIAE · RELIGIONIS · PROPVGNATORI
CVI · ORBIS · CATHOLICVS · ADCLAMAT · VNIVERSVS
VIVAT · VALEAT · REGNET
PATER · ET · PRINCEPS · PROVIDENTISSIMVS
QVO · SOSPITE · SOSPES · ERIT · ROMA
IPSE · PETRI · APOSTOLI · DIES
IN · ROMANA · SEDE · AEQVET
SVAMQVE · ADSPICIAT · VRBEM
INCONTAMINATIS · FVLGENTEM · HONORIBVS
IPSE · ECCLESIAE · DEI
DECORA · ET · TRIVMPHOS · AVGEAT

IAM · TVA · VESANOS · SAPIENTIA · PERCVLIT · HOSTES
TOTO · SACRORVM · PRAESES · IN · ORBE · LEO
TE · MERITO · ALME · PARENS · EVROPA · CELEBRAT · HONORE
TE · SIMVL · ADVERSO · TERRA · REPOSTA · POLO
SACRAS · CERNE · ARCES · VICTRICIA · MOENIA · MVNDI
TE · AVCTORE · IN · PRISCVM · RESTITVENDA · DECVS
PLAVSVM · VRBS · INGEMINAT · CVI · TV · DVM · CVNCTA · PRECARIS
FAVSTA · OCVLIS · MIRVM · PANDIS · ET · ORE · IVBAR
IPSE · TIBI · PLACIDIS · TIBERINVS · PLAVDIT · AB · VNDIS
ATTONITVS · TALI · NVMINIS · IMPERIO
VIVE · DIV! AFFLICTIS · DISCIT · CONFIDERE · REBVS
TVTA · SVB · AVSPICIIS · MAXIMA · ROMA · TVIS

DAVID · FARABVLINI
ANTISTES . DOMVS . PONTIFICALIS

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Continuatio V. n.* 1 *ann. curr.*)

IV.

1. Pars, quae in antiquioribus Ecclesiae moribus post angelicum hymnum concinebatur (1), dum Diaconus ad cantum Evangelii se praeparabat, post Epistolam *Psalmus* erat *Responsorius,* sive *Responsorium Psalmi,* sive etiam *Psalmellus* uti in ritu appellatur Ambrosiano. Ad aevum usque S. Ioannis Chrysostomi mos iste Psalmi Responsorii perdurabat: homilia enim in Psal. 145 Dominica Palmarum habita, " Egrediamur, inquit, et nos:..... et clamemus quemadmodum

(1) Epistolam omittimus, cuius vix cantus, sed simplex fit recitatio in praesenti, uti in antiqua disciplina. Vetusti enim codices de epistola facientes verba, lectionem ut plurimum nominant, non cantum (*V. Georg. De Liturg. Rom. Pontif. Tom. II, cap. XVI*). Equidem in Caerem. Episc. nominatur cantus Epistolae; quia alta voce legitur, et quasi modulate; at si unam excipis notam sub fine, fatendum tibi est Epistolam non concini sed recitari. Namque modulatio fert ex natura sua vocis motum, nunc in acutam, nunc in gravem partem, quod in Epistola non comprobatur. Arroges in pluribus Ecclesiis neque vigere consuetudinem, ut vox sub fine Epistolae elevetur. Dicere ergo *cantus Epistolae* est quid improprium, cum revera non cantetur, sed alta voce in solemni Missa legatur.

hodie hypepsallomen (hoc est Psalmo succinuimus sive respondimus) etc. „

Sed, subsequenti aetate, mos integrum canendi Psalmum Responsorium, in Oriente prius obsolevit: et duo tantum versiculi ex aliquo ferme Psalmo excerpti, locum obtinuere. In Occidentem postea Responsorius Psalmus sic contractus transvectus fuit, infra SS. Leonis et Gregorii tempus, ut nunnulli putant (1).

Et tunc sicut *Procìmenon* (*Responsum*) apud Graecos; ita *Responsorii Gradalis* seu *Gradualis* apud Latinos bini isti versiculi nomen adsciti sunt. Responsorii, quia lectioni convenire seu respondere debebant, vel quia e choro, uno desinente, alter respondebat: *Gradalis* vero seu *Gradualis*, quia super Ambonis gradus concinebantur (Rabanus, *De Div. Off. lib. 1, c. 33*).

2. Ab Italis *Responsoria* inventa fuisse asserit Isidorus (*lib. 1, cap. 8, De Eccl. Offic.*). Sed a quo praecise, et quonam tempore instituta sint, incertum est. Sunt qui Gregorio Magno illa tribuunt: sed, uti sapienter observat Emus Bona (*Rer. Liturg. lib. 2, c. IV, VI*), haud recte. Gregorius enim in suo Antiphonario digessit quidem quae in singulis Missis per annum cantari solent: at usum psallendi vel aliquot Psalmi versiculos, vel integrum Psalmum Epistolam inter et Evangelium, multo antiquiorem fuisse, saltem in Africa, Augustinus ostendit; in sermone namque octavo (*De verb. Apost.*): “ Apostolum, inquit, audivimus, *Psalmum audivimus*, Evangelium audivimus „: et infra (*serm. 10*): “ Primam lectionem audivimus Apostoli, deinde *cantavimus*

(1) Vestigium antiquitatis remansit in hodierna disciplina liturgica; namque in Dominica prima Quadragesimae, integer post Graduale habetur psalmus pro Tractu, item in feria VI Parasceves.

Psalmum: post haec Evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit „.

Cl. Bonae adnotator Sala, alienum a veritate non putat, Ecclesiastica Responsoria ex aevo Apostolico originem ducere, ex illo Philonis, ubi de Ascetis Aegyptiis loquens, ait (*apud Euseb. Hist. Eccl. l. 2, c. 17*): “ Cum unusquispiam modulare, ac decenter Psalmum canere exorsus fuerit, ceteri cum silentio auscultantes extremas dumtaxat hymnorum partes simul concinunt „. Auctorem tamen horum Responsoriorum idem cl. Sala Museum facit Massiliensis Ecclesiae Presbyterum, qui saeculo V floruit. De ipso enim Gennadius (*lib. de Script. Eccl. c. 79*) tradit, eumdem excerpsisse “ de sacris Scripturis lectiones totius anni festivis diebus aptas: Responsoria etiam Psalmorum, capitula temporibus, et lectionibus congruentia „.

3. Toto omni cursu haec Responsoria canebantur: exceptis tantummodo Paschalibus diebus et Octava Pentecostes. En ratio quam affert Rupertus huiusmodi exceptionis; “ Graduale ad poenitentiae respicit lamentum, cantus asper et gravis, adeo ut illud excellentibus efferre vocibus, nec usus, nec decus sit; significat enim non requiem remuneratorum, sed laborem operantium (*De Div. off. lib. 1, c. 34*) „. Ideoque tempore Paschali, quod symbolum est beatitudinis et requiei aeternae *Graduale* non decantabatur; sicuti nec in octava Pentecostes, quia, ut prosequitur laudatus Rupertus, “ dies illi futurum in regno Dei felicem Sanctae Ecclesiae statum significant (*id. ibib.*) „. Sed et ipsa exceptio patiebatur exceptionem. In prima enim hebdomada Paschalis temporis, licet et ipsa symbolum beatitudinis et requiei aeternae, propter Neophitos tamen *Graduale* canebatur, ut ex ipso intelligerent ac discerent, quod in vocatione, qua vocati erant, con-

tinuo se exercere debebant: sicuti praelaudatus Rupertus insinuat, inquiens: „ *Graduale* quod est cantus laborantium in sua peregrinatione, iam dictum est ad dies Resurrectionis usque ad Pentecosten non pertinere; sed propter baptizatos per hanc hebdomadam in officiis additum esse; ita tamen, ut sicut his, propter quos additum est, militiae laborem quem arripuerunt, praesens sublevet gaudium de recenti remissione peccatorum (*De Div. Off. lib. 8, c. 1*) „.

4. Varius multum fuit ritus Responsorium canendi. In origine cantor unus *Gradale* praecinebat. Uti videre fas est in Isidoro (*lib. 1, De Divin. Eccl. offic. c. 8*), in Ordine Romano I (*nn. 7, 10, 26*), in Ordine Romano III (*n. 7*) ac in Amalario, qui (*in lib. 3, c. 11*) semper singulari numero cantorem, cui Graduale praecinendum erat, vocat.

Diu Romana Ecclesia veterem hunc morem constanter retinuit. In eaque, ad aliarum differentiam, maioribus scholae cantoribus munus Responsorii canendi commissum fuisse supracitati Ord. Romani ostendunt. In aliis e contra, Psalmistae munere hoc fungebantur, uti tradit Isidorus (*cap.* Perlectis *dist. 25*), imo, quandoque ipsi pueri (*Vide Sychardum Cremonensem Episc. in suo Mitrali ms.*). Insuper in Romana Ecclesia cantor haud solum Graduale praecinebat, verum ad finem usque solus totum perducebat: „ Item de Responsorio Graduali, ab *incipiente usque ad finem* cantatur (*Ord. Rom. I, n. 26*) „. Amalarius etiam atque Rabanus docent in Responsoriis, *id ab altero responderi*, quod ab alio fuerat cantatum. Sed a pervetusto hoc more et Romana postea descivit Ecclesia: cum et in ea progressu temporis, ab uno vel duobus cantoribus inchoari tantummodo Responsorium coepit Gradale, cantorum choro illud ad finem usque prosequente.

" Cantor.... ascendit.... et solus inchoat Responsorium, et cuncti in choro respondent (*Ord. Rom. II, n. 7, vid. etiam Rituale Benedicti Canonici, quod extat ms. in Ord. Rom. Vallicellano*) „. At quonam tempore praecise mos vetus immutari coepit, incertum est. Ex citato tamen Vallicellano Ord. Rom., qui circa saeculum decimum scriptus est, colligi quit, veterem morem, ut unus solus cantor Responsorium Gradale integrum praecineret, tunc temporis perdurasse (*Ita Cari, De Antiq. lib. Miss. pagin. XXV*).

Notatum etiam volumus, quod etsi, ut scribit Amalarius (*lib. 4, c. 3*), in Responsoriis solerent (cantores) vocem altius elevare quam in Psalmis et Hymnis; cum primum tamen a cantore praecinebatur, pressiore potius voce cantus ducebatur, eo quod adhuc nesciret acuta ne voce an inclinata finiretur versus (*id. lib. 3. c. 11*): " Versus timore non est ausus (cantor) alte levare Responsorium, nescit quomodo finiat versum... In repetitione Responsorii (cantor) exaltat vocem fiducialiter iam non timens versum „.

5. Expleto ab uno vel pluribus cantoribus toto Responsorio, Chorus vel Schola Cantorum pariter totum illud respondebat sive repetebat. Amalarius (*De Ordin. Antiph. c. 18*) ait: " Apud eam (Romanam Eccl.) Praecentor in primo ordine finit Responsorium; Succentores vero eodem modo respondent „. Vulgatus Albinus (*cap. De Celebr. Miss.*): " Postmodum cantatur Responsorium, dictum quod a *capite* repetatur (1)„.

---

(1) Iuxta disciplinam vigentem nulla, ordinario, verborum, quae Epistolam sequuntur, repetitio datur, *alleluia*, nec semper, excepto. Omni tempore, paschali excepto, statim post Epistolam Graduale canitur, quod duobus constat versibus, pluribus autem in Quadragesima, sed prout inscriptum est, sine repetitione can-

Repetito a choro Responsorio, cantor qui illud praecinerat, Versum sive unum sive plures, solus canebat: postque quemlibet versum statim schola cantorum secundo vel tertio etc. Responsorium repetebat. „ Finito Versu, Succentores vero *secundo* incipiunt Responsorium a capite, et usque ad finem perducunt „ (*Amalarius, De Ord. Antiph. c. 18*).

Porro sequenti aevo festis diebus praetermitti coepit haec repetitio post Versum, cum illis diebus *Alleluia* vel *Tractus* Responsorium sequebatur. In illis Missis e contra in quibus *Alleluia* vel *Tractus* locus non erat, antiquus servabatur usus. Rituale Benedicti Canonici (*n. 35*): „ Per totam Quadragesimam reiteratur Gradale infra hebdomadam, *nisi fuerit aliquis Tractus* „. At Durandi tempore prorsus obsolverat mos antiquus Responsorii repetendi in generaliore usu. In generaliore, diximus, usu, Praemonstratenses enim et Carmelitae adhuc repetitionem Gradalis in sui Missalibus praescribunt, cum post illud nec *Alleluia* sequitur nec *Tractus* (*Cari, loc. cit. pag. XXVI*).

Demus iam exemplum, quo expeditius cognoscatur, quomodo iuxta veterem morem Gradale Responsorium decantari soleret, ex Missa Feriae IV maior. hebdomadae. Cantor unus stans in gradu Ambonis inferiore, deposita casula, sola alba indutus, non excelsa voce praecinit ℟. Gradale: *Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.*

---

tatur. Pro graduale bis paschali tempore canitur *alleluia*, quae vox iubilationis proinde iteratur. Vestigium nihilominus et in praesenti habetur antiquitatis in hymno, post Epistolam canendum *Benedictus Domine*, in Sabbato quatuor Temporum Adventus et Quadragesimae, illius enim pars altera *Et laudabilis*, pluries, veluti intercalaris versus, repetitur.

Schola sive Chorus cantorum stantium cum suis casulis elevatis cum sinu repetit idem ℟.: *Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.*

Cantor ille de gradu canit ℣. I: *Ne avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam:*

Schola sive Chorus ℟. Grad. respondet: *Domine exaudi* etc., *et clamor meus ad te veniat.*

Cantor idem ℣. II: *In quacumque die invocavero te; velociter exaudi me:*

Chorus ℟.: *Domine exaudi* etc., *ad te veniat.*

Cantor idem ℣. III: *Quia defecerunt sicut fumus dies mei; et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt:*

Chorus ℟.: *Domine exaudi* etc., *ad te veniat.*

Et sic repetitur usque ad finem.

6. Insuper, ut supra iam innuimus, Responsorii Gradalis praecentor casulam deponebat et cum alba tantum munere suo fungebatur. " Albam, inquit Amalarius (*lib. 1, c. 15*), sine casula portat lector seu Cantor in singulari officio „. Hinc in antiquis Ritualibus praescribitur ut Albati Cantores, id est sine casula, Gradalia canteut Responsoria. Ambonis denique gradus, a quibus, uti diximus, Graduale nomen accepit, praecentor ascendebat cum Cantatorio, libro scilicet Gradali, etiamsi opus illi non esset ut legeret, ibique decantabat. Ordo Romanus I (*n. 10*) ait: " Postquam (Subdiaconus Epistolam) legerit, Cantor cum Cantatorio ascendit, et dicit Responsum „. Ordo Romanus II (*n. 7*): " Cantor cum Cantatorio sine aliqua necessitate (etiamsi idest Cantatorio opus non habeat) ascendit „. Expressius Amalarius (*lib. 3, c. 16*): " Cantor sine aliqua necessitate legendi, tenet tabulas in manibus, etc. „.

7. Locus, diximus iam, in quo Responsorium canebatur Gradale, gradus erant Ambonis. Ast, ut quisque

probe noscit, duplicem nonnullae Ecclesiae habebant Ambonem, unum in Australi parte pro Evangelio, in Aquilonari alterum pro Epistola. Iam certum est in Ambone Epistolae Gradale praecini, sed quo loco praecise Ambonis latet. Fortasse in prioribus gradibus ascensus, uti eruere licet ex structura illius, in pervetusta Ecclesia S. Clementis Urbis extantis. In quo Ambone Aquilonaris partis, duplex extat pulpitum: supernum unum, ad librum Epistolarum recipiendum aptum, et ita positum, ut legens ad altare conversus sit et ad Occidentem: inferius alterum statim in prioribus gradibus Ambonis positum, ad sustinendum codicem cuiuscumque molis aptissimum, portamque Ecclesiae versus situm ac Orientem. In isto ultimo fortasse concinebatur Gradale, sicut expresse Durandus testatur (*lib. 4, c. 20 n. 8*), in eo cani *Alleluia* Lectionesque in nocturnis officiis (1). Ubi vero unicus extabat Ambo Australis pro Evangelio, in eodem Ambone quidem, sed in inferiori gradu, Responsorium praecinebatur. Ita plures Romani Ord.: sufficiat VI tantum referre (*n. 5*): " Finita vero lectione, illis qui Gradualem et Alleluia cantaturi sunt, iuxta pulpitum in inferiori gradu standum est „. Amalarius (*Egloga n. 14*): " Non ascendit superius (in Ambone) qui Responsorium cantat quam qui lectionem legit; sed stat in eodem loco „. Vetus denique ms. Expositio Missae ex concordia Scripturarum Divinarum ait: " Ubi Evangelium legitur, Epistola legi non debet, sed in supe-

(1) Conscendendi pulpitum sublato more, forte et usus desiit canendi per Subdiaconum, quae sequuntur Epistolam. Quidquid sit, praesens fert disciplina, ut omnia moduletur e suo loco cantorum schola, praecentore incipiente: quod seu de Graduale, seu de *alleluia*, seu de Tractu comprobatur.

riori gradu, ...nec in eodem gradu Responsorium vel Alleluia cantari debet, quo recitatur Evangelium Christi „.

Praecinebatur autem Gradale, Responsorium, Epistolam inter et Evangelium, dum ad hoc ultimum legendum Diaconus se praeparabat, ne in silentio vacaret totum illud tempus sine cantu. Ita Bellarminus (*lib. 1, c. 16, De Missa*). Hinc a romanis cantoribus, tradit Macrius (*Hierolex. ad verbum* Graduale), celerius aut tardius respective ad functiones Diaconi, iuxta quas commensurari debebat, canebatur.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 11, pag. 648*).

Quaeres 6. Quid de Reliquiis Sanctorum dicendum, in solemni Expositione Sacramenti?

Resp. Reliquiae Sanctorum vel ad cultum exponi possunt, vel ad ornatum. In primo casu exponitur Reliquia inter lumina in medio altari. In altero vero inter candelabra Reliquiae disponuntur. Illud in Expositione solemni prohibetur, imo et in privata; cum enim ad Christum adorandum expositio fiat, locum habere non potest honor Sanctorum, qui eumdem cum Angelis Deum tunc adorant. Istud vero utrum sit in quacumque solemni expositione prohibitum, certo non potest asseri; cum Instructio Clementina id ve-

tans, nonnisi Urbem respiciat, cui tamen omnes laudabiliter se conformant.

Quaeres 7. Quid sit, quidque peculiariter observandum, si fiat Expositio sub forma Quadraginta Horarum?

Resp. 1. Expositio sub forma Quadraginta Horarum illa dicitur, in qua Sacramentum solemniori modo quo potest publicae adorationi exponitur per Horas quadraginta continuas. Initium eiusmodi Expositio sumpsit Mediolani anno 1534, quam deinde post quatuor et viginti annos Pius IV Romae solemniter approbavit, probans confirmansque Romanam Sodalitatem *Orationis* seu *Mortis*, quae singulis mensibus hanc peragere Expositionem sibi proposuit. Denique Clemens VIII sub fine saeculi XVI peculiari Instructione in Urbe ipsa piissimum hoc institutum per annum perpetuo habendum voluit, methodumque praescripsit.

Resp. 2. *a*) Expositio Sacramenti iuxta Instructionem Clementinam, pro Oratione Quadraginta Horarum, in Urbe, praeceptiva est, extra Urbem in consilio: adeo ut quamvis laudandi qui se illi conformant, ad id nulla lege teneantur. *b*) Qui Clementinam in omnibus sequuntur Instructionem, etiam privilegiis, quae eidem sunt adnexa, fruuntur. *c*) Ubi tribus tantum diebus fit Expositio ad instar Quadraginta Horarum, Missa votiva de Sacramento solemniter cantari per se nequit, nisi Episcopus pro publica Ecclesiae utilitate illam indulgeat. Quo in casu censet Gardellinius, Clementinae Instructionis exceptiones et limitationes esse servandas (*Comment. ad Instr. Clem.* § *12, n. 24*). *d*) Idem de Indulgentiis dicendum foret, videlicet eas non lucrifieri; nihilominus, etiam cum hac Expositione ad instar Quadraginta Horarum easdem lucrifieri Indulgentias quae in Urbe lucrifiunt Benedictus XIV declarat (*Const. Accepimus*), sicut et S. In-

dulg. Congregatio (*28 Nov. 1724*). *e*) Sive per continuas, sive per abruptas quadraginta circiter horas Expositio fiat, quae honorem Sacramenti tangunt, servanda fideliter sunt. Hinc studium, ut aliqui saltem adoratores nunquam desint: numerus luminum et quidem cereorum saltem diu, solito maior adhibeatur: altare Expositionis, quod maius esse maxime convenit, splendidius ornetur: Missae in illo non celebrentur, nisi vera urgeat necessitas: tintinnabuli sonitus evitetur in Missis, quae in aliis celebrantur altaribus, fideles enim qui idem Sacramentum actu adorant, ab attentione divertuntur, etc. etc. Clementinae Instructionis observantiam, ad haec quod pertinet, non possumus, quin maximopere commendemus.

§ 5.

DE BENEDICTIONE CUM SACRAMENTO.

Quaeres 1. Quid pro benedictione hic intelligatur?

Resp. Sicuti Sacramenti Expositio esse solemnis potest vel privata, ita et benedictio, quae Expositionem sequitur; et de hac tantum dicendum nobis est. Pro qua nihilominus, invectam sequentes consuetudinem, totam intelligimus actionem, quam benedictio absolvit, et a qua praecipue, communiter saltem, nomen accipit.

Quaeres 2. Quaenam principaliter in initio huius actionis servanda?

Resp. 1. Pro benedictione solemni *a*) plures ministri, quantum fieri potest (1), non desint; satis enim

(1) Benedictio in suo complexu accepta, plura comprehendit, de quibus Rubricae et S. R. Congregatio silent, maxime quod ad

est incongruum, ut solus Presbyter omnia per seipsum peragat. *b*) Presbyter superpelliceo supra talarem vestem, stolaque indutus ac pluviali, ad altare pergit, praecedente clero. *c*) Diaconus Sacramentum in throno, sublimius in medio altari posito, notis ritibus exponit. *c*) Thus imponendum et benedicendum in thuribulo, Sacramento tribus ductibus adolendum. *c*) Quae tamen solus Presbyter superpelliceo et stola indutus una cum clerico potest peragere, si sub fine, iuxta consuetudinem, venturus sit alius Sacerdos pluviali indutus, et a clero consociatus, benedictionem solemniter datutus. *d*) Optime servari potest laudabilis consuetudo, qua clerus et populus dum Sacramentum exponitur, aliquid in eiusdem canteut laudem, puta *O salutaris Ostia* etc.

Resp. 2. *a*) Pro benedictione privata unus saltem non desit clericus, qui Presbyterum ad altare per-

---

ministrorum numerum attinet. Sed, re probe perpensa, dicendum credimus, naturam actionis huiusce, quae, prae privata, indubie solemnior est, solum Presbyterum pluviali indutum, absque ullo clerico, non posse pati. Satis intendimus, plura piarum mulierum Instituta, vel adolescentulorum, aut puellarum hospitia aegre dictam sententiam ferre, quae vel nunquam vel raro solemnis expositionis sanctam voluptatem eis permitteret. At animadvertimus, prae huiusmodi voluptate magis esse certo considerandam cultus imminutionem et irreverentiam in almum Sacramentum. Nimis enim dolendum, Sacerdotem aspicere solemniter indutum, per seipsum Sacramentum in throno exponere, et deponere: thus per se in thuribulum immittere in suppedaneo positum, vel incensationem penitus omittere: per se sibi pro benedictionis actu imponere humerale velum: aut laico adolescente, vel peius adolescentula pro his actibus uti etc. etc. Haec profecto tolerabilia non sunt: et potiusquam consolationi, reverentiae consulendum, adeo ut solemniorem centies sit melius omittere, et privata expositione uti, in qua idem Sacramentum adoratur.

gentem, superpelliceo ac stola indutum praecedat. *b)* Presbyter consuetis ritibus tabernaculum aperit, et ostiolo reserato, Sacramentum in pyxide clausum, quin extrahat e tabernaculo, ostendit populo, cavebitque abusum illud exponendi in throno. *c*) Thus, hac in expositione minus solemni, auctorum sententiis neglectis, adhiberi quidem potest, non tamen debet: quod si adhibeatur, eadem servabitur ratio, ac pro expositione solemni.

Quaeres. 3. Quid praecipue in decursu actionis servandum ?

Resp. *a*) Consuetae funduntur elata voce preces, quae recitari vernacula lingua nulla lex inhibet, quibus addi optime possunt Litaniae Lauretanae. *b*) Tam preces, quam Litaniae absolvuntur cum respectivis versibus et Orationibus. *c*) In his autem dicendis, si plures fuerint, ordo dignitatis servabitur iuxta subiectum, ad quod diriguntur: si cantentur, tonus in cunctis temporum adiunctis ferialis erit. *d*) Nulla lex generalis iubet, ut ad illius Orationes Collectae addantur, pro Missa ab Ordinario praescriptae: vel ut dicantur ad libitum in duplicibus secundae, in primae classis omittantur. *e*) Hisce absolutis, *Tantum ergo* canitur ad normam eorum, quae Caeremoniale Episcoporum praescribit pro die festo Corporis Christi (*Lib. II, cap. XXXIII, num. 2425, et seq.*)

Quaeres 4. Quaenam pro benedictionis actu servanda ?

Resp. 1. Exposito e throno Ostensorio, accipit illud Presbyter consuetis ritibus, seu super altare positum, seu e Diaconi manibus, quod commodius est (1).

(1) Oppositum id dici non potest Rubricis: Martinuccius id docet (*Lib. II. cap. II, n. 89 et 91*): Decretum *Asculan.* ad 3, quod con-

2. Duplex dandae benedictionis modus in usu servari optime potest, vel nempe facta cruce circulum perficere, uti mos est in Urbe, vel ante absolutionem circuli iterum Ostensorium reducere ante populum, et postea tantummodo perficere eumdem circulum. 3. Dum populos benedicitur, nihil canendum est, sed antea vel postea tantum. 4. Velum a benedicente ex lege adhibendum, sive de solemni sive de privata, in qua pyxis eodem velo cooperienda, benedictione agatur. 5. Benedictio, nonnisi absoluto *Tantum ergo* ac respectiva Oratione, danda est. 6. Una esse tantum potest, quae a simplicibus Sacerdotibus, trina quae ab Episcopis benedictio datur. 7. A clerico potest Sacramento in actu benedictionis thus adhiberi, sed necessario non debet, et campanula quoque pulsari. 8. Nil vetat, quominus vel aliqua laus recitetur, vel psalmus analogus, dum Sacramentum a Diacono reconditur, decantetur. Quae omnia indubie constant, seu ex Rubricis, aut Rubricarum spiritu, seu ex Urbis probata praxi, seu denique ex S. R. Congregationis decretis.

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

---

trarium videtur, loquitur de Caeremoniario, non vero de Diacono. Ostensorium tradente, 27 Maii 1788: Urbis praxis favet: denique hoc modo vitantur, quae oriri aliunde possent, incommoda, maxime si Ostensorium grandis esset molis.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

II.

DE ORGANORUM SONITU IN FUNCTIONIBUS LITURGICIS.

In pluribus italis ecclesiis consuetudo viget organa semper in liturgicis functionibus solemnioribus pulsandi, quando aperte non constat ex lege Caeremonialis Episcoporum, utrum pulsanda nec ne sint.

Ita pulsantur in solemnioribus Vesperis per integrum psalmorum decursum, dum Rubrica videtur sonitum tantum admittere in principio et in fine uniuscuiusque psalmi. In solemnioribus Missis pulsantur organa, non solum dum *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus* decantantur, sicut in aliis temporum adiunctis, iuxta legem, sed etiam dum Celebrans Praefationem cantat et Orationem Dominicam, imo et quando populum salutat per *Dominus vobiscum*, clerusque respondet. E contra tacent quandoque organa dum aliquis ex cantoribus quaedam verba, quae non cantantur, clara voce legit. Insuper cum alicubi consuetudo invaluerit, ut numquam, *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus* concinantur, nisi alternatim, sicut et pars Gradualis, Offertorium et Communio semper sub organo legatur; ita eo deventum est, ut quidam dicant, eiusmodi consuetudinem esse omnino servandam, et hae Missae partes non convenire ut decantentur seu pulsantibus

seu tacentibus organis, sed esse semper organis sonantibus alta voce ab uno tantum legendas. Quae cum quibusdam caeremoniarum magistris satis displiceant, sequentia nostrae Academiae dubia proposita sunt:

1. *Quandonam et quibus de causis organa invecta in templis fuerint, et num toto sint iure probanda?*

2. *Quaenam leges organorum sonitum dirigant in solemnioribus Liturgiae functionibus?*

3. *Quid dicendum de singulis, prout in casu expositum est?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Gustavi Corradi ex Alumnis Almi Collegii Capranicensis, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 13 Ian. 1892: acta Epitoma per Rmum. Dom. Dom. Philippum M. Canon. Difava.

I. Prima petitio inquirit, quasnam ob causas invecta organa fuerit in ecclesias, inde utrum probanda sint. Artes profecto non exoriri perfectas inter homines, unicuique notum est; imo neque uno temporis momento, plus minusve brevi, sed longiori temporis intervallo, studio et cura plurimorum illae enascuntur, ac saeculorum saepe cursu tantum perficiuntur. Si ad exordia proinde Ecclesiae accedamus, altum de organis silentium habetur; nec simplicitas, persecutio aliaque locorum temporumque adiuncta permittere organorum sonitum potuissent. Hinc indubia res est, tantum post pace Ecclesiae a Magno Constantino data, invenire organa potuisse locum in Ecclesiis. Antiquior (1) for-

(1) Vetustiori tempore, etiam ante Christianismum, inventa organa fuisse, tamquam certum asserit probatque cl. Bonuzzi (*Sàg-*

tasse auctoritas, Christianorum aevo, de organis verba faciens, et de qua Catalanus (*Comment. ad Pontif. Rom. Lib. L, cap. XXVIII*), Augustini est in psalmum LVI, dicentis: " Non solum illud Organum dicitur, quod grande est, et inflatur follibus, sed quidquid aptatur ad cantilenam, et corporeum est, quo instrumento utitur, qui cantat, Organum dicitur „. Utrum nihilominus eiusmodi instrumentum, de quo S. Doctor, ea confectum ratione tunc fuerit, uti quae impraesenti habemus, non desunt qui dubitant. At idem de Cassiodori auctoritate rationabiliter iudicari nequit, quam auctores cuncti de hac materia disserentes afferunt. Ait itaque (*in psalm. 150*): " Organum est quasi turris quaedam diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissime destinatur, et ut eam modulatio decore componat. Linguis quibusdam ligneis ab interiori parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes, grandisonam efficiunt et suavissimam cantilenam „. Auctores autem optimae notae (1) docent, hic vere a Cassiodoro organa describi, quae nostrorum similitudinem referunt, cum nihil desit, quod ad ea constituenda requiritur. Cum itaque hic auctor sub saeculi sexti dimidio floruisset, iamque

---

gio della storia dell'arte organaria n. 1), ex quibusdam Musei Arelatensis scriptis, ex anaglyphis obelisci Theodosium Constantinopoli referentis, ex variis scriptorum testimoniis, ex quadam Epistola, divo Hieronymo tributa: quae narrat, quoddam extitisse in templo Ierosolymitano organum, cuius vox ad montem usque audiebatur olivarum.

(1) Cl. Bonuzzi citat Clément, Hamel, Edward F. Rimbault, Waugemann, Arteaga: ut explicari nequeat qua auctoritate fretus Lichtenthal asserat, organa a Cassiodoro descripta nil cum nostris habuisse communis.

ante ipsum nota fuissent organa, haud fortasse a veritate alienum est, eodem tempore etiam in Ecclesias ea invecta fuisse. Exploratum est cetera vix saeculo septimo expleto, organorum reperiri usum in templis: de quo fidem facit Althelmus, Episcopus factus Sherborn, qui anno 709 in Christo obiit. Hic enim organum describit, sonitum ex *ventosis follibus* emittens, auditumque mulcens (*Apud Fetis, Histoire de la Musique, Tom. IV, pag. 426*). Catalanus tenet veriorem esse sententiam, quam docent Martinus Polonus, Platina, Ioannettus et alii, quibus inhaeret Emus Bona, et Paggius: hoc est, Organorum usum in Ecclesias sub Vitaliano Pontifice fuisse invectum, videlicet post medium saeculum septimum. Monachus Sangallensis memoriae prodidit, inter munera, quae Constantini Copronymi missi ad Pipinum attulerant, fuisse *praecipuum illud musicorum organum praestantissimum, quod doliis ex aere conflatis, follibus taurinis per fistulas aereas mire perflantibus, rugitu quidem tonitrui boatum, garrulitatem vero lyrae vel cymbali dulcedine coaequabat.* Eiusmodi autem organum, cum in direptione Basilicae Aquisgranensis per Northmannos periisse notet Mabillonius, in eadem Basilica fuisse collocatum facile iudicari potest. Ughellius item docet (*Tom. V Ital. sacr. pag. 604-610*), Veronensem Ecclesiam, vix octavo expleto saeculo, organa possedisse. Quae forte ab eo fuerant Georgio constructa, qui Veronensis, vel ut aliis placet Veneticus, ad Ludovicum Pium perrexit Aquisgranum cum Thancolpho Sacellario, *ibique organum pariter mirifica arte composuit.* Haec quidem, ut certo argui possit, a septimo aut ad summum octavo circiter saeculo, organorum usum incepisse in Ecclesiis. At quae notat cl. Sala (*apud Bona, lib. I, cap. XXV, nota 3*), referre in integrum praestat. Ait itaque, ae-

tate Iuliani Apostatae, quarto nempe saeculo, si Iulio Caesari Bulengero fides adhibenda sit, organa et quidem pneumatica, inventa fuisse, de iisque eadem aetate usas fuisse Ecclesias. Sequens affert Epigramma in organum a P. Martinio Morentino relatum:

Quam cerno alterius naturae est fistula, nempe
Altera produxit fortasse hanc aenea tellus,
Horrendum stridet, nec nostris illa movetur
Flatibus, at missus taurino e carcere ventus
Subtus agit laeves calamos, perque ima vagatur.
Mox aliquis velox digitis insignis et arte
Adstat, concordes calamis pulsatque tabellas;
Ast illae subito exiliunt, et carmina miscent.

Addit Augustini, praeter illam, quam superius attulimus, auctoritatem aliam, qua rogare se dicit *pro illis, ut qui delectabiliter audiunt organum, delectabilius audiant vocem Dei.* Nec praetermittit Hieronymi et Chrysostomi testimonia referre, quae organa pneumatica eorum aevo in usu describunt. Ex quibus concludere videtur, *a saeculo quarto organum pneumaticum, quale nunc habemus*, graphice descriptum, in Dei templis fuisse adhibitum. Nihilominus, quaestionem postea instituens, an eiusmodi organa vere similia fuerint illorum, quibus impraesenti utimur, an potius sistra e pluribus calamis confecta, primum respuit, alteram sententiam tenet et probat. Adeo ut cum iis quae superius exposuimus, cum eodemque Sala convenientes, concludere liceat, nisi septimo, certe octavo saeculo incepisse in Ecclesiis organorum usum (1).

(1) Haud nihilominus facile censendum, eiusmodi instrumenta, ea fuisse perfectione praedita, quam in nostris laeti conspicimus.

Sed causae exquirendae, iuxta petitionem, quibus mota, organa in templis Dei permisit atque permittit Ecclesia. Primam ponimus maiorem sacrarum functionum solemnitatem, cui organorum modulatio maxime convenit. Quemadmodum enim sacrorum indumentorum divitiae, templorum magnificentia, cantus sublimitas functionum solemnitati plurimum confert, ita et organorum sonitus, quo supernae civitatis aemulamur amplitudinem, earumdem adauget maiestatem et pompam. Hinc Rubricae, quae organa diebus sacrae moestitiae interdicunt, quibus videlicet minor est in sacris solemnitas: dum e contra in iis Liturgiae partibus maxime commendatur, quae maiori externo apparatu ingentique laetitia recoluntur. Altera esse potest humana sensibus subiecta natura, quae ut ad Deum assurgat, sibi propriis subsidiis utitur, inter quae aptissimum esse instrumentorum sonum nemo non videt. Hinc regius Vates hortabatur, ut Deum laudarent populi in tympano et choro, in chordis et organo, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis iubilationis. Ut enim Sala sapienter animadvertit, laetificat organorum concentus tristes hominum mentes, et supernae civitatis insinuat iucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes, provocat iustos ad amorem, peccatores ad compunctionem (*Loc. sup. cit.*). Tertia

---

Illa enim aetate compertum habemus, regularum seriem generaliter fuisse brevem, ut duodecim vel tredecim ligneas linguas haberet et vix metro productam (*De la Fage, Orgue de l'Église royale de Saint-Dénis, pag. 43*). Eaedem linguae ligneae pugnis erant concutiendae, ut mobiles fierent et agerent, saepe organicus unus iis erat premendis impar, et duo necessarii erant. Quanta in follibus imperfectio, pro aere seu continendo, seu aequa cum repartitione distribuendo etc.?

sit mira, qua Dei multiplex ac infinita perfectio repraesentatur, ratio. Voces enim omnigenae, acuitate, gravitate, sonituque differentes, quae melodiae, harmoniaeque cuiusque generis flexiles docilesque se praebent, ideam illam, esto languidam, in mentibus ingerunt, quae ad illam ascendere adigunt bonorum omnium originem. Cumque ea veluti effusa conspiciamus et experiamur in mysteriis, quae ad Liturgiam pertinent, celebrandis, facile intelligitur, organorum sonitum iisdem mysteriis optime convenire.

Hoc, quod iudicium protulere Concilia, uti Trevirense, Senonense, Coloniense, Mediolanense, et prae ceteris Tridentinum: ut nonnisi summa Ecclesiam redolere sapientia iudicandum sit, si a primaevis usque saeculis incepit, ac deinceps prosecuta semper fuerit, organa in templis permittere et approbare.

Obiici quidem potest, hocce instrumentum, quod organa dicunt, fuisse profanum. Sed nihil interest; nam consuetum in Ecclesia est, ex profanis illud excerpere, quae sanctitatis capax esse potest, sanctumque reddere. Hinc ex imaginibus, statuisque Numinum, cernere est imagines ac simulacra veri summique Dei, Sanctorumque: ex quibusdam profanis festis, nonnullas Ecclesiae praesentes solemnitates: ex ritibus gentium, nonnullas christianorum caeremonias, aliaque similia ex profano in sacrum conversa usum.

Sed opponi quoque potest, organorum sonitum a caelestibus quandoque avertere mentes et corda, et in humanas quoque incitare cupiditates. Equidem nec id inficiabimur; at subteximus, nil esse in terris datum hominibus, quo abuti non possit. Quod si sufficientem rationem constitueret, ut aliquid vetito dignum esset iudicandum, quid hominibus hic degentibus reliquendum ad usum foret, prorsus nescimus. Opposita potius

difficultas facile dictat, ut ii improbentur organorum modulatores, qui artis, quam exercent, imperiti, vel theatri harmoniis nimis addicti, instrumentorum principem vexant, et iniuriosius tractant, ac si profano haud sacro esset usui destinatus. Namque " tali esse debet organi sonus, dicimus cum Emo Bona, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum quae cantantur sensui, et pietatis affectui maiorem relinquat portionem (*De div. psal. cap. 17*, §. *2*) „. Eiusmodi approbandus organorum sonitus, qui tales gignit effectus, pro quibus gignendis, non vero contrariis, fuit in templa invectus. Ita, non aliter, organa permittuntur probanturque, ut ipsa lex explicite doceat: " Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus, aut impurus (*Caerem. Episc. Lib. I, cap. XXVIII, n. 11*) „. Quod enim de cantu, pariter de sono intelligendum, hoc est, nihil *levitatis aut lasciviae praeseferat, ne potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet.* Organum nescio quis *malum necessarium* dixit; sed satis imperite, cum illud modulantes potius, vere malum inevitabile appellandi sint. Stat igitur, eliminandum, citra dubium, organi abusum, sed cum matre Ecclesia illius usum esse omnino probandum.

II. Secundo inquiritur, quaenam organorum sonitum normae in sacris functionibus moderentur.

Aliae ex his rationem organorum modulandi attingunt, aliae vero tempus. Quas de illis iam generaliter innuimus in prima responsione, satis essent, at alias nonnullas opportunius addimus ex rei natura depromptas. Primo: sonus sit devotus oportet, quibuscumque temporum adiunctis in Ecclesiis sit habendus. Sive proinde clerus ingrediatur, sive e presbyterio discedat, sive in primis, sive in extremis Missae parti-

bus, licet diversus esse possit ac debeat organa pulsandi modus, nunquam a sonitu disiungenda est devotio. Quae quidem ab initio Canonis usque ad Communionem sanguinis, peculiariter elevationis tempore, erit maxima: si autem a Communione ad *Dominus vobiscum*, sicut in prima processione ad Missam, et cum revertitur clerus in sacrarium, vel etiam ab Offertorio ad *Sanctus*, temporis mensura plus minusve expedita permittitur, sciant organici ludum saltatorium Ecclesiam non esse, nec sonitum ab organis emittendum ad conserendum proelium. Ea igitur sit semper mensurae ratio, quae toto Missae aut Vesperarum, sicut quarumcumque aliarum sacrarum functionum tempore, nunquam devotioni sit adversa. Secundo: Tum ad *Kyrie* et *Gloria*, quum ad *Credo*, *Sanctus* et *Agnus*, quando organici tempus intermedium, videlicet inter alterum et alterum versum in organis pulsandis insumunt, memorent, non esse illis libertatem factam, ut suis inventis aut cupiditatibus facientes satis, hac illac per theatra vel profanas aulas phantasia cursitent, sed brevibus et fere paribus intervallis servatis, harmoniam iis quae concenta, vel concinenda sunt aequa proportione aptent. Dum autem organorum sonitum consociant verborum cantui, eadem potiori ratione regula ipsis est servanda; adeo ut in illud incumbant oporteat studium, quo sonus et verba idem significent et exprimant, quod significare et exprimere nata sunt. Tertio: Sicut verti nequit Oratoris laudi, si dicat quidquid in buccam venerit, quod maxima stultitia foret; ita et organicis omni cura cavendum, ne harmonias insensatas ex organis eliciendo, insipientiae spectaculum fidelibus praebeant. Quod facile profecto eveniet, si ad illa pulsanda imparati accedentes, propriae imaginationi, forte et praesumptioni innitantur. Proh do-

lor! quod in profanis auderet nemo, audacia summa agere non pudet organicos in templo Dei. Oportet ergo quae sociare sonitu debet, cognoscat modulator organi primo, inde intelligat, aptioremque paret illis respondentem harmoniam, nisi ante oculos inscriptam habeat, quae tunc fideliter exequenda. Haec autem legis spiritui optime consonare facile quisque intelligit, cum illa organorum sonitum permittat in actibus, qui sunt liturgici, Deique cultum honoremque tangunt.

Quod ad tempus pertinet, dicimus: 1. Organorum sonum prohiberi in Ecclesiis tempore Adventus et Quadragesimae, quando officium de tempore peragitur, si tertiam Quadragesimae et Adventus Dominicam excipias. 2. Feria V in coena Domini permittitur ad Missam solemnem tantum usque ad totum hymnum angelicum: Sabbato Sancto autem ad hymnum angelicum incipit organorum sonus, qui continuari deinceps potest. 3. In quibuscumque aliis festis, etiamsi infra Adventus et Quadragesimam incidant, organa pulsare permittimur. 4. Quaestio suboriri potest circa ferias Adventus et Quadragesimae, quae officium de tempore exigunt. Ex Caeremonialis Episcoporum Rubrica, ante typicam editionem, indubie vetitus erat iisdem feriis; sed Rubrica in hac editione mutationem aliquam subiit, et quamdam praesefert obscuritatem. Textus ait, in officiis defunctorum organa non pulsari: in Missis vero id permittitur, si musica adhibeatur, tuncque silente cantu, silent et organa. Deinde prosequitur: " Quod etiam tempore Adventus et Quadragesimae in ferialibus diebus convenit adhiberi (*Loc. cit. n. 13*) ". Quid enim convenit adhiberi? An organorum silentium, de quo primum? An organorum sonitum in Missa tantum, de quo secundo loco? An ad utrumque refertur?

Fortasse hic postremus esse videtur sensus, magis textus loquendi modo respondens; sed re et verbis perpensis, haud clarus satis apparet. 5. Tempore non vetito, nunc dictis exceptis, organorum sonitus permittitur in Missa, Vesperis et Matutinis, non autem in aliis Horis Canonicis, nisi id ferat consuetudo, uti de Tertia accidit, Episcopo solemniter celebraturo (*Loc. cit. n. 7*). 6. Pro Missa, organa pulsantur in prima processione ad altare, et ultima in reditu; in singulis Missae partibus quas modulatur cantorum schola, nunquam vero quae Celebrans concinit, aut ministri sacri: denique pulsantur organa, modo quo superius diximus, tempore Missae, quo Celebrans secreto orat, si ultimum Evangelium excipias. 7. Sonitus organi non prohibetur in Symbolo, dummodo omnes eius articuli cantentur: in reliquis partibus, quae cantari debent, organa necessario pulsanda sunt, si unus ex cantoribus illas recitet. 8. In omnibus aliis functionibus autem, sive liturgicis, sive tantum ecclesiasticis, quae cum apparatu, externa pompa et laetitia celebrari contingit, organorum sonitus est licitus et permissus, uti ex. gr. in benedictionibus, sive cum ostensorio, sive cum pyxide, in cantu hymni *Te Deum* pro aliqua gratiarum actione, dum Episcopus Ordinarius, vel Purpuratus aliquis Pater templum ingreditur etc. etc. 9. In Missa quoque privata, quandoque organa pulsari possunt si pro solemni legatur; hocque in casu normae sequendae quae pro solemni assignatae sunt: ut nempe organa eo tempore pulsentur, quo pulsarentur si Missa solemnior fieret. Quae omnia ex Rubricis, et Decretis, vel ex laudabilibus servatis Romae consuetudinibus deprompsimus.

III. Ad singula procedimus, prouti casus tertio loco exigit. 1. Quid de organorum sonitu toto psalmodiae tempore, quae canitur? Reponimus, hoc Cae-

remoniali Episcoporum conforme esse, nilque super hac consuetudine observandum. En eius verba: " In Matutinis, quae solemniter celebrantur in festis maioribus, possunt pulsari organa, sicut in Vesperis, a principio ipsorum (*Lib. I, c. XXVIII, n. 5*): „ hoc est, ab initio ad finem, secus verba *a principio* non posuisset, sed potius *in principio*. Error derivat forte ex eo quod in numero 6 idem Caeremoniale notat, regulare esse, ut *Gloria Patri* non suppleatur ab organo, sicut de alternis psalmorum versibus fieri potest, sed integer decantetur. At ex hoc nullo pacto sequitur, sonum organorum vetitum in decursu psalmorum, quem in praecedenti numero explicite lex permittit. Quod si num. octavo lex ait, consuetum esse organa in fine cuiuslibet psalmi pulsari, ex hoc pariter non sequitur, psalmodia perdurante illa prohiberi, cum paulo ante eadem lex sonitum permittat in Matutinis et Vesperis, quae ex psalmis principaliter constituuntur. 2. Quid de sonitu ad Praefationem et Orationem Dominicam, ad *Dominus vobiscum*, verbo ad ea quae Celebrans cantat, populusque respondet? Reponimus, Caeremoniale, notando ea quae comitari organum debet, reliqua tacendo, manifeste innuit, in quibus organorum sonitus haberi non potest. Nunc autem notata in Caeremoniali sunt: *Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus*, sicut et *Credo*, modo non alternetur cum organo, sed integre concinatur. Idem dicendum de Offertorio, de Graduali, de de Communione, imo de ipso Introitu; sunt enim partes quas schola cantorum modulatur, ergo optime earum verbis organa consociantur. Sed de iis, quae Celebrans concinit, silentium ubique est; ergo in iis organorum sonitus dicendus est vetitus: quod omnium Ecclesiarum Urbis praxi optime confirmatur. Ad responsiones quod attinet populi, seu cleri, *Et cum spiritu*

tuo, Amen etc., iudicamus *per se* posse quidem sonitum organorum admittere; at sicut agitur de responsionibus, incongruum esset, in iis adhiberi organa, cum pars a Celebrante prius concenta organis sociata non fuerit: haec, ni fallimur, ob quam prohibetur, ratio. 3. Quid consuetudine, vi cuius non solum non canuntur, et sub organo recitantur pars Gradualis, Offertorium et Communio, sed ea cantu exequi censetur prohibitum? Respondendum, consuetudinem eas recitandi sub organo partes optime servari posse, ut Caeremoniali conformem, nemo ambigit; at vi eiusdem sustinere illarum cantum integrum esse prohibitum, est prorsus intolerabile. Esset enim indultum convertere in legem praecipientem, quod nemo sanae mentis admittit. Quaedam sub organo, sine quo canenda ex praecepto sunt, recitare, permissio legis est ad commodum cantorum, quo autem iure permissionem in praeceptum vertere audebimus cum ipsius iniuria legis ipsiusque Gradualis cantus? Vi consuetudinis, respondebis. At probandum primo, iuxta principia Theologiae moralis, illos qui hanc induxerunt consuetudinem, voluisse ei tamquam legi se obligare. Probandum insuper, legislatorem eo sensu consuetudinem permittere, ut vim legis habeat. Probandum denique eamdem consuetudinem, tamquam illarum partium prohibentem cantum, posse existere, quin enormis inferatur iniuria, et codicibus liturgici cantus, ipsique legislatori. Quae cum probari, tamquam aperte a veritate absona, nequeant, concludimus, consuetudinem praefato sensu intellectam, sustineri non posse. Eas ergo partes recitent quidem sub organo, si placeat, secus integre canant, quod longe melius.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. vide N. 4, pag. 217*)

CAPUT XIV.

De Visitatione Altarium.

91. Tum Visitator, deposita violacea, et rubea stola reassumpta, uti vult Gavantus (*Praxis visit. n. 7*), pergit ad invisenda altaria ecclesiae, a maiori incipiens. Cum autem unumquodque altare visitet, bene potest visitare etiam unamquamque cappellam; Pontificale enim dicit: *tum ad altaria, cappellas et sacras imagines.* Ut itaque ordinatim omnia adnotemus, quae in altaribus, cappellis, et imaginibus invisenda sunt, de his singillatim disseremus, ac primum de altaribus.

Altaris materies. Ex canone S. Silvestri I. Pontificis, ut innuit Breviarium Romanum in lectionibus Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli; et si canon iste apocryphus est, ut vult Card. Bona, (*lib. 1, c. 20, n. 1*), ex lege Concilii Epaonensis (Saeculi VI, anno 19) quae legitur in Decreto Gratiani (*p. 3 dist. 1*), *Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis unctione non consecrentur.* Atqui in non consecrato altari, Sacrificium novae legis confici nefas est, ergo altaria lapidea sint oportet.

Omnibus tamen compertum est, sufficere, quod tabula Altaris, vel etiam eius pars media, sit ex lapide, dum cetera esse possunt ex alia materia. Distinguendum itaque est inter altare *fixum* et altare *portatile*.

92. Altare fixum, necesse est ut habeat mensam ex unico lapide, inferiori basi pariter lapidea, aut columnis item lapideis connexam, ita ut cum basi vel columnis unum totum constituat. Basis inferior, seu structura sub mensa, potest esse latericia, sed ut altare ad modum fixi consecrari valeat, oportet ut saltem latera aut columnae, in quibus mensa connectitur, sint ex lapide (S. R. C. *7 Aug. 1875 N. 5621*). Item ornamenta lateralia altaris fixi, et gradus super eo, cuiusvis materiae esse possunt, sive ex metallo, ligno vel lateritio. In medio mensae huiusmodi altaris, aut in eius crassitudine excavatum sit parvum sepulchrum, cum reconditis Sanctorum Reliquiis, suo operculo lapideo bene clausum et coemento firmatum, nisi totum ipsum altare sit revera sepulchrum unius vel plurium Martyrum, aut sepulchrum Reliquiarum in medio summitatis stipitis existat, ut habet Pontificale (*de consecr. altaris*).

Docet De Herdt (*p. 1, n. 176*), cum aliis, quod " si lapis altaris fixi debite consecratus, non sit tantae magnitudinis, ut integram mensae superficiem tegat, aliae tabulae ab utroque latere adiungi possunt „. Nos hanc doctrinam non admittimus, nisi sub conditione quod lapis sacratus, inferiori stipiti, vel columnae lapideae connectatur, quia, si non ille, sed adiunctae in lateribus tabulae stipiti inhaererent, tunc non amplius valide consecrari posset.

Mensam altaris fixi diximus, unico et integro constare lapide debere, quia S. R. C. (*17 Iunii 1843,*

n. 4966 ad 1) decrevit : " Altare cuius Mensa ex pluribus lapidibus ad formam unius unitis, constructa erat, iterum esse consecrandum „. Nihilominus, ex recentiori declaratione eiusdem S. R. C. (*29 Martii 1869, n. 5437*) hodie videtur admittendum esse altare fixum, cuius mensa *enormiter fracta* antequam ab Episcopo consecretur, firmiter coementata est (1).

Alio modo, dici potest *fixum*, illud altare, quod etsi non habeat tabulam integre consecratam cum stipite, eius tamen structura parieti, adhaeret, aut columnae aut pavimento. Nihilominus dicitur *fixum*, aliquo latiori sensu, seu *non movibile*, quia fixum altare, in sensu liturgico indicat *fixum*, seu coniunctum per consecrationem inferiori stipiti. Licet ergo altare aliquod sit fixum ad parietem, si mensam non habeat consecratam, in angulis inferioribus cum stipite iun-

---

(1) Antiqui doctores, ad tramitem Decretalium (*Tit. 40, c. 3, Quod in*), ac ipsa S. R. C., uti videre est in allato decreto 17 Iunii 1843, severiores erant, circa integritatem et unitatem, seu potius *unicitatem* (parcant elegantiores) lapidis consecrandi, ad tollendum omni dubitationi locum, quae exinde suboriri facile posset. Visitator enim videns altare fixum, cuius mensa, enormiter fracta, coementata fuerit, rationabiliter dubitat an fractura antecesserit, vel successerit consecrationi. Cumque in secundo casu, prout infra videbimus, consecrationem amisisset, legitime ad cautelam saltem, mandare deberet, ut in ipso nullatenus celebretur. Non existimaremus temerarium, qui diceret, declarationem S. R. C. 20 Martii 1869, vim pro generali Ecclesia non certo habere; primo quidem quia est sub forma responsionis cuidam epistolae Rmi Episcopi Moran, tunc Vicario Apostol. Capitis Bonae Spei: secundo autem quia non bene concordat cum aliis eiusdem S. Congr. decretis: tertio denique quia non satis consulitur quieti Celebrantium super huiusmodi altaribus, futuris temporibus; nam ipsis iure dubitare fas erit utrum sint consecrata.

ctam, et connexam, iure vocatur *portatile* prout in sequenti numero videbimus.

93. Altare portatile, dicitur parva illa tabula lapidea, quae *ara viatoria* ac *lapis sacer* etiam vocatur, in mensa ut plurimum ex lateritio, aut ex ligno vel metallo inserta. Haec parva tabula tam ampla esse debet, mandat Missalis Rubrica (*Tit. 20*), *ut hostiam et maiorem partem Calicis capiat;* quod est intelligendum ad validitatem, quia alioquin ita patens esse oportet, ut commode et hostiam, et calicem et pyxidem quoque capiat, quando fert casus.

S. Carolus Borromaeus (*Conc. Prov. IV. p. 1*) praescribit, ut tabula huiusmodi non sit minor unciarum viginti (*Cent. 36)* in longitudine, et in latitudine unciarum sexdecim (*Cent. 28*). Item, sicuti bene notant nonnulli auctores liturgici, et innuit ipse S. Carolus (*loc. cit.*), petra sacra, ita in altari est inserenda, ut aliquantulum eius planities super superficie mensae ipsius elevetur, ad facile digiti tactu dignoscendos limites eius, ne Sacerdos extra eamdem oblata deponat.

Insuper ut hoc periculum removeatur omnino, necessarium putamus: 1.° quod petra sacra nimis non distet a labro mensae Altaris; iuxta S. Carolum (*loc. cit.*) non longius spatio unciarum sex (*Cent. 12*), 2.° quod ita inseratur in altari, ut longitudo petrae perpendicularis sit labro mensae.

Plurimis in locis nos ipsi vidimus altaria, in quibus tabula hoc modo errato collocata est:



melius tamen finem legis obtinetur, quando lapis sacer modo sequenti inseritur.



Reapse, si spreta hac diligentia, petra sacra modo incongruo in altaribus collocata fuerit, saepe saepius Sacerdotes super illa celebrantes, consecrarent oblata extra limites eiusdem petrae, maxime quando ad altare ponitur pallium cum coronide grassiori: ita ut inter labrum huius coronidis a superiori mappa coopertum, et lapidem sacrum, nimia distantia intersit. Videat ergo Visitator, et prout fert casus praescribat ut tabula consecrata sit in altaribus iuxta legem.

Aliquando inveniuntur altaria portatilia, quae mensam habent integram ex unico lapide, prout diximus de fixis, sed quum ritu altaris portatilis proprio consecrata sint, neque in angulis quodammodo col-

ligata per sacram unctionem, aut cum inferiori structura non coniuncta, nullimode consideranda sunt altaria fixa.

Episcopi tamen, ut se abstineant a consecratione magnae mensae ad modum portatilis, deprecandi sunt, quia cum speciem altaris fixi praeseferat, in errorem induceret Visitatorem: qui putans esse altare fixum et sub ipso ex. gr. lapideam basim non inveniens, illud execratum censeret.

94. Execratio Altaris. **Summa cura adhibenda** est Visitatori, ut videat utrum **altaria consecrationem** amiserint nec ne, ac propterea hic ponimus causas ex quibus altaria execrantur, a cl. de Herdt (*loc. cit.*) traditas: " Tam fixum quam portatile perdit consecrationem per fracturam enormem seu notabilem (*S. R. C. 3 Mart. 1821, n. 4577*). Fractura censetur enormis: 1.° si tabula fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, ita ut continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat; etiamsi tenui tantum scissura laboret, quae per medium integrum lapidem decurrit (*S. R. C. 31 Aug. 1867 n. 5386 III.*): et 2.° si per fractionem divisa sit aliqua ex illis partibus, in quibus peculiares unctiones fuerunt adhibitae, subtiles candelae accensae, thus crematum, seu si pars fracta contineat unam ex lateralibus crucibus, ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis (*S. R. C. 6 Oct. 1837, n. 4828*).

Sicut altare perdit consecrationem per fracturam, sic etiam per abrasionem serra, ascia aliisve instrumentis factam, prout ecclesia iuxta plures eam amittit, quando omnis crusta simul absumitur, quamvis parietes non corruant.

Altare tamen non perdit consecrationem per modicam fracturam in uno aut altero cornu; neque si

aliqui tantum lapides structurae inferioris ab altari fixo dimoveantur, modo ipsum altare moraliter integrum maneat. In casu levis fracturae partes avulsae tanquam inutiles removendae sunt. „

“ 2. Tam fixum quam portatile amittit consecra-
„ tionem, si remotae sint reliquiae; si sepulchrum
„ apertum fuerit, licet iterum clausum; si fractum
„ sit sepulchrum vel eius operculum, seu parvus ille
„ lapis qui claudit repositorium reliquiarum, aut e-
„ tiam solummodo si hoc operculum amotum fuerit.
„ Tale igitur altare, cuius sepulchrum eo modo est
„ violatum, iterum consecrari debet, antequam in eo
„ celebretur, nisi Sedes Apostolica indulgeat, ut vel
„ sola reliquiarum repositione reconcilietur, vel super
„ eodem celebretur, donec novae apponantur Sancto-
„ rum reliquiae (S. R. C. 23 Sept. 1848, n. 5192, 3) „.

Plura data fuere Decreta a S. R. Congregatione super sepulchrulo vel execrato vel non, quando sigillum episcopale hispanica cera impressum deletum fuit: Cl. De Herdt illa sapienter commentatur, et aequas conclusiones infert pro praxi. Impraesenti asseri omni cum certitudine potest, sigillum huiusmodi, alicubi, uti in Gallia, imprimi solitum super sepulchrulo altaris, esse ante omnia incommodum, et forte periculosum. Secundo de eo Pontificale Romanum omnino silere. Tertio, hanc praxim eiusmodi imprimendi sigilllum, inducere in errorem posse, ac si videlicet iudicandum esset necessarium, cum exploratum certo sit, nulla illud ex lege requiri. Quidquid nihilominus sit, si appositum tale sigillum fuerit, ac postea deletum, nullum argumentum ex hoc desumi debet pro execratione altaris: quippe quod etiam sine tali sigillo consecratum manet, nisi alia de causa execratum dicendum sit. Decreta 11 Mart. 1837, n. 4805

ad 1 et 3, et aliud 23 Sept. 1848, n. 5162 ad 1 et 2 id aperte declarant: si vero quid in contrarium ex quodam anteriori Decreto dispositum videatur, revocatum censeas.

(Continuabitur). P. S. Florentii, *Vicarius Foraneus*

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Belgio.* **De votorum professione Sacramento exposito.** An vota religiosa, vel solemnes consecrationes fieri possint, SS. Sacramento exposito? Item utrum possint moniales, priusquam sacram Communionem accipiant intra Missam, alta voce professionem votorum emittere vel renovare?

Resp. Ad primum affirmative, iuxta Decretum S. R. C. *in una Societatis Iesu* 18 Maii 1878 ad IV. 5°, dummodo amoveatur quaecumque irreverentia. En Dubium: Dubium IV. " Item an liceat perdurante ex„ positione... 5° nuncupare vota religiosa vel solemnes „ consecrationes? „ " Ad IV. — ad quintam partem: „ Affirmative, *dummodo amoveatur quaecumque irreve*„ *rentia* „. Sed ad hanc functionem peragendam, cavendum omnino est ne SS. Sacramentum deponatur e throno et collocetur in Altari, ita ut non amplius sit subter baldachinum, quod certe foret *summa irreverentia* proscripta in supracitato Decreto; nam *baldachinum decernitur Christo Domino, tamquam Regi.*

Ad secundum nobis sufficiat citare sequens Decretum S. R. C. *in una Americae Septentrionalis,* 10 Ia-

nuarii 1879 ad 1, 2, 3. " Sacerdos Ioseph Maria Finotti „ in civitate vulgo *Colorado* Americae Septentrionalis „ degens, exposuit Sacrae Rituum Congregationi:

" Quod invitatus ad excipiendam votorum religio- „ sorum renovationem Sororum a Sancto Iosepho nun- „ cupatarum, invenerit in huiusmodi functione hunc „ obtinere morem, quo scilicet, antequam singulae So- „ rores SSmam Eucharistiam recipiant, votorum for- „ mulam emittant, ita tamen ut unaquaeque prius for- „ mulam ipsam recitet, deinde SSmum Sacramentum „ statim sumat; stando interea Sacerdote sacram ho- „ stiam in manibus tenente ante altaris septa. Quum „ hic mos irregularis sibi visus fuerit, satius putavit „ illum sequi qui alibi servatur, iuxta quem Sacerdos „ dicto *Misereatur*.... et *Indulgentiam*.... ad altare con- „ versus exspectat usque dum omnes Religiosae voto- „ rum formulam protulerint: hoc autem actu expleto „ et dicto *Domine non sum dignus*.... SSmam Euchari- „ stiam distribuit. Iamvero praedictus Sacerdos scire „ cupiens quid hac in re tenendum sit, eamdem Sa- „ cram Rituum Congregationem adiit, solutionem se- „ quentium Dubiorum humillime expostulans, nimirum:

„ I. An liceat accipere renovationem votorum primo „ modo?

„ II. An propria ratio sit ea quam ipse sequutus est?

„ III. Et quatenus nulla sit propria, quaenam sit „ admissa approbata ratio recipiendi emissionem aut „ renovationem votorum?

„ Sacra vero Rituum Congregatio... propositis du- „ biis sic respondendum censuit:

„ Ad I. Non licere, et modus in casu prorsus eli- „ minandus.

„ Ad II. Convenientius extra Missam, et tantum „ in Missa tolerari, quatenus formula renovationis vo-

„ torum elata voce pronuncietur ab una ex Monialibus „ ratihabita mentaliter a caeteris.

„ Ad III. Provisum in praecedenti. Atque ita re- „ spondit ac servari mandavit „.

Ut patet, S. R. C. prorsus reprobat et damnat modum vota emittendi, quo singulae moniales, antequam Sacram Eucharistiam accipiant, pronunciant formulam professionis; tolerat quod renovatio votorum elata voce pronuncietur ab una sola Monialium, ratihabita mentaliter ab omnibus aliis, et hoc quidem intra Missam ante Communionem; sed dicit quod haec renovatio votorum congruentius facienda est extra Missam; S. R. C. hanc suam dispositionem servari mandavit. Est lex seu mandatum ligans, obligans omnes prout in casu. Et toto iure; nam usus praedictus tantum speciem pietatis praesefert, sed omnino redolet ac sapit *imaginationem* ac *exagerationem*, ne dicam gravem irreverentiam erga SS. Eucharistiam. Ergo rectissime ac sapientissime S. R. C. mandavit, quod hic usus esset prorsus eliminandus. Antea S. R. C. *in una Molinen.* 26 Sept. 1857 ad XIX, declaraverat quod, ubi fert usus, vel de licentia Episcopi, possunt Moniales priusquam se communicent intra Missam, alta voce professionem votorum renovare. Ut videtur S. R. C. per decretum 10 Ianuarii 1879, expressius declaravit rem, ac restrinxit atque determinavit, adeo ut nulla ambiguitas vel dubitatio hac in re amplius oriri valeat.

II. *Ex Galliis.* **De Caeremoniario comitante Ministros in Missa solemni.** An Caeremoniarius debeat, in Missa solemni conducere ac comitari Diaconum, dum defert librum Evangeliorum, et bursam ad Altare?

Resp. In primis notandum est cum Cl. Gardellini in adnotatione ad Decretum 4536 ad Dub. 2, quod relate ad Caeremoniarium Magistrum regula generalis

haec est, nempe quod certus locus non sit illi assignandus, qui stare aut discurrere debet pro officii ratione, ut omnia quae ad sacras pertinent caeremonias rite, et recte peragantur, ut patet ex Decretis pluribus S. R. C. legendis in Collect. praelaudati Auctoris. Cl. Martinucci hunc tradit modum agendi in casu Lib. I. C. XV, fretus dispositione Caerem. Ep. Lib. I. C. V. ubi n. 6 haec habet: " Alia vero nonnulla, quae ad ipsum Caeremoniarii officium spectant, velut thuribulum deferre ad Episcopum, et ad altare ducere, et reducere diaconum, et subdiaconum, aliosque omnes, tam maiores, quam minores ministros... ". Ex hac regula generali, praesertim ex dispositione Caeremonialis, nobis videtur argui ac concludi posse, quod Caeremoniarius rite ac licite valeat conducere Diaconum in casibus supra citatis; imo iure concludimus rationem liceitatis et officii.

Equidem Bauldry, *de Magistro Caeremoniarum.* P. I, c. I, art. I, n. XXXIX, haec dicit: " Non conducit (Caeremoniarius) Diaconum dum defert librum Evangeliorum, et bursam corporalium ad altare,... quia, ut comes tantum datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeunt ex Presbyterio, Gav. part. 2, tit. 6, num. 5 ". Meratus in Gav. loc. cit. n. XXIII idem docet. — Idem A Carpo P. II, c. V de Magistro Caeremoniarum in Missa solemni n. 202, 203.

Utique hi omnes Auctores sunt graves et sapientes, ut facile confitemur, attamen fas nobis sit dicere quod ipsorum conclusio non nobis videtur recta; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Sed Caeremoniale loc. cit. non distinguit actiones ac modos; non enim dicit Caeremoniarum ducere Sacros Ministros aliosque omnes tantummodo quando aliquid est canendum, vel quando iisdem exeun-

dum est ex presbyterio; sed simpliciter ac generaliter dicit ad ipsum Caeremoniarii officium spectare ad altare ducere, ac reducere Diaconum et Subdiaconum, aliosque omnes, tam maiores, quam minores ministros. — His in casibus nobis videtur nullus reperiri locus distinctionis, quia dispositio Caeremonialis, obligans omnes Ecclesias, est generalis lex, manifesta, et recte valens in se omnes includere casus. Praeterea est praxis Ecclesiarum Urbis bene constitutarum et observantiorum sacrorum rituum. Denique si Ministri non bene versati sunt in sacris caeremoniis, vel praesertim si sint novi Ministri vel extranei, Caeremoniarius certe eos ducere debet omnes et in omni functione et actu, ut omnia digne ac decore peragantur. Namque, ut saepius oculis nostris comperimus, quando iidem Ministri non conducuntur, v. g. in deferendo Librum et Bursam ad Altare etc., omnia peragunt sine decore et dignitate, quod prorsus vitandum in sacris Functionibus est. Ergo iure et tute stat nostra sententia.

III. *Ex America.* **De Missa Pontificali Solemni ante SSmum Sacramentum expositum.** Utrum congruentius, conformiusque sit menti, ac voluntati sanctae Ecclesiae Romanae, simul et sacrae antiquitati, disciplinaeque ecclesiasticae, Missam Pontificalem Solemnem in Altari, ju quo publicae Fidelium venerationi SSmum Sacram. est expositum, non celebrare?

Resp. In primis animadvertendum est cum *Bened. XIV, in Institutione CVII, n. VI,* Decreta SS. Congregationum Romanarum, opinionibus Scriptorum seu Auctorum privatorum, quicumque sint, semper anteponi. En verba Bened. XIV, loc. cit. " VI. Si quis a nobis postulet, an Sacrae Congregationis decreta Scritorum opinionibus anteferamus, causa praesto est. **Primo Scriptores de quaestionibus verba faciunt, illas**

autem Sacra Congregatio dissolvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus plerumque sit, Summi Pontifices Sacram Congregationem eiusdem Synodi solam interpretem statuerunt. Tertio, impudentissimus esset, qui contenderet, maioris ponderis habendum esse privatum hominem qui suae tantum mentis lumine ducitur, quam sententia praeclarissimi coetus, quam amplissimi Cardinales, ecclesiastica disciplina, et sacrorum Canonum peritissimi constituunt. Quarto, quia privati Scriptores nullam indicere legem possunt, quae sane auctoritas a Summis Pontificibus eidem Congregationi tribuitur, ut Ecclesiae disciplinam per universum orbem amplificet. Id constat *ex 74. Constitutione Sixti V.*, quam commemoramus: .... **Quinto, si controversia forte excitatur ob ea, quae sanciuntur, non quidem ad privatos Scriptores, sed ad ipsam Congregationem provocatio interponitur.** „ Hoc in loco Bened. XIV loquitur de Sac. Congr. Concilii; sed, ut omnes norunt idem dicendum de Sac. Rituum Congr. instituta a Sixto V, *pro Sacris Ritibus et Caeremoniis*, ut constat ex eadem *Const. Immensa aeterni Dei* Sixti V, undecimo Kal. Febr. 1587. Amplissimi Cardinales, qui hanc efformant Sac. Congr., habent amplissimam Auctoritatem, totam Auctoritatem Summi Pontificis; nam S. haec Congr. est eius Officiale Organum in omnibus rebus liturgicis. Nunc videamus quomodo loquantur *Analecta Iuris Pontificii*, 2ª Serie p. 1794, et citamus ipsorum verba: " Au reste, entre les décisions officielles du Siège apostolique et les théologiens (liturgistae in casu) privés, il n'y a pas à balancer. Benoît XIV, en ses institutions ecclésiastiques (loc. cit.), donnet les raisons qui obligent de préférer toujours les décrets des Congrégations aux opinions des écrivains „. Deinde *Analecta* citant in idiomate gallico tertiam ratio-

nem Benedicti XIV. - Postea sic loquuntur: " Il (Bened. XIV), revient sur ce principe essentiel, et il en parle dans plusieurs des *institutions*. C'est que, s'occupant de réformer les abus qui régnaient dans son diocèse, et le faisant en prenant pour guide les décisions lumineuses des congrégations romaines, dont il avait fait une étude approfondie, il reconnut que les récalcitrants prenaient un mauvais prétexte de résistance dans la décision de quelque casuiste qui avait opiné autrement. Voilà pourquoi il entreprend si souvent de montrer que les décisions des Congrégations sont des lois, qui obligent dans le for extérieur et interieur, quoiqu'elles n'aient pas été promulguées dans la forme des Decrets généraux, et qu' elles n' aient été rendues que dans des causes particulières. En effet, les écrivains appartiennent à l'une ou à l'autre des catégories suivantes: ou ils ont parlé sans connaître les décisions apostoliques, par cela même ils sont hors de cause; ou ils les ont connues, et dès lors ils ne méritent pas créance. Un théologien ou canoniste (aut liturgista) vraiment digne de ce nom n'a jamais soutenu d'opinion contrairement à quelque décision apostolique, et les casuistes qui l'ont fait, ont abusé du probabilisme.

Non-seulement les Déclarations de la Congregation des Rites témoignent de la pratique universelle de l'Église relativement aux messes basses, non-seulement elles la confirment contre toute innovation, mais encore elles donnent l'interprétation certaine des rubriques du Missel *de hora celebrandi Missam.* „ *Analecta* in doctissima et longissima dissertatione probant *non licere celebrationem Missarum privatarum et distributionem Sacrae Eucharistiae in nocte Nativitatis Dni, sine speciali Indulto Apostolico.*

Neminem fugit sapientia istius praestantissimi operis, nec doctrina etc.

Ad Caeremoniale Episcoporum quod attinet, omnes norunt omnes obligare Ecclesias, ut constant ex Const. *Cum novissime* Clementis VII, in initio Libri praefixa, in qua haec habentur: " Cum novissime... operae „ pretium visum fuit Caeremoniale Episcoporum **om-„ nibus Ecclesiis**, *praecipue autem Metropolitanis, Cathe-„ dralibus et Collegiatis perutile, ac necessarium* . . . . „ Omnes norunt Caerem. Ep., ut constat ex praefata Const. aliisque pluribus ipsi in initio appositis, esse opus RR. PP., consequenter ex altissima ac suprema Auctoritate in Ecclesia Sancta Dei his in terris; ut constat ex iisdem Constitutionibus, ex supra citata Const. *Immensae* Sixti V., ex Decr. S. R. C. 17 Aug. 1886 apposito *Editioni typicae*, solam Sac. eamdem Congr. posse emendare Caerem. Ep., si quandoque opus sit. Ergo nedum tutius est semper dispositiones Caerem. Ep. opinionibus privatorum hominum anteponere, verum etiam impudentissimum esset contrarium facere. Ergo toto iure nostrum stat principium semper decisiones RR. PP., S. R. C. placitis hominum arbitrariis privatorum, anteponendas esse. Quo posito, videamus Caeremonialis doctrinam hac in re tanti momenti. Igitur Lib. I, cap. XII, n. 8, haec habet: " Cum Episco-„ pus est venturus ad Ecclesiam, prius praeparandum „ est faldistorium, . . . Aliud (pulvinar) simile ante „ *altare, seu etiam locum, ubi est SS. Sacramentum: quod „ diversum esse solet ab altari maiori, et ab eo, in quo „ Episcopus, vel alius est Missam solemnem celebraturus. „ Nam licet sacrosancto Domini Nostri Iesu Christi Cor-„ pori, omnium Sacramentorum fonti praecellentissimus ac „ nobilissimus omnium locus in ecclesia conveniat, neque „ humanis viribus tantum illud venerari et colere umquam*

„ *valeamus, quantum decet, tenemurque; tamen valde op-*
„ *portunum est, ut illud non collocetur in maiori, vel in*
„ *alio altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est*
„ *Missam, seu Vesperas celebraturus; sed in alio sacello,*
„ *vel loco ornatissimo, cum omni decentia, et reverentia*
„ *ponatur. Quod si in altari maiori, vel alio, in quo ce-*
„ *lebrandum reperiatur, ab eo altari in aliud omnino trans-*
„ *ferendum est, ne propterea ritus, et ordo Caeremoniarum,*
„ *qui in huiusmodi Missis, et Officiis servandus est, tur-*
„ *betur* „.

Haec dispositio sapientissima nulla indiget declatione. Nihil pulchrius, nihil rectius, reverentius, altius, sanctius dici potest. Quid igitur sunt placita hominum privatorum prae tanta sapientia? Legenda omnino sunt ab omnibus ea praeclarissima, ac sanctissima verba Clementis V. *in Concilio Viennensi*, circa Festum SSm̃i Corporis Christi, relata in Corpore Iuris. *Cap. Un. Si Dominum. De Reliquiis et Veneratione Sanctorum - in Clem.* -, ut omnes videant, et quidem clarissime, placita hominum privatorum nihil prorsus esse prae sapientia Sedis Apostolicae. In loc. cit. Caeremonialis agitur de Missa Solemni congruenter non celebranda in Altari in quo SSm̃um asservatur Sacramentum. In numero 9. Caeremoniale ex professo loquitur de Missa Pontificali Solemni coram SSm̃o publice exposito, et haec dicit: “ 9. *Quod si aliquando contin-*
„ *geret, coram Episcopo, vel per ipsum Episcopum cele-*
„ *brari existente SS. Sacramento super Altari, quod feria*
„ *quinta in Coena Domini, et feria sexta in Parasceve,*
„ *et in Missa, quae celebratur, in festo SS. Corporis Christi,*
„ *vel cum exponitur oratio quadraginta horarum, ante pro-*
„ *cessionem evenire solet; tunc omnes genuflexiones, et*
„ *reverentiae, ad unguem observari debent:* et Episcopus
„ *numquam sedere, sed stare sine mitra,* prout suis locis

„ declaratur; **et ideo non incongruum, sed maxime de- „ cens esset ut in Altari, ubi Sanctissimum Sacramen- „ tum situm est, Missae non celebrarentur, quod anti- „ quitus observatum fuisse videmus**: aut saltem cele- „ brans in eo sive solemnes sive planas Missas, reve- „ rentias, et genuflexiones praedictas omnino obser- „ vare debet „. Haee dispositio Caeremonialis. Ergo iuxta mentem, desiderium, imo voluntatem Sanctae Romanae Ecclesiae, tutius est, congruentius est, decentius est, reverentius est in casu, Missam pontificalem solemnem non celebrare. Loquimur hic ex dubio proposito, tantum de Missa pontificali solemni. Ergo *per se* celebratio haec repugnat, contradicit antiquitati ac disciplinae Ecclesiae. Praeterea non dubitamus asserere, praxim Ecclesiarum praestantiorum Urbis certo velle omissionem huiusmodi celebrationis, exceptis casibus rarissimis, manentibus sub titulo exceptionum, ut in Decreto Urgellensi: qui afferri non possunt nisi pro affirmatione ac confirmatione legis generalis de incongruentia huiusmodi Missae in Altari expositionis. — Ratio huius dispositionis, ut patet ex Caeremoniali locis citatis, in eo sita est, ut ordo Caeremoniarum non turbetur, ut vitentur omnes implicationes, difficultates quas necessario affert Missa Pontificalis Solemnis in Altari in quo expositum est Almum Sacramentum, ut tollatur non solum periculum imminens irreverentiae erga SS. Sacramentum, verum etiam irreverentiae facti. Iuxta Caerem. Ep. Lib. II. Cap. XXXIII. *de festo SS. Corporis Christi*, n. 15: “ *Episcopus . . . Missae, per primam Dignitatem, „ vel digniorem Canonicum celebrandae, paratus . . . assistit* „; Processio vero, iuxta n. 18 seqq. Episcopo reservatur. In n. 31. haec Caerem. habet: “ Si vero Episcopus „ voluerit ex sua particulari devotione hac die cele-

„ brare, ... poterit summo mane Missam planam sine „ cantu legere, omissa pro hac die, propter proces- „ sionem, ad celeriorem actus expeditionem, et ad evi- „ tandum calorem, Missa solemni „. In Cap. XXIII. huius lib. n. 4. Caerem. non dicit quod Episcopus, feria V. in Coena Domini necessario debeat celebrare Missam solemnem, sed dicit tantum, " *si ipsemet erit celebraturus* „. Unde constat ex doctrina Caeremonialis, praesertim in Lib. I. C. XII. n. 8 et seqq. congruentius esse non celebrare Missam pontificalem solemnem ante SS. Sacram. expositum, quamvis, ut constat ex eodem Lib. I. C. XII, n. 9, dari possunt casus in quibus potest celebrari, licet minus congruenter, et minus conforme traditioni Ecclesiae.

Ad Auctores liturgicos quod spectat, nobis sufficiat citare Cl. Martinucci Lib. VI, C. XXXVIII. *De Exp. aut Reposit. SS. Sacram. in Oratione Quadrag. Hor. persoluta ab Episcopo.* Haec igitur dicit: n. 1: Quibusdam in ecclesiis ad maiorem solemnitatem solet expositio aut repositio SS. Sacramenti in oratione quadraginta horarum celebrari ab Episcopo.

" 2. *Missa celebrabitur semper a Presbytero, Functio tantum post Missam reservabitur Episcopo* „. Idem docet Cap. XXIV, eiusdem Lib. VI, n. 5 et 18.

Si igitur nonnulli auctores privati docent esse congruentius menti Sanctae Ecclesiae, D. N. I. C. gratius ac gloriosius Missam pontificalem solemnem celebrare ante SS. Sacram. publice expositum, illis credendum non est, cum hoc verum non sit, ut patet ex documentis supra allatis. Praeterea, hac in re, sicut in omnibus sacris ritibus, nihil prorsus est iudicandum et aestimandum iuxta *imaginationem*, et *affectum proprium*, sed iuxta veritatem seu sacras leges Ecclesiae Romanae.

Caeteroquin praxis semper, et mire quidem cohaerere debet cum doctrina, in Sacra Liturgia, sicut in omnibus: secus foret perpetuum inconveniens in cultu divino, cum quisque leges Sacras, prout sibi libuerit, interpretari ac exequi posset, quod admitti nequit.

Denique praestet nobis animadvertere nullum, ni fallimur, hanc quaestionem pertractare Auctorem, de Missa Pontificali coram SSmo Sacramento publice exposito, quod certe non est argumentum despiciendum in casu, valens ex se solo nostram probare sententiam; et reapse, si haec Missa Pontificalis Solemnis foret congruens vel congruentius, certissime Auctores probati regulas tradidissent sequendas. Ad Caeremoniale quod attinet, regulas hac in re, nonnisi perpaucas tradit, in Lib. II, Cap. XXIII, nn. 7-9. Et tamen Caeremoniale tradit regulas omnes Missae Pontificalis pro Defunctis Lib. II, Cap. XI, et silet de regulis Missae prout in casu. — Quoad Auctores vero, omnes tradunt regulas Missae Pontificalis pro Defunctis, ut videri potest apud Martinucci, apud Baldeschi, etc., et silent de Missa, prout in casu. Quod certe valde mirum foret, ac dolendum, si haec Missa reapse congruentior esset sicuti nonnulli contendunt. Sed haec sufficiant; constituunt enim *argumentum invictum praesumptionis* in favorem nostri asserti. Haec est nostra sententia, donec S. R. C., Tribunal seu Organum Sanctae Sedis Officiale, contrarium non docuerit, ac decreverit.

Quoad ultimam citatam partem, ex diversis testimoniis plurium auctorum, videtur aliquam pati difficultatem, adeo ut hac in parte ageretur de Altari, ubi SS. Sacram, in Tabernaculo asservatur; sed malumus referre haec verba ad SS. Sacram. publice expositum ex antecedentibus et consequentibus, ut iam docuerunt Ephem. Ann. 1889, p. 363, Tit. XIV, quo

in loco praesens pertractata est quaestio, modo quidem summario, sed solidissimo ex innumeris documentis ibi relatis. Etenim si ex documentis ibi relatis vix decet *generaliter* Missam sive lectam sive cantatam celebrare in Altari ubi SS. Sacram. asservatur in Tabernaculo; si Missam privatam in Altari ubi SS. Sacram. expositum est, vetitum est celebrare; a fortiori erit illicita Missa solemnis a simplici Sacerdote coram SS. Sacram. exposito; multo magis adhuc illicita erit Missa Pontificalis solemnis. Sed nobis addenda sunt nonnulla ad clarius solvendum dubium propositum. A nobis sunt exhibenda nonnulla S. R. C. Decreta, quae prohibent Missam privatam in Altari expositionis SS. Snti. Sed sufficiat citare Decretum *in una Bononien.* 9 Aug. 1670, in quo S. R. C. declarat: *Non licere celebrare Missas in Altari, ubi est expositum Almum Sacram. stante praesertim, quod adsint alia Altaria, in quibus celebrari possint*: *alterum Feretran.* 11 Martii 1837, in quo S. R. C. declaravit *tamquam abusum consuetudinem eliminandam,* licet *invectam,* nonnullas celebrandi Missas ante SS. Sacramentum expositum, certis diebus; et tamen humillime rogaverat Orator S. R. Congr., ut servare posset huiusmodi consuetudinem. Prohibitio Missae coram SSmo Sacramento publice exposito constat manifestissime ex Decr. *in una Baionen.* 13 Sept. 1879, ad 1 et 3, ubi S. R. C. ad 1, *declaravit Magistrum Caeremoniarum optime se gessisse, agendo iuxta decisionem Commissionis Liturgicae, et mandando celebrationem Missae extra Altare ubi SS. Sacram. erat expositum, non vero sua excessisse et Parochi resistentis iura violasse; ad 2, Parochum resistendo mandatis et ordinationi Magistri Caeremoniarum et celebrando in altari expositionis male egisse, et violasse auctoritatem legitimam et regulas Ecclesiae.* Insuper S. R. C. *in una Soc. Iesu,* 11 Maii 1878 ad 1

et 7, rescripsit *Missam coram SSmo Sacramento exposito non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali Indulto*. Haec sufficiant quoad Decreta. Videamus quid praecipiat, hac in re, Inst. Clem. in Oratione 40 Horarum. Sub §. XII iubet, ne ad Altare, in quo expositum est SS. Sacram, pro Oratione 40 H. celebrentur Missae, exceptis solemnibus pro expositione, et repositione: sub §. XIV, mandat, ut Missa *Pro Pace*, die intermedio, in alio Altari celebretur, praeter Altare Expositionis, et Altare in quo asservatur SS. Sacr. in Tabernaculo. Haec omnia certe probant prohibitionem omnium Missarum, quaecumque sint, ante SS. Sacram expositum. Legenda omnino sunt ea, quae habet Cl. Gardellini in Commentariis ad Inst. Clem. §§. supra citatis; nonnulla tamen haec nobis referenda sunt ex praelaudato deprompta Auctore. Igitur §. XII, n. 2, haec notat: " *Lex autem, quae vetat celebrari alias Missas praeter duas recensitas in Altari Expositionis, nedum obtinet in Oratione quadraginta horarum, verum etiam extenditur ad alias omnes, quae per annum fiunt* „.

Deinde suum probat assertum, pluribus ex Decretis; in n. 4, haec habet: " . . . Certa est regula, quae generaliter prohibet Missas in Altari, in quo expositum est Sacramentum „. Probat postea hanc doctrinam oriri ex iure, ex pluribus Decretis habendis ut generalibus; et addit, S. R. C. prohibere Missas coram SS. Sacram. exposito, ob expositum ipsum Sñtum, ob maiorem reverentiam ei tribuendam: quibus dictis notat S. Congregationem *unicam rationem, quam necessitas praebet pro legis rigore moderando, idoneam agnoscere*. Ne alia addamus, quae tamen fortissima sunt ad nostram assertionem probandam, remittimus lectores ad Comment. Cl. Gardellini, locis citatis. — Videnda etiam sunt ea quae Cl. Cavalieri habet in tom. 4. Decret. XXX. *Cap.*

in Ord. C. XXXVII. - XXX. Cap. in Ord. XXXVIII. - Nonnulla delibamus ex *Cl. De Herdt P. Q. de SS. Sacramenti Expositione, n. 66. De Servandis SS. Sacramento exposito*, §. III, ubi in summa docet, Missam sive lectam sive cantatam non licere in Altari Expositionis, " nisi pro eo reponendo, aut nisi desint alia Altaria, in quibus celebrari possit, et celebrandi occurrat necessitas ... *Ratio est, ut populus* adorationi unice sit intentus, et ab ea non distrahatur „. Plura dein addit gravissima ibique legenda. - Omnino legenda ac meditanda sunt ea, quae dicta sunt *in Ephem. Ann. 1791, p. 638, §. VI;* ea quae habentur *in Ephem. Ann. 1890, p. 527, n. 54, Ann. 1889, p. 363, Tit. XIV*, ubi plura referuntur validissima documenta.

Addamus nonnulla specialiora relate ad Missam Solemnem in Altari Expositionis, praeter ea quae iam retulimus. Porro S. R. C. in Decreto supra citato *in una Angelopolitan.* ad 6. prohibet quominus Missa Solemnis vel cantata celebretur in Altari in quo est expositum SS. Sacramentum. Cl. Cardell. in §. XII, n. 3, ad praesens Decretum, notat non vetitum esse Missam Solemnem celebrari in Altari, *ubi est exponendum Sacramentum,* sed statim addit non licere, si iam Sacramentum sit expositum. Decretum praesens non exceptionem facit nisi pro Missa Repositionis praeter Missam Expositionis, quod pariter iubet Inst. Clem. §. XII, quod docent unanimiter omnes Auctores iam relati locisque citati. Equidem S. R. C. *in una De Nicaragua* 1 Oct. 1864, in casu particulari declaravit " *tolerari posse* „ consuetudinem ab immemorabili invectam celebrandi in Altari, ubi SS. Sacram. manet expositum, praeter Missam expositionis, seu Missam solemnitatis, " *attenta consuetudine immemorabili* „; sed non est nisi exceptio, quae *firmat regulam in contrarium*

iuxta principium illud iuris: *Exceptio a Regula firmat Regulam in contrarium*. Exceptio enim regulae est relativa, eamque supponit, et quando generatim S. C. aliquam exceptionem facit, generalem confirmat regulam. Ergo haec consuetudo *per se* non potest esse licita, seu laudabilis, in casu, quum *in se* repugnet ac contradicat legibus Ecclesiae de Missa non celebranda coram Sanctissimo Sacramento exposito, nisi auctoritas legitima seu S. R. C. illam sanet; ideoque quilibet non valet ex ea concludere *regulariter* pro liceitate Missae coram Sanctissimo Sacramento exposito. Nam ut constat ex XXVIII Reg. Iuris in 6. „ *Quae a iure communi exhorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, „ *id est, legales, aliaeque dispositiones, rescripta, statuta, dispensationes, privilegia, consuetudines, quae alicui dispositioni Iuris Communis ex parte vel ex toto adversantur, ad consequentiam, sive ad alios casus et personas non expressas, non sunt trahendae, seu extendendae*: et certe haec consuetudo opponitur sacrae antiquitati ac sacrae disciplinae Ecclesiae hac in re. Hinc haec exceptio si universaliter posset extendi, foret correctio iurium; sed, ut patet ex *Cap. Cum expediat de Elect. in 6. Omnis correctio Iurium, quatenus fieri potest, sit evitanda*: ergo exceptio de qua agitur in Decreto allato, non valet trahi ad consequentiam. Praeterea consuetudo, ut descendat ex Iure Canonico, non extenditur de loco ad locum, quod fieri non posset nisi ex praesumptione, quod certe non verificatur in casu; quia, praesumptione non data, certum est, quod consuetudo a Iure exhorbitans, seu eidem adversa, de loco ad locum non extenditur. Quod quidem saltem quadantenus iam declaratum est a S. R. C. *in una Oscen.* 16 Martii 1591, ad 17, in quo S. eadem C. declaravit Ecclesias inferiores sequi non debere caeremo-

nias Ecclesiae Cathedralis in iis, quae sunt contra Rubricas etc. Iamvero in casu consuetudo, ut supra, aperte est contra leges Ecclesiae: equidem approbata est a S. R. C., sed haec approbatio spectare non potest nisi eos, qui eam ut probatam, sicut constat ex principiis supra citatis, acceperunt, saltem ut nobis videtur. Denique est consuetudo tantum tolerata. Haec sufficiant quoad Missam solemnem in genere: addemus perpauca relate ad Pontificalem, prout in casu. Extat quidem S. R. C. Decretum, *in una Urgellen.* 11 Ianuarii 1884, ad 2. in quo quaerebatur: " utrum ad maiorem Festi (SS̃mi Corporis Christi) solemnitatem possit cantari Missa pontificalis (ut alicubi fit) adhibita diligenti cura ad praecavendas incohaerentias erga Sanctissimum Sacramentum? " Porro S. R. C. respondit: " Affirmative „. In primis tamen animavertendum est hoc Decretum nullam facere difficultatem; sicuti constat ex prima parte Dubii, in qua dicitur quod in Hispania, " in solemnitate SS̃mi Corporis Christi cantatur Missa cum expositione SS̃mi Sacramenti, quod expositum remanet usque ad Vesperas... „ deinde sequitur pars supra citata; expositio SS. S̃nti igitur fit tantummodo, finita Missa. Missa porro solemnis hoc in casu, ut supra diximus, licet, cum non sit Missa ante SS. S̃ntum iam expositum, sed exponendum; quod praeterea cohaerere videtur cum iis, quae habentur in Caerem. Ep. Lib. II, cap. XXIII, fortassis etiam cum Cap. XXXIII, eiusdem Libri.

IV. *Ex Urbe.* **De Hora Missae solemnis pro Expos. et Repositione 40 Horarum.** Inquiritur utrum extet lex aliqua praecipiens tempus, quo in Oratione XL Horarum Missae duae solemnes sunt decantandae pro Expositione et Repositione SS̃mi Sacram., itemque pro fine huiusmodi functionum?

Resp. In primis illud praemittimus principium, videlicet: In Iure " Consuetudinem longissimi temporis aut immemorabilem legis scriptae vim secum ferre, ceu titulum meliorem omnibus censeri, et praeseferre indulti pontificii praesumptionem, quin necesse sit illud probari; eo quod immemorabilis locum probationis teneat (S. C. C. 22 Sept. 1877)." — In Liturgia vero: ut aliqua consuetudo servari licite valeat, esse debet laudabilis, et rationabilis, id est non contradicens, nec repugnans Liturgicis Codicibus Decretisque S. R. C., ut clarissime demonstratum est in *Ephem.* ann. 1892, nn. Nov. et Dec. in nostris Animadversionibus super Inst. Clem. Quo posito, animadvertimus, hac in re nullam, ni fallimur, legem existere scriptam, praescribentem tempus Functionum Sacrarum, prouti petitur in Dubio; attamen affirmamus praxim unanimem ac perpetuam, fideliter inviolabiliterque servatam in hoc consistere, nimirum: Functio Sacra, prima die, h. e. Expositionis, ita incipere debet, ut paulo ante meridiem finiatur; tertia vero die, h. e. Repositionis, ita ut paulo post meridiem finiatur. Quando haec regula ubique omnique tempore fideliter servatur, SS. Sacramenti Expositio solemnis 40 H. nullam patitur interruptionem, quod omni ope vitandum est. Consequenter tempus, quo Missae solemnes, iis diebus, incipere debeant, non potest computari, quum duratio Functionis pendeat ab executione cantus, a longitudine Processionum, aliisque compluribus adiunctis similibus; ergo initium Functionum praedictorum dierum non est, bene vero finis determinatus est. Idcirco haec Urbis consuetudo, iuxta principia supra exposita, legis scriptae vim secum fert; ergo omnes ligat obligatque Ecclesias, cum reapse haec praxis habeat omnes conditiones, ut habeat vim legis. Etenim

est *immemorabilis, unanimis, laudabilis, rationabilis,* nulli legi repugnans Liturgicae, nec Canonicae. Ergo ab omnibus omnique in loco, omnique tempore est servanda.

Fortassis Ecclesiarum Rectores vel Cappellani Monialium aut Congregationum, in quibus SS. Euch. manet exposita diu noctuque, vel die solummodo, dicent: Regulam in casu sibimetipsis applicari non posse, quum SS. Sacram. semper moneat expositum, et per consequens nullam Expositio patiatur interruptionem. Sed reponimus legem praedictam bene attingere omnes, etiam hos ultimos. Nam Expositio SS. Sacram. pro oratione 40 Horarum est publica, totius Urbis, omnino solemnis, a Sum. Pontif. instituta pro bono Ecclesiae Universalis; dum e contra expositio Ecclesiarum supradictarum est particularis, singularis, carens conditionibus Expositionis pro Oratione 40 H.; ergo difficultas haec non valet. Praeterea contingere potest, ut per incuriam Rectoris alicuius, vel Cappellani, SS. Sacram. non amplius sit expositum, ex. gr., si statim, finita functione, SS. Sacram. deponatur ut in alio Sacello iterum exponatur ob peculiares causas: quod profecto foret contra mentem ac voluntatem Legislatoris in casu.

Exploratum est, tutius in re tam magni momenti esse ab initio penitus et radicitus evellere ac destruere abusus ac corruptelas forte hinc inde iam serpentes, ne irrumpant exinde irreverentiae ac incommoda. Denique quum Fideles non lateat ubique Sacras Functiones in Oratione 40 Horarum incipere generatim circa horam quadamtenus protractam, ex hac variatione sequeretur illos non amplius esse securos de hora Functionum praedictarum. Igitur consilio iuvamus omnes, ut tantillum nostram perpendant animad-

versionem, eamque gaudentes in praxim festinent reducere, ad maiorem Dei Gloriam maioremque aedificationem et Fidelium utilitatem, adeo ut in his sacris Functionibus ubique vigeat unanimis ordo ac regula.

APPENDIX

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

COLONIEN.

POSTULATUM CIRCA NOVITIOS AUT PROFESSOS VOTORUM SIMPLICIUM.

Die 19 Augusti 1892.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Colonien. et alii Borussiae Episcopi in civitate Fuldensi ad S. Bonifacii cineres de more congregati, de iis deliberaturi, quae ad cuiusque Dioecesis bonum conducere possunt, S. C. Episc. et Regul. exposuerunt difficultates et incommoda, quae ipsi experiuntur ex facto religiosorum, qui postquam ad ordines sacros evecti sunt, vitâ religiosâ rite dimissâ, ad patrios lares redeunt, et, ut clero suae quisque Dioeceseos pleno iure adnumerentur, praetendunt.

Incommoda, de quibus Episcopi queruntur, in eo consistunt, quod religiosi illi ex Instituto egressi et in suam Dioecesim reversi, saepe oneri sunt propriis Episcopis, ex eo quod hi, dum ex una parte eos in suum clerum admittere tenentur, ex altera iisdem uti non possunt, quia saepe saepius idonei non sunt sive ad sacrum ministerium exercendum, sive ad docendum in Gymnasiis, utpote qui plerumque destituti sunt conditionibus ac titulis a lege civili requisitis, et aliunde media non habent honestae substentationis sibi procurandae.

Media occurrendi huiusmodi incommodis haud deesse Oratores autumant, eademque in tribus articulis distincta proponunt, qui sic sonant:

1. Ut tam Religionibus, quam ceteris Institutis religiosis lege interdicatur, ne alumnos suos ad sacros ordines evehere faciant, priusquam sive professionem, sive vota simplicia quidem sed perpetua emiserint, sive alio modo Religioni vel Instituto perpetuo aggregati fuerint.

2. Ut tam Religiones proprie dictae, quam Instituta religiosa quaecumque omnium alumnorum, qui post ingressum in Religionem vel Institutum ad sacros Ordines promoti et postea egressi sunt, sustentationem praestare teneantur, usque dum Episcopus aliquis eosdem Dioecesi suae incardinaverit.

3. Ut ii quoque, qui vota simplicia quidem, sed perpetua emittunt, aeque ac professi votorum solemnium a iurisdictione Episcoporum perpetuo subtrahantur.

DISCEPTATIO SYNOPTICA.

Consultor, cui *pro voto* res commissa fuit, antequam disceptationem super singulis articulis instituat, observat incommoda, de quibus Episcopi loquuntur, Ordines regulares haud respicere, in quibus vota solemnia emittuntur. Huiusmodi enim Ordinibus, primum a S. Pio V, deinde a fel. mem. Pii IX, tertio tandem a SSmo Domino Nostro Leone XIII provisum fuisse asserit.

Ac praeprimis a S. Pio V consultum fuisse ait, per constitutionem *Romanus Pontifex*, qua cavetur « ne cuiuscumque Ordinis religiosi clerici sive saeculares more religiosorum viventes in communi, non professi, ad sacros Ordines promoveantur, nisi observata forma decreti Tridentini, sess. 22, cap. 2, de Reform., hoc est nisi habuerint ordinationis titulum *a titulo paupertatis*, quam nondum professi sunt, vel *a titulo mensae communis*, ad quam nondum ius perpetuum habent diversum ».

Consultum fuisse, secundo loco, ait, a fel. rec. Pii IX. primum anno 1857 per decretum *Neminem latet*, et deinde anno 1858, tum cum proposito dubio: An professi votorum simplicium, ante emissam professionem, ad sacros ordines promoveri possent? authenticis declarationibus, art. VII, respondit huiusmodi professos ad sacros ordines promoveri non posse. Ex quo responso, erui inquit, quod ius a S. Pio V stabilitum pro Novitiis Ordinum regularium

nondum professis, extensum fuit sub Pio IX ad Professos votorum simplicium eorumdem Ordinum.

Quod si post datas huinsmodi dispositiones Pius IX, gravibus incommodis viam aperiendo, per indultas dispensationes concessit, ut iustis urgentibus causis, praecipue conscriptione militari, Professi votorum simplicium ad ordines maiores ante emissam solemnem professionem promoverentur: Consultor animadvertit huiusmodi incommodis nuperrime obicem parasse SS. Dominum Nostrum Leonem XIII constituendo, ut, loco dispensationum, quae a fel. mem. Pii IX concedi solebant, simpliciter Professi, iustis concurrentibus rationibus, nondum expleto tyrocinii triennio professionem solemnem anticipare valerent.

Ex mox citatis dispositionibus cum luce meridiana pateat incommoda, de quibus Episcopi quaestus movent, quoad Ordines religiosos, in quibus emittuntur vota solemnia, seposita Societate Iesu, disparuisse; Consultor censet quoad hos nova legislatione opus haud esse.

Hisce generatim annotatis ac perpensis, Consultor gradum facit ad singulos articulos examini subiiciendos ab Episcopis pro ipsorum approbatione propositos. Et incipiens a primo articulo, superius relato, Consultor putat hunc approbari posse, dummodo post verba: *ad sacros ordines evehere faciant*, addatur incisum: *titulo paupertatis*, *seu mensae communis*. Hoc addito inciso, iuxta Consultoris sententiam, articulus bene habet; sed subdit ex animadversionibus generalibus superius relatis manifestum fieri, satis provisum esse iure iam constituto, ideoque opus non esse, ut ad novam legem recursus fiat.

E contra non admittit, imo penitus repellit, utpote intrinsece malum et perniciosissimum remedium in articulo secundo relatum, iuxta quod Ordines regulares obligati essent alimenta praestare Religiosis post susceptos ordines sacros a Religione egressis, usque dum Episcopus aliquis eosdem Dioecesi suae incardinaverit. Quandoquidem animadvertit, quod hi Religiosi de victu securi, neque Episcopum quaererent, cui subiicerentur, neque Dioecesim cui utile praestarent servitium. Imo laboriosum officium quodcumque oblatum respuerent, dulce otium praeferentes molestis curis, vigiliis et fatigationibus, atque mallent suo indulgere genio, quam alicuius Episcopi obedientiae subiici. Idque cum gravissimo ipsorum Religiosorum detrimento et s. matris Ecclesiae dedecore.

Loco itaque praedicti articuli secundi, Consultor existimat malis et incommodis, de quibus loquuntur Episcopi, efficace remedium porrigi posse, extendendo Institutis religiosis votorum simplicium easdem normas et dispositiones, quae pro Ordinibus regularibus votorum solemnium sancitae sunt. Hinc quoad dispensandos a votis, proponit, quod non concedatur dispensatio a votis in Instituto emissis, Religiosis qui ad ordines sacros *titulo mensae communis* promoti fuerunt, nisi prius Episcopi testimonium exhibuerint, qui velit, cum requisitis conditionibus, eos in suum clerum recipere, vel aliquod documentum detulerint, ex quo appareat, titulum patrimonialem ad honestam sustentationem sibi constituisse. Quod si aliquando contingat, ut concedi debeat dispensatio, quin alterutra adsit conditio, suggerit ut dispensato interdicatur exercitium sacrorum ordinum, donec alterutrum honestae sustentationis medium sibi comparaverit.

Quo vero ad admittendos, si isti utroque sustentationis medio destituti sunt, et nihilominus dimissio est decernenda, Consultor putat S. Congregationem iure examinis contradictorii uti debere ac iudicare, num Instituto imponenda sit pensio, vel non. Si primum, pro sua iustitia et aequitate, pensionis quantitatem et durationem determinet. Si secundum, dimissionis decreto adiungat suspensionem ab exercitio sacrorum ordinum, saltem donec ab aliquo Episcopo in suum clerum receptus fuerit, vel titulum patrimonialem sibi constituerit. Nisi culpa, ob quam dimissus fuit, sit adeo gravis, ut suspensionem perpetuam exigat.

Tandem relate ad tertium articulum, ut ii quoque qui vota simplicia quidem, sed perpetua emittunt, aeque ac professi votorum solemnium a iurisdictione Episcoporum perpetuo subtrahantur; Consultor praefatum articulum probabilem credit hoc sensu intellectum, ut, quemadmodum saecularizati vel expulsi ex Ordinibus regularibus non imponuntur Episcopis originis, ita nec ad ipsos remittantur et imponantur cum dispensatione egressi, vel quacumque ex causa ab Institutis votorum simplicium dimissi.

Nihilominus haud putat hunc articulum fore necessarium, si superius ab eo animadversa adoptentur. Satis enim tum provisum esset, nec egressi vel dimissi oneri essent Episcopis vel dedecori statui ecclesiastico. At quomodocumque res resolvi velit, existimat fore excipienda Instituta mere dioecesana; ex eo quod sacerdotes in iis ordinati, non minus quam Sacerdotes cleri saecularis ad Episcopum pertinent.

Ultimo tandem loco animadvertit, media, de quibus in praecedentibus articulis sermo est, non esse extendenda Patribus Societatis Iesu, ex eo quod hi specialia habent privilegia, vi quorum socios in ea ad sacros ordines promotos dimittere possunt, quin alimenta iisdem praestare teneantur, etiamsi aliunde honestae substentationis media non habeant, uti probat La Croix et P. Zaccaria tr. *de Sacram. Ordinis* ad n. 2196 etc.

Animadversionibus a Consultore expositis, per summa capita delibatis, proposita fuerunt enodanda sequentia (Ex *Acta S. Sedis*)

DUBIA

I. *An tam Religionibus, quam ceteris Insiitutis religiosis lege interdicatur, ne alumnos suos ad sacros Ordines evehere faciant, priusquam sive professionem, sive vota simplicia quidem, sed perpetua emiserint, sive alio modo Religioni vel Instituto perpetuo aggregati fuerint?*

II. *An tam Religiones proprie dictae, quam Instituta religiosa quaecumque, omnium alumnorum, qui post ingressum in Religionem vel Institutum ad sacros ordines promoti et postea egressi sunt, sustentationem, usquedum Episcopus aliquis eosdem Dioecesi suae incardinaverit, praestare teneantur?*

III. *An ii quoque, qui vota simplicia quidem, sed perpetua emittunt, aeque ac Professi votorum solemnium a iurisdictione Episcoporum subtrahantur.*

Resolutio. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, re discussâ, in plenariis comitiis diei 19 augusti 1892 respondere censuit: *Iuxta propositionem Emi Cardinalis Sepiacci, cum animadversionibus Emi Praefecti.*

Verumtamen rei necessitati S. Congr. Ep. et Reg. consuluit sequens edendo

DECRETUM

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressis et consequens ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia, qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi

vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro Ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SSmus D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Emi Patres in Conventu Plenario habito in Vaticanis aedibus die 29 mens. Augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in Audientia d. 23 Sept. huius anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 Oct. anni 1568, *Romanus Pontifex*, et declaratione sa. me. Pii PP. IX edita die 12 mens. Iunii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissioriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Maiores Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam Sacros Ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia

nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium; quoad instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 Septembris 1624 incipien. *Sacra Congregatio,* ac in decreto eiusdem S. C. iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. Iulii anni 1694, incipien. *Instantibus,* ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo: ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est nisi ob culpam gravem, externam et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec Superior cum suo Concilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio

modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892.

I. CARD. VERGA *Praef.*
† IOS. M. ARCH. CAESARIEN. *Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

DUBLINENSIS.

DE INVOCATIONE SSMI NOMINIS IESU PRO ASSEQUENDA PLEN. INDULG. IN MORTIS ARTICULO

Gulielmus Archiepiscopus Dublinensis et Hiberniae Primas, sequentis dubii declarationem enixe petit:

Nuperrime exarsit inter nostrates controversia de re, quae cum Sacerdotum, qui moribundi auxilium ferunt, maxime intersit,

haud levem excitat animorum perturbationem. Agitur de Benedictione in Articulo mortis cum Indulgentia Plenaria, concessa a S. M. Benedicto XIV in Const. d. d. 5 Apr. 1747, quae incipit « *Pia Mater* », et quaeritur utrum in locis Missionum ad lucrandam huiusmodi indulgentiam requiratur tamquam conditio essentialis ut infirmus, quamdiu suae mentis est compos, invocet nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus corde.

Quidam autumant huiusmodi invocationem oralem sive mentalem pro diverso moribundi statu esse conditionem essentialem ad assequendam praefatam Indulgentiam; et huic aiunt suffragari sententiae responsionem datam a S. C. Indulgentiarum die 20 Sept. 1775 (Prinziv. n. 357, ad 7).

Qui vero negant laudatam invocationem esse in locis Missionum conditionem sine qua non ad consequendam praefatam indulgentiam, notant facultatem eam largiendi concessam fuisse sacrorum Antistibus in locis Missionum existentibus, seu quocumque tempore extituris a S. M. Clemente XIV, die 5 Apr. 1772. Secretarius S. C. de Prop. Fide tunc temporis existens refert tenorem huiusmodi concessionis, et ipsa concessionis verba prostant in pagella facultatis pro Episcopis in locis Missionum constitutis a S. C. de Prop. Fide in praesentiarum data.

Iamvero hisce Pontificis verbis ante oculos positis, fautores sententiae negantis advertunt: 1. Pontificem nihil exigere nisi ut « servetur formula praescripta a s. m. Benedicto XIV in Constitutione d. d. Aprilis 1747, quae incipit « *Pia Mater* ». At vero in huiusmodi formula nullibi invenitur praescripta invocatio Nominis Iesu: docent 2.; responsionem S. C. Ingulg. ius quidem edere pro illis orbis partibus, ubi Episcopi accipiunt facultatem impertiendi hanc Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Brevia, in quibus praescribitur invocatio nominis Iesu: existimant vero fautores praedicti laudatam responsionem nihil efficere pro locis Missionum, ubi facultas impertiendi memoratam Benedictionem cum Indulgentia Plenaria executa, non vi Brevium in quibus praescribitur invocatio Nominis Iesu, quae Brevia Episcopis in locis Missionum constitutis minime dantur, sed vi concessionis Clementis XIV: quae de tali invocatione omnino silet.

Ita quidem hinc atque illinc acriter disceptatur, et sacerdotes, qui curam gerunt animarum ancipites haerent cum de ratione agendi hactenus servata, tum de certa agendi norma in posterum servanda.

Hisce expositis vel paulo fusius quo status quaestionis plenissime innotescat dubium, cuius declaratio a S. Sedis oraculo enixe efflagitatur, ita concipi potest:

Ut Christifidelis in locis Missionum degentes et in ultimo vitae discrimine constituti, valeant accipere Benedictionem in articulo mortis et consequi Indulgentiam Plenariam, vi eiusdem lucrandam ex Concessione Benedicti XIV, in Constitutione *Pia Mater* d. d. 5 Apr. 1747, requiriturne tamquam conditio sine qua non ad lucrandam praedictam Indulgentiam, ut aegrotus in locis Missionum constitutus quamdiu suae mentis est compos, invocet Nomen Iesu - ore si potuerit, sin minus corde.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, re mature perpensa, praefato dubio respondendum censuit.

Affirmative; idest invocatio, saltem mentalis, ssmi Nominis Iesu est *conditio sine qua non* pro universis Christifidelibus, qui in mortis articulo constituti, plenariam Indulgentiam assequi volunt, vi huius Benedictionis, iuxta id quod decrevit haec S. C. in una Vindana sub die 23 Septembris 1775.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 22 Septembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI *Praef.*

L. ✠ S.

† ALEX. ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*V. N. 1. huius anni*)

(*Contin. Tit. VI de Vigiliis*)

TEXTUS

N. 2.

Si vigilia occurrat in Dominica de ea fit officium in Sabbato (150) quod non sit impeditum officio novem lectionum; quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio ut dictum est (151). Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis et Epiphaniae Domini (152); quae si venerint in Dominica, fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur (153). Si autem in Vigilia occurrat Festum solemne alicuius loci (154) vel ex solemnioribus infra annum, quae inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (155), (veluti si in Vigilia Sancti Ioannis Baptistae venerit festum Corporis Christi) (156), nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de Vigilia (157) excepta Vigilia Epiphaniae (158). Idem servetur quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, nulla enim in his feriis de Vigilia fit commemoratio (159).

(150) *Si vigilia occurrat in Dominica de ea fit officium in Sabbato.* Cum in Dominica die, ob gaudium Resurrectionis, cuius memoria in ea ex Apostolicis Constitutionibus (*lib. 5, cap. 21*) recolitur, ieiunare iure vetitum sit (Dist. 76, c. *Utinam*); ideo, si in Dominica occurrat aliqua Vigilia, ieiunatur in Sabbato praecedenti; docet enim D. Thomas (*2. 2, q. 147, art. 5 ad 3*): " Ieiunia quae praecepto Ecclesiae instituta sunt esse ieiunia afflictionis, quae non conveniunt diebus laetitiae „. Fit autem in Sabbato officium Vigiliae simul cum anticipato ieiunio, ut oratio ex abstinentia melior fiat ad praeparationem festi.

(151) *Quod non sit impeditum officio novem lectionum, quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio ut dictum est.* Vigilia enim in casu anticipatur, de eaque fieri debet ac si sua occurreret die, hinc eadem lege agitur vel officium vel commemoratio prout supra docet Rubrica.

(152) *Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis et Epiphaniae Domini.* Licet Vigilia Nativitatis, quoad ieiunium anticipetur in Sabbato, Rubrica tamen eam excipit eo quod officium eius reapse celebratur in Dominica. Et sane, officium Vigiliae Nativitatis totum est ut animos proxime excitet ad celebrandum in crastino Nativitatem Dominicam; sensus ergo huiusmodi Officii bene convenire possunt cum Dominica die. Similiter Officium Vigiliae Epiphaniae, fit in occurrenti Dominica, primo quia est officium festivum et semiduplex, secundo autem quia Dominica quae occurrere potest a die prima Ianuarii, usque ad Epiphaniam officio caret, est enim una ex Dominicis *vacantibus*.

(153) *Quae si venerint in Dominica fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur.* Scilicet de Dominica IV Adventus in casu, agitur officium ad Matutinum, ac dein

de Vigilia, ut notatur in proprio loco; de Vigilia vero Epiphaniae agitur eodem modo quo celebratur cum occurrit in feria.

(154) *Si autem in Vigilia occurrat festum solemne alicuius loci.* Nulla ex vigiliis, quae celebrantur ab Ecclesia universali, impediri potest a solemnitatibus primae classis in Breviario Romano comprehensis; bene ergo Rubrica hic respicit casum tantummodo, quo in Vigilia aliqua occurrat *festum solemne alicuius loci;* nempe aliquod festum primae classis particulare cuiusdam Ecclesiae, puta Patronus loci, Titulus aut Dedicatio Ecclesiae.

(155) .... *vel ex solemnioribus infra annum, quae inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur.* Nempe ex illis festis solemnioribus, seu primae classis, quae indicantur § 5, Tituli IX, *De commemorationibus.* Licet ergo nulla ex illis festivitatibus occurrere possit in aliqua vigilia, ut supra diximus, nisi Festum Corporis Christi, quando incidit die 23 Iunii, quae est vigilia S. Ioannis Baptistae, nihilominus Rubrica de omnibus loquitur, ut legem ponat pro omnibus festis aequalis ritus.

(156) ....*veluti si in Vigilia S. Ioannis Baptistae venerit festum Corporis Christi.* Hic casus ponitur ad exemplum ad facilius declarandam legem sequentem.

(157) ....*nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de Vigilia.* Hunc locum exposuit, more suo, Gavantus (sect. 3, c. 7, n. 3) docens: " Vigilia occurrens in festo primae classis in officio nullum habet locum, neque etiam commemorationem, ne solemnitas imminuatur, imo expediret, auctoritate maiorum, eo casu anticipari ieiunium ante illud festum primae classis, eo modo quo testatur Navarrus (*in Man. c. 21, n. 11*) Leonem X statuisse ut eo anno, quo Vigilia S. Ioannis

Baptistae incidit in festum Corporis Christi, pridie eiusdem festi ieiunetur, quarta scilicet Feria „.

Quod hic dicitur a Gavanto Leonem X statuisse, opportune postea decrevit Urbanus VIII in suo brevi 15 Octobris 1638, *Cum evenire*, in quo legimus: *Quoties vigiliam* (S. Ioannis Baptistae) *praedictam in diem festivam solemnitatis SS. Corporis D. N. Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe Feria IV, prout ieiunatur in ipsa vigilia, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus* ..... (S. R. C. decret. N. 1090) „.

Attamen cum in hac Urbani Pp. Constitutione nil dicatur de officio Vigiliae anticipando simul cum ieiunio, ortum est dubium an revera huiusmodi officium anticipandum sit nec ne. Quod dubium, relatum ad S. R. C. hisce verbis resolutum est: *Nihil de Vigilia in officio et Missa esse peragendum* (*18 Septembris 1706, N. 3753*); quod decretum adprobavit et ratum habuit Clemens Pp. XI die 2 Octobris eiusdem anni. " Mirabitur forsan quis, ait Meratus (*sect. 3, c. 7, n. 2*), et quaeret cur S. R. C. in hoc casu cum anticipatione ieiunii non coniunxerit commemorationem Vigiliae, vel potius eiusdem Vigiliae Officium, si nullum occurrat festum novem lectionum, eo modo quo fieri solet quando Vigilia aliqua occurrens in Dominica transfertur in Sabbatum praecedens...... Huic quaesito satis fieri posse crediderim, Summos Pontifices, Sacramque Congregationem laudabiliter statuisse in dicto casu anticipationem ieiunii.... nullam vero statuere voluisse mutationem Rubricae Generalis circa officium vel commemorationem Vigiliae, de qua ibi praescribitur, quod si occurrat in festo 1 classis, nullum in

officio habeat locum. Hanç igitur Rubricae dispositionem S. R. C. immutatam reliquit in praedicto casu et solummodo anticipationem ieiunii optime praescripsit, quia, ut etiam notat Gavantus supra n. 3, expedit in similibus casibus transferri ieiunium in pridianam diem, absque eo quod anticipetur et connectatur cum ieiunio Officium Vigiliae, separari namque possunt unum ab alio „.

Haec ratio, quae facit satis Merato, parum arridet Cavalerio (*V. 2, c. 15, decr. 2, n. 2, 3 et 4*), licet enim Gavantus (*hoc loco*) et Guyetus (*lib. 4, c. 5, qu. 1*) doceant bene posse separari ieiunium ab officio, id tamen non facit ad rem nostram. Audiamus Cavalerium (*loco cit.*): " In rationem producit Gavantus, quod officium Vigiliae Nativitatis, quando incidit in Dominicam, separatur a ieiunio; at ratio ista futilis est, non est quippe ista vigilia ferialis et communis, nec ritu ordinario peragitur, sed a laudibus festivum sortitur officium, quare ex eadem invalidum desumitur argumentum pro simili attentando in casu vigiliarum communium et ferialium, quarum officium, uti illius, eadem de causa non retinetur cum incidit in Dominicam „.

Volens ergo Cavalerius rationem adaequatam adducere, prosequitur dicens: " Magis itaque id probatum iri credimus ex Rubrica VI, n. 2 quae in proposito casu diserte statuit: *Si autem in Vigilia occurrat festum solemne* (1 classis).... *nihil tunc prorsus nec commemoratio fit de Vigilia.* Potestne clarior esse Rubricae dispositio? Si Vigilia incidente in festo Corporis Christi *nihil prorsus nec commemoratio fit de ea,* utique nec in ipso festo Corporis Christi, nec in die praecedenti, in qua anticipatur ieiunium; dictio enim *prorsus* est dictio praecisa, nullam limitationem admittens; quinimo si

una cum ieiunio officium anticipari voluisset, id indubie praescripsisset, uti praecedenter fecit de Vigilia occurrente in die Dominico. Quoniam itaque in occursu Vigiliae in proposito similive casu, nihil de Vigiliis faciendum esse disponunt Rubricae, et occurrenti Solemnitati Corporis Christi obstare videbatur ieiunium, anticipatione ieiunii et omissione officii apprime bene et laetitiae festi et Rubricae indemnitati consulendum esse censuit Congregatio „. Nihilo secius, si nostram licet totam exprimere mentem, nobis videtur ratio quoque Cavalerii omnem inquisitionis et admirationis locum e medio non auferre. Revera, ideo quia Rubrica, quam hic exponimus, *nihil prorsus* fieri praescribat de Vigilia quae incidit in festum 1 classis, videretur neque ieiunium anticipari posse; verba enim *nihil prorsus* malignae naturae sunt, et in casu, omnia fieri prohibent, quae pertinent ad Vigiliam, officium nempe et ieiunium.

Quod ita verum est, ut ad inducendam anticipationem ieiunii Vigiliae S. Ioannis Baptistae in casu, Constitutione pontificia opus fuerit; nisi enim id statuisset Urbanus VIII, ex locutione Rubricae numquam id fieri concludi potuisset.

Videtur ergo, quod sicut Urbanus VIII non immutavit, saltem directe, Rubricam ordinando ieiunii anticipationem, ita et S. R. C. bene potuisset et anticipationem Officii Vigiliae in casu praescribere, quin directe haec Rubrica immutata maneret.

Siquidem, rigorose loquendo, Rubrica nihil fieri de Vigilia praescribit in ipso festo 1 classis; tacens de pridiana die, igitur via aperta manet ad anticipationem pridie agendam tam ieiunii, quam Officii; ergo bene potuisset S. R. C. et hanc anticipationem decernere, uti fit quando Vigilia anticipatur in Sab-

bato, ob rationem, quam ad rem profert Gavantus (*hoc loco n. 2*). ut nempe cum ieiunio anticipato, bona sit oratio, scilicet Officium, ad praeparationem festi.

Quam ob rem, admiratio quam Meratus expertus est. adhuc superest in nobis; ac proinde voluntatem S. R. C. in casu reverenter accipientes, rationem eius decreti ultra non inquirimus, expectantes ut sapientiores nobis illam exhibeant; cum pacto tamen, quod rationes a Merato et Cavalerio adductae, sicuti inanes et inadaequatae deserantur.

(158)..... *excepta Vigilia Epiphaniae.* De hac enim agitur commemoratio, etiamsi occurrat in ea Duplex 1 classis. Ratio huius privilegii nobis esse videtur, quia Evangelium, quod in ea legitur: *Defuncto Herode ecce Angelus etc.* pertinet ad circulum Evangeliorum in quibus narratur historia D. N. Iesu Christi. Cum itaque mens sit Ecclesiae ut historia Salvatoris in cursu Officii divini per annum omnino legatur, hinc voluit Rubrica ut de Vigilia Epiphaniae fieret saltem commemoratio, ne historia infantiae Salvatoris imperfecta maneret. Sicut ergo de Dominica per annum fit commemoratio in duplicibus quoque primae classis, ne circulus Evangeliorum quae Christi doctrinam tradunt, interrumpatur, ita et de Vigilia Epiphaniae agenda est commemoratio in casu. Ceterum cuique patet officium Vigiliae Epiphaniae festivum esse, de eoque fieri quando etiam cadit in Dominica; non dedecet ergo de eo commemorationem fieri etiam in duplici 1 classis.

(159) *Idem servetur quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, nulla enim in his feriis de Vigilia fit commemoratio.* Ratio huius est, quia Vigiliae sunt feriae poenitentiales ad hoc institutae, uti diximus, ut oratione et ieiunio mentes fidelium praeparentur ad festa in crastino celebranda.

Cum igitur feriae Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum iam sint poenitentiales, in eis superfluum esset de alio officio poenitentiali agere; bis enim de eodem fieri Rubricae prohibent. In Missa tamen commemoratio agitur de Vigilia, hisce quoque temporibus, ob aliam rationem, quam non est hic locus exponendi.

Continuabitur.) Doct. PETRUS PIACENZA.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 2, pag. 79*)

CAP. VII.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

§. 1.

DE MATERIA FORMA ET PRAESTANTIA SACRAMENTI EXTREMAE UNCTIONIS.

Dico 1. Materia Extremae Unctionis est Oleum specialiter benedictum ab Episcopo. Patet de oleo ex explicitis verbis (*Cap. 5, v. 14, et 15*) Iacobi Apostoli, nec non ex Decreto ad Armenos Eugenii Papae IV, quod oleum olivarum expresse nominat. De benedictione Episcopi constat ex Tridentino (*Sess. 14, cap. 1*),

quamvis Sacerdos ex Pontificia delegatione id possit, ut habetur ex Decreto Clementis Papae VIII circa Graecorum ritus. Denique benedictionem debere esse specialem manifestum est ex illius fine, qui ad Sacramentum Extremae Unctionis necessario ordinem dicit.

Dico 2. Olea benedicta esse debent feria V in coena Domini. Abunde constat ex Pontificali Romano, ubi Instructio et peculiares inscribuntur ritus *de officio in feria V in coena Domini, cum benedicitur* inter alia, *oleum infirmorum.* Patet insuper ex Rituali Romano (*Tit. V, cap. 1, n. 3*).

Dico 3. Forma Extremae Unctionis sunt nota verba quibus unctio eiusque effectus exprimitur. Patet ex Rituali Romano, quod hanc formam describit cum necessariis mutationibus in singulis unctionibus adhibendis. Eadem autem forma deprecativa est, quia praeter certum, dispositione posita, Sacramenti effectum, alius imploratur, qui incertus est: ita Catechismus Romanus (*De Extr. Unct. n. 7*).

Quaeres 1. Quomodo materia et forma sint coniungendae?

Resp. Ita verba in unaquaque unctione sunt coniungenda, ut verba non prius absolvantur quam absoluta sit respectiva partis vel partium unctio, adeo ut moraliter coniungantur. Hinc Rituale iubet, sic unctiones faciendas esse, ut verba aptentur formae (*Loc. cit. n. 8*).

Quaeres 2. Quanta sit praestantia huiusce Sacramenti?

Resp. Desumi primo potest Extremae Unctionis praestantia ex certo et excellentiori, quem gignit, effectu, seu remissione directa venialium, atque indirecta lethalium culparum: quae ad animae sanitatem pertinet. Praeterea ex eo quod aliquando et sanitatem

conferat corporis, si animae non noceat, eiusdem excellentia dignoscitur, sicut etiam ex ipsis nominibus, quibus appellatum fuit apud veteres, uti *Oratio cum oleo, Sacrati Olei Unctio, Sacramentum exeuntium*, etc. etc.

§ 2.

DE OLEI SANCTI ASSERVATIONE ET DELATIONE.

Quaeres 1. Quo loco Oleum infirmorum asservandum?

Resp. Oleum infirmorum in vase vel argenteo vel stanneo decenter, communius cum bombacio, in loco sacro, id est Ecclesia servandum est ob reverentiam (*Rit. Rom. Tit. V, cap. 1, n. 6*). Materia seu fragilis uti vitrea, seu quae male potest olere, uti aurichalcus, ex iure prohibetur. Vas, ubi Oleum continetur, operculo debet esse clausum, velo serico violaceo contectum, clavique obseratus locus in quo custoditur.

Quaeres 2. An domi illud asservari Parochus possit?

Resp. Id S. R. C. prohibet, excipitque solum magnae distantiae casum, tumque ea quoque servanda quae honestam tutamque custodiam respiciunt (*Gandaven. 16 Dec. 1826, ad III*). Iure nihilominus asservatio in domo prohibita, quae est habitualis intelligitur, haud illa quam aliquando excusare necessitas potest (*V. Moral. S. Alphonsi Lib. VI, n. 730*); Sacramenta enim propter homines Christus Dominus instituit.

Quaeres 3. Quomodo antiquitus Oleum Sanctum ad infirmorum domos delatum fuerit?

Resp. Antiquitus eadem fere adhibita solemnitas fuit pro Oleo Sancto in domos deferendo, ac pro ipso Via-

tico. Sex namque, alias duo Sacerdotes comitabantur ministrum Extremae Unctionis, et frequens populus sequebatur Sacerdotes ad domum infirmi, in qua psalmos recitabat (*Martene De antiq. Eccl. Ritib. Tom. III, Lib. I, cap. VI et seq*). Quae solemnitas circa saeculum XIV relinqui coeptum est in Ecclesia Latina, in Graeca servatur adhuc.

Quaeres 4. Quaenam circa delationem in praesenti servanda ex Rituali Romano?

Resp. 1. Unus, et Presbyter, sacrum defert Oleum una clericis seu ministris, vel uno saltem, crucem sine hasta deferente, aquam benedictam cum aspersorio ac Rituale, nisi iam in domo infirmi haec fuerint praeparata. Olei vas decenter a Presbytero accipitur, cauteque, ne effundatur, deferendum. Si vero longum sit iter, aut equitari necessum sit, vas in sacculo includendum, et appendendum ad collum, ut securius et commodius perferatur (*Rit. Rom. Tit. V, cap. 2, n. 1 et 2*). Excipe casum necessitatis pro laico, si aliter fieri nequeat, qui Oleum Sanctum deferre potest, uti Gardellinius, Catalanus, Barufaldus, aliique communiter docent.

Resp. 2. In Oleo deferendo superpelliceo et stola uti Sacerdos non debet, neque ipse, aut fideles, apertum habere caput debent (*Toletana 31 Aug. 1872 ad II*): neque illud deferre cum luminibus accensis, uti S. R. C. declarat (*Baren. 28 Ian. 1606: Gandaven. 16 Dec. 1826 ad 2*): neque sonitum campanulae adhibere (*Rit. Rom. loc. cit. n. 2*). Quae omnia praescribuntur, ne cultus qui sanctis Oleis tribuitur cum illo confundatur, qui soli Eucharistiae tribuendus est.

§ 3.

DE ADMINISTRATIONE EXTREMAE UNCTIONIS.

Quaeres. 1. Quomodo Extrema Unctio ministranda?

Resp. Sacerdos induit superpelliceum et stolam violacei coloris, iisque in levamen infirmi servatis, quae Rituale statuit (*Tit. V, cap. 2, n. 4*), et maxime, si opus sit, illius confessione audita, dataque absolutione, preces recitat praescriptas, post quas, accenso lumine cereo, ad administrationem procedit.

Quaeres 2. Quaenam partes in infirmo iuxta antiquitatem ungebantur, quaenam ungendae iuxta praesentem disciplinam Ecclesiae?

Resp. 1. Antiquitus unaquaeque fere in Occidente Ecclesia suam sequebatur consuetudinem, ut una duas, alia quatuor, alia sex, alia decem atque etiam plures inungeret, nec semper easdem, infirmi corporis partes (1). Varias quoque Orientis Ecclesiae habuerunt consuetudines; ac quamvis unctiones servabant in praecipuis sensibus, alias inungendas partes saepe saepius mutabant.

Resp. 2. Praesens vero disciplina iuxta Rituale servanda, est ut septem inungantur in viris, sex tantum in feminis partes: in illis, videlicet, oculi, aures, nares, os, manus, pedes, renes: in istis vero eaedem, exceptis ob decentiam renibus (*Rit. loc. cit. n. 8 et 9*).

---

(1) Pontificalis Liber ex. gr. Cameracensis Ecclesiae faciendas iubet unctiones *in vertice, in fronte, in temporibus, in facie, in superciliis oculorum, in auribus deintus, in narium summitate, in labiis exterius, in gutture et collo, inter scapulas, inter pectora, super manus deforis, in pedibus etc.*

Imo quod renes attinet, in ipsis viris saepe omittitur unctio, ita eodem Rituale docente, si infirmitatis gravitas id exigat (*Ibid. n. 11*).

Quaeres 3. Quid Parocho agendum, si administraturus Extremam Unctionem, infirmum moriturum esse sentiat?

Resp. Omnibus vel ex parte precibus ritibusque omissis prout necessitas suggesserit, ab unctionibus incipit respectivisque formae verbis. Quod si imminens prorsus mors fuerit, Sacerdos frontem inungat, unam et generalem adhibens formam.

Quaeres 4. Quid de hac unica unctione, ac generali forma iudicandum?

Resp. Rituale Romanum prorsus de ea silet, utraque communiter nihilominus traditur, consulitur et probatur ab omnibus, seu Moralis seu Liturgicae legis peritis. Hinc, ne quidquid ab hominum facultate dependet omittatur in iuvamen infirmi, ita profecto in necessitate agendum. Cum tamen omnimoda validitatis certitudine in Sacramento sic administrato non habeatur, si tempus suppetat, singulae, post generalem, unctiones faciendae, praescriptaque respectiva verba proferenda sunt. Quinimo et reliquae supplendae omissae preces, quae tamen pro vivis, haud pro mortuis institutae, omittendae, si infirmus decedat.

Quaeres 5. Quomodo unctiones fieri debeant?

Resp. Exigit Rituale Romanum, ut unctiones pollice fiant intincto in Oleo Sancto, et in modum crucis (*Loc. cit. n. 8*). Sola contagii necessitas, non vero consuetudo, permittere potest, ut loco digiti utatur Sacerdos stylo vel virgula, licet argentea, in faciendis unctionibus (*Portus Aloisii, 9 Maii 1857, ad II*).

Quaeres 6. Quid Sacerdoti agendum, si mutila fuerit pars ungenda?

Resp. Si pars ungenda mutila fuerit, vel alia de causa ungi non possit, partem proximiorem ungendam Rituale Romanum docet (*Tit V, cap. I, n. 18*), et sub eadem forma, ut quaevis imperfectio Sacramenti vitetur.

Quaeres 7. Quid post absolutas unctiones agendum?

Resp. Lotis sibi manibus, precibusque in Rituali praescriptis recitatis, salutaria monita pro sua prudentia Sacerdos suggerat infirmo, ut ad moriendum in Domino confirmetur; aliaque omnia praestet, quae caritas docet. Expletis omnibus private revertitur, Oleumque sacrum loco suo reponet.

§ 4.

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Quaeres 1. Cuinam dari tantum possit Extrema Unctio?

Resp. Ex perpetua constanterque servata consuetudine in Ecclesia, ii tantum sunt capaces Extremae Unctionis, qui baptizati et peccati capaces aliquo gravique morbo laborant, ut vita periclitari videantur. Idem de senio confectis dicas, cum ipsa senectus sit morbus. Haud proinde ministrandam Extremam Unctionem docet et iubet Rituale Romanum inituris praelium, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut morte damnatis, aut pueris usum rationis non habentibus (*Tit. V, cap. I, n. 9*).

Quaeres 2. Quid de amentibus iudicandum, Sacramentum quod spectat Extremae Unctionis?

Resp. Perpetuo amentibus non est ministrandum, cum non sint culpae capaces: qui vero sanae mentis fuerunt, et postea in amentiam inciderunt, ministrandum,

modo et irreverentia non timeatur, et illud recipere velle aut significarunt, aut iure praesumitur (*Rit. Rom.*, *loc. cit.*, *n. 6*).

Quaeres 3. Quid cum impoenitentibus agendum?

Resp. Cum Sacramentum Extremae Unctionis sit vivorum, iis omnino denegandum, si uti tales habentur, sicut et iis qui peccato mortali manifesto moriuntur, et excommunicatis (*Ibid.*, *n. 8*).

Quaeres 4. Utrum iterari iisdem infirmis Extrema Unctio possit?

Resp. Affirmative, cum nullum imprimat characterem. Nihilominus semel tantum eadem in infirmitate ministranda, nisi satis diuturna fuerit: ut si cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat (*Ibid.*, *n. 14*).

Quaeres 5. Quonam in morbi statu hoc Sacramentum infirmis ministrandum?

Resp. Iure merito Sacramentum istud, et Extrema Unctio dicitur, et Sacramentum exeuntium. Hinc tunc ministrandum, cum morbus ita in gravitate processit, ut proxime infirmus videatur moriturus. Animadvertendum nihilominus, non esse expectandum, ut sensibus sit destitutus infirmus, omnique spe sanitatis omissa, vita carere incipiat (1). Plurimi enim interest, ut in hoc Sacramento recipiendo suimet conscientiam infirmus habeat, sicque eiusdem Sacramenti effectuum particeps uberius fiat (*Catechism. Conc. Trident. n. 8*).

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

(1) Caveant parochi, ne infirmi exterrendi nimio timore correpti, ipsum decipiant cum tanto animae detrimento. Prudentia quidem et maxima cum spiritibus debilibus utendum; sed mortis periculum non celandum, et ad exeundum e vita omni ope disponendi sunt, ne falsa caritate moti, illis sibique grave Sacerdotes damnum inferant.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

III.

DE CANTU *BENEDICTUS* POST CONSECRATIONEM IN MISSA CANTATA.

Quaedam ex Capitularibus Ecclesiis consuetudinem habet, ut post calicis elevationem aliquod concinatur a musicis motettum, et proinde prosecutio trysagii per *Benedictus*, necessario cum ipsius cantu trysagii post Praefationem coniungatur. Cum autem nuper electus a Capitulo eiusdem Ecclesiae fuerit novus caeremoniarum magister, hic acriter defendit, seu ex Rubricis, seu ex lege Caeremonialis Episcoporum cantum *Benedictus* nulla ratione haberi posse coniunctim cum trysagio, sed separandum esse: ita ut trysagium post Praefationem, *Benedictus* vero nonnisi post utramque semper elevationem cantari debeat. Eo magis, novus inquit caeremoniarum magister, quia eiusmodi separatio graviori dat locum inconvenienti, ut nempe motettum, quod post consecrationem canitur, saepe diversum a Sacramento obiectum habeat, et quandoque a mysteriis quae celebrantur, mentes avocet. Fortiter tamen obsistunt ei nonnulli ex Canonicis, qui et Rubricis pariter et Decretis innixi, sustinent eorum consuetudinem posse toto iure servari.

Quaeritur:

1. *Quaenam Trysagii in Missa antiquitas seu in latina seu in graeca Ecclesia, et quaenam eius significationes?*

2. *Quid circa tempus canendi vel legendi* Benedictus *erui certo possit, seu ex Rubricis seu ex S. R. C. decretis?*

3. *Quid de consuetudine, omnibus inspectis, de qua in casu?*

SOLUTIO.

Ex Dissertatione Rev. Dom. Iosephi Palica ex alumnis Pontif. Seminarii Romani, habita in Ecclesia Cong.nis Missionis die 17 Ian. an. 1892: acta Epitoma per Ill.mum ac R.mum Dom. Victorem Van den Branden Episc. Erythrens.

I. Inquiritur primo de antiquitate Trysagii in Missa, seu Latina seu Graeca Ecclesia inspecta, deque illius significationibus.

Iuxta Graecae Ecclesiae disciplinam duplex est Trysagium in Missa: ex quibus saepe in Missa alterum concinitur, aliisque divinis officiis, nempe: " Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et immortalis, miserere nobis „. De eo Baronius loquitur (*an. 446, n. 5 et seq.*), et videre illud est in fere cunctis Graecorum Liturgiis, appellaturque graece Τρισαγιον. Hoc Latini haud utuntur in Missa, in quorum nihilominus Liturgia legitur, uti feria VI in parasceve ad adorationem Crucis. Alterum illud est, quod Graece dicitur Επινικιον, seu *triumphale*, quod commune est utrique, Graecae ac Latinae Liturgiae, et ante Canonem concinitur per verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, etc. cum reliquis, atque *Benedictus qui venit*, etc. Primo praetermisso, de quo sermo nobis non est, in altero impendemus operam, prout petitio inquirit.

Duabus partibus constat: incipit prima a *Sanctus*, ad *Benedictus* desinit: ab hac, altera initium sumit;

et cum *hosanna in excelsis* absolvitur. Illa ab Isaiae profetia desumpta est, in qua postquam inclytus vates, se Dominum vidisse narravit, sedentem supra solium excelsum et elevatum, se audiisse testatur Seraphim alterum ad alterum seu alterne clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius* (*Cap. V, v. 3*). Haec eadem verba assumpsit Ecclesia, ut paulo ante quam realem, mysticam, divinamque litet Supremo Dominatori Victimam, acceptissimum una cum caelestibus offerat sacrificium laudis. Hinc et eadem fere ad literam verba, et alterna canendi ratio, ut Seraphim Christi Sponsa mores gerat.

Ista vero ab Evangelio SS. Matthaei (*cap. 21, v. 9*) et Marci (*cap. XI, v. 10*) accepta fuit: quod de iis enarrat, qui vestimenta propria sternebant in via, quam incessurus est Christus, quem tum praeeuntes cum sequentes acclamabant, *Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.* Atque ita divinis Dominum laudibus exornabant, dum triumphans erat Ierusalem ingressurus.

Ad tempus quod spectat, quo Trysagii decantandi usus invectus in Ecclesiam fuit, vix determinari illud potest, nisi, uti Praefationes, vel Apostolis, vel Apostolicis viris in ipsis Ecclesiae primordiis florentibus sit tribuendus. Plures enim, ait Eñus Bona (*Lib. II, cap. X*), hunc hymnum a Xysto Pontifice huius nominis primo additum referunt, qui profecto ante II saeculi dimidium Petri Cathedram tenuit. Sed fortasse Libri Pontificalis auctoritati innituntur: quae nihilominus satis aliter intelligenda venit. Non enim dicit, praefatum Pontificem Trysagii dicendi consuetudinem induxisse, sed tantum eumdem constituisse, ut Sacerdotem dictum hymnum incipientem totus po-

pulus sequeretur, eumdemque cum illo concineret. Ex quo iam licet inferre, consuetudinem trysagii in Missa iam extitisse ante Xystum I, hoc est ante dimidium secundi saeculi.

Sed animadvertere praestat, cum Trysagio in fine praefationes singulas fuisse absolutas. " La preface, ait Duchesne, se termine par une évocation de la gloire divine, et le chant du Sanctus (*Origines du culte chrétien, pag. 171*) „.

Revera, si Liturgiam legas S. Basilii, Liturgiam Maronitarum, Liturgiam Gallicanam, Liturgiam S. Iacobi, sicuti ceteras, in omnibus videre est Praefationem cum Trysagio concludi. Adeo ut cl. Sala, Bonae Adnotator, iure praedicet: " Sensus... semper idem est omnium Praefationum..., omnes sicut iisdem pene versibus incipiunt, ita et hymno cherubico concluduntur (*Lib. II, cap. X, § II, not. 3*). „ Hinc eadem tribuenda Trysagio origo, quae Praefationibus communiter ab omnibus tribuitur, nempe quidquid de earum auctoribus incerti dicatur, indubium nihilominus est in ipsis Ecclesiae primordiis iam usum Trysagii extitisse. Ita Emus Bona de Praefationibus (*Loc. cit.* § *I*). Idem nos inferimus ad Trysagium quod spectat, idque in utraque, seu Latina, seu Graeca Ecclesia, quae nunquam Praefationibus, consequenter nec Trysagio in Missa caruit.

Significationes vero, quae in Trysagio comprehenduntur, esse subliminiores nequeunt. Licet enim ab antiquo derivet foedere quoad primam partem, nilque fortasse mysterii in eo adspicerent Hebraei, Patres in novo SS. Trinitatis arcanum statim contemplati sunt. In pervetusto Missali Corbiensi dum chorus Trysagium cantabat, laus dicenda reperitur in honorem SS. Trinitatis. Praeclare Ambrosius, ait Emus Bona: " Che-

rubim et Seraphim indefessis vocibus laudant et dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non bis dicunt, ne Spiritum excludas: non Sanctos dicunt, ne pluralitatem aestimes: sed ter repetunt et idem dicunt, ut... distinctionem Trinitatis et Divinitatis intelligas unitatem (*Loc. cit.* § *IV*). „ Perbelle Hildebertus sequenti exametro animadvertit:

Ter positum Sanctus Trinum notat esse; sed unum
Declamat Dominus atque Deus Sabaoth.

Hoc igitur sacrae Confessionis praeconium seu Praefationem, ita rectissime, ait cl. supercitatus Sala, concludit Ecclesia, ut cum Angelis simul et homines eumdem seraphicum devoti pectoris hymnum decantent, ter Sanctus dicentes, semel Deus ut unitatis et Trinitatis mysterium comprobetur (*Loc. cit. n. 1*).

Praeterea, cum eodem Sala prosequimur, Trysagium, vox hominum, humanitatis et divinitatis in Christo personat Sacramentum: dum sacer hymnus iste partim Angelorum, partim hominum verba complectitur, quae hic subsequuntur, *Pleni sunt caeli et terra gloria tua, hosanna in excelsis, Benedictus qui venit*, etc.

Natalis Alexander (*Theol. Dogm. et Mor. Lib. 2, cap. 7, art. 4*) ait, rectissime hanc plenam absolvi laudationem per praefata verba *Benedictus*, etc. Etenim post laudem et gloriam SSmae Trinitatis annectitur etiam gratiarum actio de adventu Salvatoris, qui unus in ipsa et ex ipsa Trinitate pro salute nostra homo factus, eamdem salutem moriendo et resurgendo confirmavit, unde recte illi gratias agentes dicimus *Hosanna*, idest *salva in excelsis*. Hoc est nimirum, quod in psalmo canitur: *O Domine, salvum me fac, o Domine,*

bene prosperare, *benedictus qui venit in nomine Domini.* Repetitur autem hosanna, seu salva in excelsis, ut ostendatur adventum Domini in carne, non solum humani generis in terra, sed et Angelorum in caelis esse quodammodo salutem; quia dum nos redempti ad superna perducimur, eorum numerus, Satana cadente, imminutus impletur. Quae quidem Trysagii significationes, dum Ecclesiae sapientiam ostendunt, Sacerdotis, chorique, necnon fidelis adstantis populi mentem animumque in caelis transferunt.

II. Quaeritur secundo, utrum erui aliquid certo possit, seu ex Rubricis seu ex R. C. Decretis, circa tempus canendi vel legendi alteram Trysagii partem, id est *Benedictus*, etc.

Notandum imprimis, controversiam non fieri de tempore Trysagii recitandi in Missis privatis, in quibus ex Rubrica Missalis altera primam partem sequitur, adeo ut unam laudationem absolutam utraque constituat. Sed quia in Missis cum cantu, et cani potest, et etiam legi sub organo, iuxta facultatem, quam Caeremoniale Episcoporum facit, hinc dubium de illius vel canendi vel recitandi tempore.

Cum de cantu Missalis Rubricae sileant, ad Caeremoniale Episcoporum recurrendum. En itaque huius ad rem verba: " Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus qui venit*, etc. exclusive; quo finito et non prius elevatur Sacramentum (*Lib. II, cap. VIII, n. 70*). „ Inde pergit textus: " Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum *Benedictus qui venit*, etc. „ Alia vero verba liturgici eiusdem codicis, quae relationem cum praefatis habent, sequentia sunt: " Post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari (*Lib. I, cap. XXVIII, n. 1*): „ aliud praeter dicta non legitur. Hinc quaestio, quando verba *Benedictus*, etc.

canenda sint, an coniunctim cum prima parte ante elevationem, an separatim statimque post elevationem. Namque, si immediate post elevationem aliquid cantari potest, apparet sequi, facultatem esse factam omittendi post eamdem *Benedictus*. Cum autem haec eadem verba sint dicenda, videntur esse in casu concinenda coniunctim cum prima parte Trysagii, secus amplius habere locum nequirent.

Cl. De Herdt omnem aufert difficultatem docens, Caeremoniali innixus et S. R. Congregationi, in Missis Pontificalibus canendum esse *Benedictus* omnino post utramque elevationem; sed in aliis Missis cum cantu, quae pontificales non sunt, posse quidem et laudabiliter cani post elevationem, non tamen ex praecepto, cum cani quoque possit, iuxta Quarti et Cavalieri, statim post primam Trysagii partem (*Prax. liturg. pars I, n. 111, R. 3*). Sed gravem sic interpretandae Rubricae rationem non videmus; et arbitramur, vi legis in omnibus Missis cum cantu, sive pontificalibus sive non, sive vivorum sive defunctorum, *Benedictus* esse dicendum, non ante sed post elevationem, non coniunctim cum prima parte Trysagii, sed separatim. Primo, quia Rubrica Caeremonialis, quam superius iam retulimus, adeo est perspicua, ut nullum locum det interpretationi, ergo servanda est. At dices: Rubrica illa ad Missam pontificalem pertinet, aliisque Missis extendi non debet. — Sed reponimus, si aliae Rubricae de aliis Missis verba ad rem facerent, extendendam non esse concedimus; at cum reliquae de *Benedictus* canendo taceant, eam Rubricam ad omnes alias cum cantu Missas extendendam esse tenemus et demonstramus. Nam in Caeremoniali de pluribus quidem Missis verba fiunt, uti de solemni cum Episcopus assistit (*Lib. II, cap. IX*), de Pontificali pro defunctis ab Episcopo ce-

lebranda (*Lib. II, cap. XI*), de eadem, Episcopo assistente (*Lib. II, cap. XII*), etc., etc. At in his omnibus per summa capita Caeremoniale loquitur: reliqui ritus, reliquae caeremoniae unde accipiendae? A Missa Pontificali, Episcopo celebrante, quod et omnes auctores admittunt et faciunt; quia in ea tantum universi ritus et caeremoniae enucleate ponuntur et explicantur. Ergo ab eadem quoque desumendus est ritus *Benedictus* canendi. Neque subsumas, sufficere posse Missalis Rubricas pro Missis non pontificalibus; etenim Missale de cantu omnino tacet, et pro cunctis Missis cantatis seu in Cathedralibus, seu in Collegiatis Ecclesiis, sicut et in aliis, Caeremoniale Episcoporum factum est. Adeo ut, si Missale non sufficit, normae a Caeremoniali Episcoporum sunt desumendae. Ergo in omnibus quibuscumque Missis in cantu, *Benedictus* post elevationem calicis dicendum est.

Sed iterum obiicies: Caeremoniale libertatem faciens canendi *immediate post elevationem* aliquod motettum, supponit *Benedictus* posse quoque addi primae Trysagii parti ante elevationem. Respondemus, legem separandi *Benedictus* a *Sanctus* omnem obscuritatem excludere: quod ergo ante praecipit lex, nequit postea in libertate relinquere, quin sibi contradicat. Ut ergo contradictionem a codice excludamus, hermeneumatis lege utendum: vi cuius, quod in lege perspicuum est admitti necessario debet, quod autem aeque explicari potest ut auferatur contradictio, exponendum est. Nunc autem to *immediate* non contradicit legi, si ita illud intelligas, ut statim post elevationem motettum aliquod cantari possit, antea tamen non quidem canendo, sed sub organo recitando *Benedictus*. Hac enim ratione, cum nil fere temporis verba *Benedictus*, etc. requirant, quodammodo comprobatur, immediate motettum post

elevationem cani. Id autem esse Caeremoniali conforme unicuique patet, iuxta quod totius Trysagii alternus cantus permittitur.

Secundo, sententiam nostram confirmat S. R. C. cui sequens propositum fuit dubium: " Ubi cantus chori non producitur usque ad elevationem Hostiae, *Benedictus qui venit,* etc. cantari debet post elevationem, an immediate post primum *Hosanna in excelsis?* „ Iam audi responsum: " Cantari debet post elevationem (*Marsorum, 12 Nov. 1831, ad 33*) „. Notandum autem in praefato Dubio non fieri quaestionem de Missa, utrum sit, nec ne pontificalis, sed potius de non pontificali agitur, uti desumi facile potest ex praecedentibus.

Tertio, mystica accedit ratio, quam Rubricarum expositores afferunt. Uti enim diximus, prima Trysagii pars ab antiquo foedere sumpta est, a novo altera. Cumque haec postrema Incarnationis mysterium respiciat, ita aequum est, ut post realem Christi praesentiam in altari dicatur: quae praesentia post consecrationem tantum comprobatur in altari.

III. Tertio quaeritur, an probanda, an non, inspectis omnibus, consuetudo de qua in casu?

Asseritur ante omnia, ob motettum canendum post elevationem, consuetudinem esse illic inductam canendi *Benedictus* cum prima parte Trysagii, ante elevationem. Respondemus, rationem allatam minus nihilo probare, eo quod cantus *Benedictus* non est necessarius, unde nec necessarium iudicandum ut antea cum prima parte coniungatur; sed recitari sub organo potest, iuxta legem, post elevationem, separatim a prima parte. Praeterea optime Caeremoniarum magister inhaeret legi, vi cuius, haud coniunctim, sed separatim dici debet *Benedictus*. Cum autem ait, semper post elevationem canendum, minus recte id asserit;

uti enim exposuimus, haud necessario verba *Benedictus* etc. canenda sunt, sed recitari sub organis alterne possunt. Denique, si *Benedictus* a *Sanctus* non separetur, ait Caeremoniarum magister, inconveniens oritur in hoc consistens, ut motettum aliquod post elevationem canatur, quod et Sacramento non respondet, et fidelium mentes a Deo avertit. Reponimus, inconveniens esse certo plorandum, improbandum eliminandumque, quamvis ab inobservantia legis non derivet; potest enim et separari *Benedictus*, et idem inconveniens haberi, cum nempe post elevationem dicitur, sed sine cantu. Consequenter allata inconvenientis ratio nihil probat; sed nihilominus stat quod diximus et probavimus, *Benedictus* post elevationem esse aut canendum aut dicendum.

Ad motettum autem quod pertinet, cuius obiectum aliud est ab obiecto Sacramenti, prohibitum est ex positiva lege, quae illud exigit ad Sacramentum pertinens. Caeremoniale enim loquitur de motetto *opportuno* (*Lib. I, cap. XXVIII, n. 9*), quod universi expositores de Sacramento intelligunt, uti ipse rectus sensus abunde confirmat. Ipsamet autem S. R. C. legis Caeremonialis authenticam suppeditat interpretationem. Quaesita enim: *An in elevatione* (1) *in Missis so-*

(1) Eiusmodi sunt textualia verba Decreti; sed cave ne materialiter ea accipias, ac si motettum ipso elevationis tempore canere ex Decreto liceat, quod expressis verbis et absolute prohibet Caeremoniale Episcoporum, contra quod decrevisse S. R. C. praesumi nec potest nec debet. Cum cl. De Herdt ea ita sunt intelligenda, ac si dicant, *post elevationem* (*Prax. Liturg. pars I, n. III*). Verba Caeremonialis sunt: ... « Elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus, et cum aliis adorat (*Lib. II, cap. VIII, n. 70*) ». Decretum cetera, in nova Collectione reformabitur, ut ne speciem quidem cum Caeremoniali discrepantiae praeseferat, uti in reliquis fiet, si opus tamen fuerit.

lemnibus cani possit Tantum ergo etc. vel aliqua antiphona tanti Sacramenti propria, respondit: " Affirmative et amplius (*Conimbricen. Dubiorum, 14 Apr. 1753 ad 6*) „.

Hinc patet, nimia nonnullos ex Canonicis securitate asseruisse, consuetudinem canendi *Benedictus* post *Sanctus* et ante elevationem. Rubricis et Decretis inniti. Vidimus enim et contra Rubricam esse Caeremonialis Episcoporum, et Decretis etiam oppositam.

Quid ergo concludendum? Revera ne eiusmodi consuetudo, utpote iuri liturgico contraria, erit reformanda? Respondemus, optandum esse quidem, ut in omnibus Ecclesiis eadem inducatur praxis canendi *Benedictus*, vel saltem sub organo legendi, post elevationem; at cum Missale taceat, licet aperte id praescribat Caeremoniale, et quidam auctores admittant posse, in Missis non pontificalibus, secundam Trysagii partem cum prima coniungi, adeo severiores esse nolumus, ut illam omnino reformandam dicamus, quoadusque saltem clarius mentem suam S. R. C. aperuerit.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Bugella in Pedemontio.* **De clericis tonsuratis tantum, ad benedictionem oleorum feria V in coena Domini.** Quaeritur: Utrum Episcopus permittere possit, ut in benedictione sacrorum oleorum in coena Domini clerici, tonsurati tantum, officio Subdiaconorum fungantur, clericis deficientibus in sacris Ordinibus constitutis.

Resp. Ne in vacuum laboremus, certum ex decretis supponentes, praescriptum ministrorum numerum ad-

hibendum esse, id est duodecim Presbyteros, septem Diaconos totidemque Subdiaconos, propositum tantum casum perpendimus. Qui, uti in longiori expositione declarat adm. Rev. Inquirens, supponit Episcopum omnes et singulos requisitos habere ministros, quos et convocavit congruo tempore; nihilominus, cum mane peracturus est functionem, Subdiaconorum requisitus numerus non comparet. Quid ergo agendum Episcopo? An functionem relinquere, an pro Subdiaconibus clericis tonsuratis utendum, quos habet in promptu? — Rebus ita se habentibus, quaestio ad moralem potius, quam ad liturgicam scientiam pertinet. Illius itaque principiis adhaerentes dicimus, legem in casu proposito relaxandam esse, seu potius, stante necessitate ut in casu, legem non obligare. Nam 1. indubium est septenum Subdiaconorum numerum non requiri ex lege, nisi ob maiorem solemnitatem functionis; est ergo ratio omnino extrinseca, quae vim suam amittit in casu necessitatis, eo maxime quod Subdiaconorum per totidem clericorum, qui tonsurati sunt, numerum suppletur. 2. Grave nimis esset incommodum, ut Episcopus aliique omnes Presbyteri et Diaconi ad functionem parati, propter allatam rationem praetermittere illam debeant, cum tanti non sit ponderis, ut id valeat exigere. Ceterum cum tanto incommodo eiusmodi legem non obligare nemo ambigit. 3. Accedit ratio scandali, quod accipere potest facile populus, huic functioni adstiturus. 4. Ex pluribus decretis ad rem evulgatis nullum praesentem casum attingit; quippe quae loquuntur, non de solis Subdiaconis deficientibus, sed etiam de aliis superioribus ministris, sive integre sive partialiter. Praeterea non tangunt casum necessitatis propositum, quo paratis omnibus, in eo sit Episcopus ut functionem mane

persolvat. Ergo datae solutioni nullum opponitur decretum.

II. *E Provincia Gnesnensi.* **De Constitutionibus Synodalibus, S. R. Congregationis Decretis contradicentibus**. S. R. C. in decretis suis prohibet, quominus in baptismate conferendo lingua vernacula interrogationes fiant. Quid, si Synodus aliqua statuat, vernacula lingua easdem interrogationes faciendas esse? Quid, si Acta et Constitutiones Synodorum Provinciae alicuius, approbationem in fine habeant alicuius ex S. Rom. Congregationibus, non tamen Sacrorum Rituum?

Resp. 1. Decreta S. R. Congregationis cuicumque Synodali Constitutioni praevalent: ut si aliqua ex his illis contradicat, vim non habeat, nisi specialis accesserit derogatio. Notum est enim quod passim praedicatur ab omnibus, Decreta S. C. Rituum eamdem habere auctoritatem, ac si ab ipso Summo Pontifice promanata fuerint: quod et ipsa competens auctoritas declarat. Atqui Decreta S. R. Congregationis interdicunt interrogationes vernacula lingua in conferendo baptismate; ergo ea servanda sunt, licet contrarium ex lege synodali dispositum fuerit, nisi indultum aliquod intercesserit.

Resp. 2. Ad approbationem quod spectat alicuius ex Romanis Congregationibus, respondemus, ea quae cultum externum tangunt ab aliis non respici Sacris Tribunalibus, sed tantum a Tribunali Sacrorum Rituum. Profecto statuta et Constitutiones Ordinum Regularium maioris forte sunt gravitatis quam Synodorum provincialium, saltem approbationis origine inspecta, quae ab ipsa Sancta Sede solemniter promanat. Iam nunc recentius est Decretum *Ord. Min. Capuccinorum*, nempe d. d. 17 Dec. 1888, uti in sexto Ephemerid. Vol. videre est (*pag. 325 et seq.*). Eius

autem Dubium primum mature perpendendum est, eiusque solutio, imo et cl. Dom. Dom. Roberti Marcucci ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris responsio (*Vid. pag. 333 et seq.*), invicto argumento innixa. Iam vero S. R. Congregatio eiusdem Caeremoniarum Apostol. Magistri sententiae, proindeque et ratiocinio perfecte adhaesit, uti ex authentica responsione evidens fit. Quid inde? Constitutiones Synodales non efficere disciplinam liturgicam, in quam nihil possunt. Secus actum esset de S. R. Congregatione, eiusque decretis, contra quae continuo Episcopi locorum peculiares pro Dioecesibus emanare statuta possent in Synodis. Unde concludimus approbationem, etsi authenticam, omnique auctoritate praeditam, non tangere S. R. Congregationis dispositiones, quibus standum est, Synodalibus Statutis, si illis sint opposita, neglectis.

III. *E Galliis.* **De Antiphonarum et Orationum ordine in Benedictionibus, iuxta usum romanum.** Cum quaesitum pateat, respondemus, consuetudinem non esse Romae plures in Benedictionibus canendi antiphonas in honorem Sanctorum, uti passim fieri cernitur, et quidem, extra omne dubium, satis laudabiliter in Galliarum Ecclesiis. Romae et in Italia tota, si triduanae preces, vel novendiales sint agendae, una ad summum, sed raro, legitur vel canitur respectiva antiphona post analogas vulgari idiomate persolutas preces, versus deinde additur, et canitur Oratio. Generatim in eiusmodi functionibus canuntur Litaniae Lauretanae, et post versum et responsorium de B. Maria, Oratio canitur primo de eadem, postea canuntur Collectae, quae praescribuntur in Missa, eodemque ordine. Ultimo canitur *Tantum ergo*, quem hymnum sequitur unica de Sacramento Oratio: quod etiam

accidit, si tota functio sacra in huius hymni cantu consistat, et solemni cum Sacramento Benedictione. Hinc patet, iuxta usum Urbis, normam pro ordine expetito non posse dari. Conveniendum tamen est, in pluribus seu antiphonis seu Orationibus ordinem dignitatis sequendum.

IV. *E Sabaudia.* **De Missa pro Sponsis in triduo Rogationum et die 2 Nov. in Ecclesia, ubi solus celebrat Parochus.** Potestne Parochus, triduo Rogationum in paroecia solus, postposita Missa processionis, pro Sponso et Sponsa celebrare? Potestne idem facere in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum?

Resp. 1. Oritur quaestio in ea tantum Ecclesia, ubi una tantum fieri potest Missa, et fit simul processio: secus, aut si duo vel plures sint celebrantes, aut processio omittatur, non datur locus quaestioni. Namque specialis Rubrica Missalis docet: " In feriis Rogationum, in Missis privatis, si dicitur de Sancto, fit com. Rogationum (*In Litan. maiorib.*). „ Missam ergo de festo currenti posse dici in Rubrica supponitur. Ergo nec Missa pro Sponsis prohibetur in casu, nisi prohibeatur ob ritus festi praestantiam. Hoc ad Missam quod attinet: quod vero processionem spectat, ex Decreto *Marsorum* certiores de eo fimus, dicit enim: " Si fiat processio legenda est Missa Rogationum, secus de festo cum commemoratione earumdem (*12 Nov. 1831 ad 37*). „ Cum ergo, nisi fiat processio, Missa de festo sit dicenda, sequitur ut supra, Missam pro Sponsis posse quoque eius loco dici. — Quid igitur iudicandum, si Parochus sit solus, et processio habeatur? Cl. De Herdt ait: " Dubitari potest de feriis Rogationum, si unica tantum Missa celebretur, et de die Com. fidelium defunctorum. Quoad ferias Rogationum dicendum videtur, Missam votivam pro Spon-

sis non permitti, quia in hoc casu Missa Rogationum de praecepto celebranda est (*Pars 6, Rituale, n. 179: 3*)„. Quovis dubio excluso, securius affirmat cl. A Carpo: " Die S. Marci, triduo Rogationum, in Ecclesiis ubi una tantum Missa celebratur, si quidem fiat processio, Missa erit de Rogationibus cum com. occurrentis festi (*Bibl. Liturg. p. 3, n. 177*). „ Nobis autem cum hoc auctore certa quoque apparet veritas, maxime ex Decreto, cui innititur, quod est superius relatum in *Marsorum*. Et revera nonne ibi dicitur: *Si fiat processio, legenda est Missa Rogationum?* Arbitramur id esse certum et non dubium. At non minus est certum, aliam non posse in casu Missam fieri, quia non est Sacerdos. Quis ergo Missam pro Sponsis dicet? Ergo in triduo Rogationum Missa pro Sponsis non potest dici ubi unicus sit celebrans, Ecclesiae Parochus. Hic ergo idem dicendum, sicut die Dominico, quo Parochus, si solus fuerit celebrans, vetatur Missam canere pro defuncto, etsi praesente cadavere. Ratio est, quia Missa unica parochialis saltem in diebus festis, pro conventuali habetur, et quibusdam peculiaribus diebus exigit S. R. C. ut cum sit unica, dicatur de die, et etiam quia processio et Missa quid unum constituunt, quatenus inter se maximam relationem habent.

Resp. 2. Audiamus quae hac super re docent recentiores auctores. Cl. De Herdt dicit: " Maior autem est difficultas de die commemorationis fidelium defunctorum, cum ea die omnes Missae celebrandae sint de requiem, in quibus nuptiarum benedictio cum commemoratione pro sponsis **certo** non permittitur, licet tamen aliqui censeant, Missam votivam pro Sponsis hac die permitti (*Loc. sup. cit.*). „ Ex quibus nihilominus patet, cl. auctorem negotium pro certo habere, re in se spectata, ex auctoritate vero quorumdam dubitari

posse. Hi sunt, ut ipse notat, Falise ad 2 Nov. et Bouvry p. 4, s. 1, § 5, qui dubitandi affirmativae sententiae rationem hauriunt ex Decreto 7 Sept. 1850, *Veronen.* ad 4, quod tamen in Collectione authentica non reperitur. Referre ergo necessarium ducimus hoc Decretum, quod sequens est: " Dub. 4. An in die Com. Omnium Fidelium defunctorum legi possit Missa pro vivis, ex. gr. pro Sponsis, Infirmis, etc. „ Porro S. R. C. respondit: " Ad 4, Affirmative pro Sponsis: in reliquis negative. „ Ita reperimus in Regestis S. R. Congñis. Iam vero cum bona nunc praefatorum venia auctorum, nobis videtur esse distinguendum. Vel in ea paroecia officium decantatur pro defunctis, et tunc Parochus Missam debet defunctorum celebrare, atque Sponsos, matrimonio solito ritu copulatos, ad aliam diem missam audituros invitabit: vel in ea Ecclesia officium solemne defunctorum non canitur, et tunc Parochus Missam pro Sponsis celebrabit. Namque Decretum citatum Missam pro Sponsis ea die permittit, et Missa eius diei non est necessum ut conventualis sit, quia non est festum.

V. *E Liguria.* **De die quadam octava, utrum perpetuo redigenda ad instar simplicis.** In quadam regione Liguriae Festum Visitationis ex indulto recolitur ritu dup. 2 cl. cum Octava. At nuper concessum est, ut die 9 eiusdem mensis nempe die octava Visitationis, sub eodem ritu dup. 2 cl. aliud festum celebretur. Redigenda ne dies octava ad instar simplicis, an potius alia dies assignanda festo alteri ?

Resp. Distinguendum est. Vel novum officium concessum sub ritu duplici 2 classis, iam in illa Liguriae regione agebatur sub ritu utique inferiori, vel non. Si iam agebatur, tunc hodie relinquendum est in die, qua hactenus celebratum est, addito solummodo ritu

2 classis, iuxta mentem S. R. C. quae in Decreto 14 Dec. 1883 *in Seguntina* praescripsit, die 19 Octobris fieri de octava B. M. V. de Columna, relinquendo officium S. Petri de Alcantara in die hucusque translata, etsi nuper ad ritum 2 classis elevatum. Ita actum videmus in calendario Congregationis Missionis, in quo Octava S. Vincentii a Paulo, adhuc agitur die 26 Iulii, et de S. Anna licet ad ritum 2 classis evecta, fit, sicut antea, quando ritu duplici maiori celebrabatur, die 27.

Si vero nuper concessum officium, de novo inducitur in calendario perpetuo illius regionis; tunc iuxta leges liturgicas inducendum est, quae aperte praescribunt (*Tabella Occurrentiae*), officium faciendum de duplici 2 classis cum commemoratione diei octavae.

VI. *E Barcinone in Hispania.* **De subsutura interiori sacrorum paramentorum.** Est ne contrarium Decretis insuere interius planetis, dalmaticis, etc. sicut et velo calicis, telam ex lino, gossypio, etc. licet a colore eorumdem paramentorum diversam?

Resp. Negative. Verba fiunt, ut videtur ex dubii expositione, de subsutura interna paramentorum, quam italice *fodera* dicimus. At nulla suppetit dubitandi ratio, eo quod subsutura a lege materiae paramentorum non respicitur, neque eadem materies pro illa determinata est. Subsutura pro paramentis magis conservandis utimur, sicut etiam ut maiorem acquirant stabilitatem ac firmitatem. Ita ubique servatur ex quadam necessitate in omnibus fere paramentis, si velum calicis excipias, quod subsutura non indiget, sed habere eam potest, et saepe quoque habet. Sit ergo haec unius vel alterius materiae, sit quoque diversi coloris a paramentorum, nihil prorsus interest, etsi quandoque aliquatenus et per accidens videatur a circumstantibus.

VII. *E Pedemontio.* **De loco septimi candelabri, Episcopo loci solemniter celebrante.** Ubinam ponendum est septimum candelabrum cum loci Episcopus Missam pontificalem celebrat?

Resp. Caeremoniale Episcoporum ait: " Celebrante vero Episcopo, candelabra septem super altari ponantur: quo casu Crux non in medio illorum, sed ante altius candelabrum in medio cereorum positum locabitur (*Lib. I, cap. XII, n. 12*) „. Uti notum est, Crux ex generali lege ponenda inter candelabra, seu in medio eorum, in eadem linea. Quando vero adest septimum candelabrum, tunc loco Crucis idem candelabrum ponitur, Crux vero aliquantulum ante idem candelabrum, seu versus Celebrantem, semper videlicet in medio, sed non in eadem linea. Res satis perspicua.

VIII. *E Bruxellis in Belgio.* **De festo Patroni Dioecesis, utrum a Regularibus celebrandum?** Regulares tenentur ne festum Patroni Dioeceseos addere Calendario?

Resp. Quamvis non omnes leges Patronorum festa respicientes satis sint perspicuae ob decretorum eo super negotio multitudinem, quae hanc materiam potius implicant, quam declarant; nihilominus hanc credimus tuto posse normam in praxi teneri. Si loci Patronus principalis non adsit, certum est, Regulares teneri Patronum Dioecesis praecipuum celebrare: si vero Patronus loci adsit, ad Patronum Dioecesis non tenentur. Nam S. R. C. declarat: " Regulares teneri tantum ad officium loci si adsit, vel Patroni Dioecesis (*Ord. S. Bened. Congr. Silvestrinae, 23 Maii 1846, ad 1*): „ si ergo unum recolunt, non tenentur ad alium. Patronus enim Dioecesis habetur ut particularis, sicut Cavalerius demonstrat, et non universalis (*Tom. I, Cap. III. Decr. XI, Cap. in Ord. LX, n. XVI*): ut de

duobus Patronis particularibus, si a consuetudine abstrahas, nec possit nec debeat fieri. Hinc iudicet Rev. Inquirens, an debeat, an non, eiusmodi festum Calendario inserere „.

Pro aliis dubiis, quae exponuntur, nota: 1. Cum duo in Civitate sunt Patroni, de uno tantum a Regularibus fieri debet: in casu de S. Michaele, vel de S. Gudula, de eo nempe patrono, quod cum feriatione fit, celebrandum. 2. Inter suffragia locum non habet com. Patroni Dioeceseos, si Patroni loci com. habeatur, secus facienda est, Patronus enim ille huic sufficitur si non habeatur, ut superius dictum est. Excipe casum contrariae consuetudinis, quae servari potest. 3. Quando Titulus Ecclesiae est Mysterium, in Oratione *A cunctis* nominatur Patronus loci, uti Decreta docent, secus omittenda quaevis nominatio.

IX. *Ex Ostuno.* **De solemnitate festi, in die officii translati.** Hoc anno 1893 transfertur S. Ioseph in diem immediate sequentem: debent ne Officium et Missa solemniter celebrari, uti in aliis diebus solemnioribus?

Resp. Solemnitas festorum alia est Officii et Missae iuxta Rubricas, et consistit in ritu: alia est festi iuxta facultates Ecclesiarum. De ista non se occupat Ecclesia, sed de illa tantum. Adde translationem, strictiori sensu, non de solemnitate in casu fieri, sed de Officio, et eius consectariis. Ergo exterior solemnitas festi non requiritur, ut praecepto Ecclesiae fiat satis.

X. *Ex eodem loco.* **De Missa de requie praes. cadav. impedita.** Quibus praecise diebus Missa de requie, praesente cadavere, prohibetur?

Resp. Eiusmodi Missa prohibetur omnibus singulisque diebus, quibus festa solemniora celebrantur, vi Rubricarum, sive ad universalem pertineant Ecclesiam, sive ad particulares. Quaenam illa sint festa, satis est

notum ; sed excipiendi duo dies subsequentes, seu Paschae, seu Pentecostes festum, quibus non eadem, saltem ratione utriusque praecepti, solemnitas inest. Eadem de causa excipe Festum SS. Cordis D. N., saltem quoadusque competens auctoritas mentem suam non explicet. Ad festa autem localia quod attinet, ea quoque notum est nonnisi tria esse, Patroni, Dedicationis et Tituli. Primi ordinis solemnitates ius quidem habent ad festum fori, inter ista autem secundi ordinis, solus Patronus. Nihilominus omnia Missam de requie excludunt, etiam praesente cadavere. Sed advertas, prima festa Missam hanc in omnibus Orbis Ecclesiis impedire, secunda vero in Ecclesiis tantum, ubi festum agitur. Pro Dedicatione peculiariter adest impraesenti Gen. Decretum d. d. 27 Febr. 1882, quod anteactas quaestiones dirimit. Addas velim dies, in quibus solemniter, et permanenter pro adoratione, Eucharistiae Sacramentum est expositum, in respectivis Ecclesiis.

Nota. Ius, de quo adm. Rev. Inquirens conqueritur, P. C. S. V. a P. inesse tantum ex peculiaribus indultis : 1. Die 19 Iulii, vel alia infra octavam. 2. Dominica secunda post Pascha. 3. Die 27 Septembris : quibus addenda nunc dies 7 Novembris ex iam habito indulto. Reliquis diebus ius praefatum non habent dictae S.

XI. *E Goritia in Austria.* **De concurrentia duorum officiorum Domini, eiusdem obiecti.** Quaeritur, utrum Decretum S. R. Congregationis d. d. 26 Nov. 1883 (1), intelligendum sit de concurrentia Officii vot. SS. Sa-

(1) En Decretum citatum : « Quid... agendum sit cum officium votivum SSmi Sacramenti concurrit cum officio de Passione D. N. Iesu Christi ? »

Resp. « Totum de praecedenti, nihil de sequenti (*Decr. Dubiorum, num. 5896, IV*). »

cramenti cum Officio vot. Passionis tantum pro feria VI specialiter assignato: an vero per *analogiam* etiam cum aliis Officiis de Passione, ex. gr. de SS. Sindone, de Pretiosissimo Sanguine, etc. quae quibusdam in Dioecesibus ex speciali Sedis Apostolicae facultate celebrari solent singulis sextis feriis Quadragesimae sub ritu dup. mai.? Et utrum, secundo in casu pariter Vesperae recitari debeant ex integro de praecedenti sine com. sequentis?

Resp. 1. Casus respicit, ut adm. Rev. Inquirens notat, concurrentiam officii vot. SS. Sacramenti semid. ritus, cum Officio item vot. SS. Sindonis dup. mai. Optime autem advertitur, analogiam esse, ut videtur, in casu applicandam supra memoratum Decretum, uti dispositum est etiam pro concurrentia Octavae Corporis Christi et SS. Cordis Iesu. — Itaque non possumus, quin eodem, et non alio, sensu respondeamus et nos. Ratio, consequenter et conclusio, certa omnino est. Namque ideo sic in citato Decreto disponitur, quia utriusque Officii obiectum, nempe Sacramenti et Passionis, idem est; Sacramentum enim Eucharistiae est Memoriale Passionis. Iam vero eadem ratio, non solum in Officio de Passione in genere, sed et in quocumque alio, quod eamdem Passionem respiciat, comprobatur: eiusmodi autem est Officium SS. Sindonis. Ubi ergo eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio. Sit ergo Officium votivum, vel non: sit semiduplicis vel potioris ritus, sit ex praecepto vel indulto, nihil interest: eiusmodi ratio, si comprobetur, semper efficiet, ut Vesperae divisionem non patiantur, imo ut ne alterum prae altero commemoretur, ne *bis in idem* incidamus.

Resp. 2. Ex dictis patet ad alterum quaesitum responsio, nempe, Vesperas integras esse recitandas de

altero, de altero autem Officio nullam commemorationem agendam. Cum autem in casu dispar sit ritus, et potior inferiori fas est praevaleat, manifestum fit, integras agendas esse Vesperas de SS. Sindone sine ulla Sacramenti commemoratione.

XII. *E Sicilia.* **De Anniversariis defunctorum infra octavas privilegiatas incidentibus.** Anniversarium defunctorum, infra octavam Epiphaniae occurrens, celebrari ne potest, iuxta S. R. Congregationis responsum in *Neapolitana* (*23 Febr. 1884*), prima die post octavam, quum duplex maius non occurrat?

Resp. Citra dubium. Imo iuxta recentissimum S. Congregationis Decretum (*2 Dec. 1891*), in praeclaro Caeremoniale Romano-Seraphico relatum, et de cuius authenticitate certo nobis constat, anniversaria transferri possunt in primam diem post octavas privilegiatas, etiamsi duplex maius occurrat.

In praefato enim Decreto dicitur, anniversaria etsi translata, prohiberi tantum *in duplicibus primae et secundae classis*, in Dominicis et festis de praecepto, infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SS. Corporis Christi, nec non feria IV Cinerum, in maiori Hebdomada, in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, sicuti et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiae in respectivis Ecclesiis.

Supponimus tamen iam probe notum in huiusmodi anniversariis, nonnisi unam Missam tantum, pro eodem defuncto, eadem die, ac in eadem Ecclesia, et quidem cum cantu, celebrari posse.

XIII. *Ex eodem loco.* **De modo Sanctissimam Eucharistiam ministrandi.** S. R. Congregationis responsum in *Lincien.* (*3 Iun. 1892*) circa modum administrandi SSñam Eucharistiam monialibus, intelligendum ne est pro casu in quo monialibus tantum administratur?

Et quatenus affirmative, si fideles una cum monialibus angelico pane reficiendi essent, quomodo se gerere deberet Sacerdos?

Resp. Affirmative ad primam partem. Nam ordinarium S. R. Congregationis institutum est, categorice sibi propositis quaestionibus respondere, et neque uno apice petita in responsione praetergredi. Nunc Rmus Episcopus Lincien. nonnisi de modo distribuendi SS.am Eucharistiam monialibus, S. Congregationem expetivit. Ergo.

Ad secundam quod attinet quaesiti partem, haec nobis, iuxta liturgicum sensum, videtur agendi ratio sequenda: Si monialium fenestella non nimis ab altari Sacramenti distet, tunc administrata monialibus communione, pergit Sacerdos sine mora ad communionem fidelibus administrandam. Si contrarium accidat Sacerdos omnia ad altare repetit, et dat communionem populo.

XIV. *E Mexico.* **De tribus Missis die 2 Novembris ex privilegio dicendis.** In Mexico ob benignam declarationem SS. D. N. Pii Papae VIII f. m. singuli Sacerdotes, sicuti in Hispania ex declaratione Benedicti XIV, in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum tres Missas de Requiem celebrare possunt; accepto tamen pro una tantum stipendio, sub poenis in Bulla concessionis recensitis. Nunc Canonicus, qui post Tertiam, Missam de festo infra octavam celebrare tenetur, potestne ante vel post supradictam Missam de festo, alias duas celebrare de Requiem?

Resp. Affirmative. Primo quidem, quia nulla positiva, quantum nobis constat, adest dispositio contrarium dictans. Secundo ex notissimo iuris effato: Favores sunt ampliandi. Tertio demum ex verbis ipsis Benedicti XIV in Bulla concessionis; quibus, *singulis*

sacerdotibus tres Missas de Requiem dicta die celebrare concedit, quin tamen in Cathedralibus et Collegiatis Missa conventualis post Tertiam omittatur.

Super quibus animadvertendum est, in verbis *singulis sacerdotibus*, etiam celebraturum Missam conventualem comprehendi; qui tamen, cum ob aliam superiorem rationem integro privilegio uti nequeat, pro ea parte qua potest uti ei licebit. Verba enim quae sequuntur *quin tamen in Cathedralibus et Collegiatis Missa Conventualis omittatur*, non ad coartandum privilegium posita fuisse credimus, verum ad Missae Conventualis celebrationi consulendum.

XV. *E Syracusis in Sicilia.* **De orationibus in Missis votivis.** Quaenam dicenda est oratio secunda in Missa votiva de Immaculata Conceptione: de Spirito Sancto, an de tempore ut in aliis semiduplicibus? Dubium oritur ex cl. Patroni, qui (*P. 2, pag. 432 in nota*) hoc ponit generale principium: “ In singulis ex his Missis votivis, quae ex Apostolico Indulto (5 Iul. 1883) diebus assignatis celebrantur... secunda et tertia oratio sunt de tempore ut in aliis semiduplicibus „. In quo generali principio comprehenditur certe et Missa de Immaculata, cum et ipsa una sit ex illis votivis per Indultum concessa. Sed idem Patroni in tabula quam deinde ponit, ut expeditius structura harum Missarum cognoscatur, loquens de Missa Immaculatae, ait: “ prima oratio propria, secunda de Spiritu S., tertia Ecclesiaę vel pro Papa „.

Resp. Res evidens est. Secunda oratio in Missa votiva de Immaculata debet esse de Spiritu Sancto. Hoc manifestissime et apertis verbis docet Rubrica specialis ad dictam Missam apposita. Insuper et liturgicus sensus id dictat. Etenim in semiduplicibus secunda oratio de tempore, ut in pluribus, est de B. Vir-

gine; ideoque ne in Missa de Immaculata contingat bis de eodem obiecto orationem dicere, secundam orationem de Spiritu S. dicendam lege cautum est.

Ad cl. vero Patroni quod attinet, in aprico est, antea ipsum generalem ponere regulam, quae, utpote generalis, exceptionem patitur: quam exceptionem postea in tabula declarat. Sin mavis, minus proprio loquendi modo ipsum usum fuisse, quum in generali principio hoc vocabulum adhibet, *singulae.*

XVI. *Ex eodem loco.* **De Vesp. semiduplicis, in concurrentia cum Dom. Passionis ordinandis?** Quomodo ordinandae Vesperae Sabbati, in quo de Immaculata officium votivum actum est, cum Dominica Passionis occurrentes? Nonne *Vesp. de Sabb. ut in Psalt. a cap. de Sabb. ante Dom. Passionis sine comm. Immac. Conceptionis?*

Resp. Negative: sed, *psalmi Vesperae de Offi. votivo, a capitulo de Dominica, cum commemoratione praecedentis.* Ita omnes. Ratio dubitandi est, quia superveniente Dominica Passionis, cessant officia votiva; sed nihil probat haec ratio in casu. Quia aliud est novum officium votivum agere tempore Passionis, aliud est officium inceptum absolvere. Cum enim iam sit inceptum, habeatque secundas Vesperas, hae more solito agendae sunt.

XVII. *Ex Ambiano in Galliis.* **De com. Semiduplicis in ritum simplicis redacti.** Semiduplicia in simplicem ritum redacta si in dup. 2 cl. occurrant, gaudent ne uti Dominica, commemoratione, tam in primis quam in secundis Vesperis?

Resp. Citra controversiam affirmative, cum Rubrica Gen. Breviarii clarior esse non possit. En textus: " Festum semiduplex occurrens diebus supradictis etc. non transfertur, sed ipso die quo cadit, de eo fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus etc. ut

supra de duplici minori dictum est (*Tit. X, n. 5*): „ atqui de duplici minori omittitur com. in solis duplicibus primae classis, ergo idem de semiduplici agendum est. Consequenter semiduplex in dup. 2 cl. incidens, et ad instar simplicis redigendus, seu in Laudibus seu in utrisque Vesperis est commemorandus. Sicut ergo festum duplex ad simplicem redactum, id est simplex *per accidens*, differt quoad commemorationes a semplici *per se*, ita semiduplex in eumdem redactum ritum simplicem, ab eodem simplici *per se* discriminatur. Illud enim commemoratur iuxta Rubricam in utrisque Vesperis et Laudibus, sicut duplex: istud vero commemoratur tantum in Laudibus.

XVIII. *Ex eodem loco.* **De 9 lect. simplicis die octava SS. Corp. Christi.** Si die octava Corporis Christi occurrat duplex vel semiduplex festum ad simplicem ritum redigendum, habere ne debet IX lectionem?

Resp. De semiduplici infra octavam explicita est Rubrica specialis Breviarii, dicens omittendam esse IX lectionem (intellige si fiat de octava officium); ergo a fortiori omittenda in die octava. Quod attinet ad festum duplex, respondemus cum a Carpo: " In festo et per totam octavam SS. Corporis Christi, quoties de iis officium celebretur, excluditur IX lectio simplicis vel instar simplicis, quia nimirum eorum homiliae apte de tanto profantur mysterio; quae conveniens haud erat eiusdem laudes et praeconia taceri, ut simplicis legeretur historia (*Pars III, Cap. X, n. 210 in Bibl. Liturg.*). „ Haec autem a Cavalerio desumpta sunt (*Tom. II, cap. 16, Decr. I, n. 4*). Ut profecto eadem vim habeat ratio, sive festum in ritum simplicem redactum semiduplex sit, sive duplex. Praeterea Decretum *Parmen.* 16 F. 1801 aperte, sine ulla distinctione docet, de festo simplici in Dominica infra

octavam non esse IX lectionem legendam, si quidem de eadem Dominica infra octavam fiat. Nuc autem duplex ad simplicem ritum redactus, nōn est simplex? Idem repetit Decretum *Mechlinien.* 7 Sept. 1850, ad 4. Hinc et cl. De Herdt omni certitudine docet, Infra octavam Corporis Christi, quando fit officium de eadem octava, IX lectionem simplicis esse omittendam (*Pars 4, n. 346*). Ergo IX lectio simplicis, sive in talem ritum redactus sit Sanctus duplex, sive semiduplex, in die octava Corporis Christi non est legenda.

Nota. Pro commemoratione duplicis instar simplicis redacti, sicut pro aliis, in Missa votiva solemni de festo infra hebdomadam celebrato, uti fieri solet in Gallia, iuxta Indultum pro reductione festorum, emanatum anno 1802, standum securius Decretis particularibus eidem Galliae datis.

Responsio pro Dubio e Bergomo. Caecutiens Missam Votivam de B. Maria ex indulto quotidie faciens, solis in Sabbatis et minime per octavas Festorum eiusdem B. Mariae, addere debet *Gloria in excelsis.* Id perspicue declarat Decretum 23 Febr. 1839 in una Congr. Oblat. B. M. V. ad 1. cui alia decreta, hymnum angelicum exigentia etiam in Missis votivis infra octavas B. M., haudquaquam opponuntur, non enim caecutientem, sed alios Sacerdotes in genere respiciunt. Ad rem cl. De Herdt: " Decretum 23 Febr. 1839... agit de Sacerdote dispensato ad legendam votivam ex defectu visus, qui infra octavam B. M. V. extra Sabbatum omittit *Gloria,* quia celebrat votivam a Pentecoste usque ad Adventum, quae cum octava nil habet commune (*Pars 1, n. 28, R. II in nota*). „ Alia vero decreta (inter quae non novimus *Ratisbonen.* 15 Apr. 1880), alios generatim Sacerdotes tangunt, qui, uti idem explicat supercitatus auctor, Missam dicentes infra octa-

vam, pro votiva celebrant Missam de octava, adeoque addere debent *Gloria* ratione octavae seu festivitatis (*Loc. cit.*). Haec certa omnino sunt, ut nihil de reliquo dicamus.

AD RITUALE ROMANUM COMMENTARIUM

(Contin. Vide volumen Ephem. nostr. Quartum, pag. 123 et seq.)

Commentaria clarissimi Hieronymi Barruffaldo in Romanum Rituale, notis ac observationibus iam inde ab *Ephemeridibus* nostris locupletata, iterum aggredimur: ut ad pleniorem Ritualis Romani caeremoniarum cognitionem assequendam ecclesiastici lectores nostri facilitatem habeant.

BARUFFALDUS.

3. Utrum universalis Ecclesia possit novas caeremonias, et obligatoria praecepta circa eas imponere, omnes Doctores disputant, sed omnes concorditer affirmant. Sicut enim Spiritus Sanctus in Concilio Apostolorum praesidebat, ita et in praesenti disponit de iis, quae ab Ecclesia decernuntur: ex quo evenit ut ista errare non possit. Inquit enim D. Augustinus l. cont. epist. fund. Manich. c. 5, t. 6: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoneret Auctoritas.* Certum est namque caeremonias seu ritus,

quos Ecclesia servari instituit, esse signa altissimarum rerum, et in iis maxima caelestium Sacramenta arcanorum, ad Dei maiestatem contemplandam includi, quae etiam in veteri Testamento maximi momenti erant.

4. Quare Rituum mutatio, ac innovatio ad Ecclesiam tantummodo spectat, et de iis iudicium et censura: placuit enim tam piae Matri caeremonias sensibiles tradere (quibus exclusis, divinus cultus claudicaret), eo quia natura hominum non ita facile quit sine adminiculis exterioribus, ad rerum divinarum meditationem sustolli. D. Augustinus *l. 33 de lib. arb.;* unde fit quod etiam invisibilia Dei, per ea quae sunt visibilia nobis demonstrantur. D. Ambrosius. *c. 4, in Luc.*

Cum vero mentem mutare, et de proposito discedere homines facile possint, caute provisum fuit, ne cuiquam liceret immutare mininum verbum, vel introducere novas caeremonias absque expressa licentia Sacrorum Rituum Congregationis.

Qui secus fecerint, eos animadversione dignos censuit Sacra Rituum Congregatio sub die 12 Novembris 1605 et 12 Maii 1612 per alleg. a Barbosa et Corsett. *Tract. 2, p. 1, sect. 1, Add.*

ADNOTATIONES.

De fonte iuris Liturgici heic Auctor noster fuse pertractat. At iam in praecedentibus nostris Commentarii huius Adnotationibus materiam hanc late exposuimus, et de Sacrorum Rituum Congregationis Auctoritate in Volumine secundo *Ephemeridum* nostrarum, pagina 173, copiose doctrinam evolvimus, praeter ea quae iam antea in Volumine primo pag. 123

et seq. circa idem argumentum fuit disceptatum. Cui addimus, nec immerito, doctrinam S. P. Pii IX in suis Litteris Apostolicis, *Quanta cura*, diei 8 Decembris 1864, qua sententia damnatur eorum, qui decisionibus S. C. ex eo quod fidem moresque non spectent, morem gerere detrectare videntur. Silentio, ait Summus Pontifex, praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam, contendunt illis Apostolicae Sedis iudiciis ac decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingant, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis iactura. Quod quidem quantopere adversetur Catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae, universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

BARUFFALDUS.

Quid dicendum de ritibus Christianis cum ethnicis communibus, qua de causa sectarii de idololatria catholicos arguunt? Respondendum cum D. Hieronymo *contra Vigilantium* T. 2, c. 3, his verbis: *Quicumque accendunt cereum, secundum fidem suam habent mercedem; dicente Apostolo:* " Unusquisque in suo sensu abundet „ *Rom. 14. Idololatras appellas huiusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de idololatriae errore venisse: non enim nascimur sed renascimur Christiani: et quia aliquando colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco*

detestandum est: et hoc fit martyribus, idcirco recipiendum est. Apostolus enim dicit: " Omnia autem probate: quod bonum est tenete *1 Tessal. 5, 21.* „ Gentiles etenim cum Iudaeis illorum antiquioribus, ritus communes habuerunt, ut late probat Baronius ex Ss. PP. Verum ritus gentiles qui sunt contra bonos mores, quamvis per abusum inveteratos Sancta Mater Ecclesia summopere eradicare studuit, et hoc, aetate Africani Concilii, Patres ab Imperatoribus petierunt, ut in Can. 27, etc.

ADNOTATIONES.

Verissimum est quod auctor noster dicit. Ecclesia etenim pia Mater, ut Gentiles facilius ad sinum suum attraheret, ritus aliquos, inter eos usu ac consuetudine inveteratos, aliquo modo christianos fecit et sanctificavit; ad aliquod nempe sanctissimae fidei nostrae mysterium clarius demostrandum, et veluti ob oculos intuentium neophytorum subiiciendum: ut patet in festo Purificationis B. M. V. grece *Hypapante;* et ut scite Benedictus XIV in suis de Festis Domini ac Sanctorum commentariis, de eodem festo scribens, dicit: " Quod attinet ad Processionis institutionem, si cui minus placeat Baronii sententia, quod haud ita facile intelligi possit, qui Lupercalibus, in quibus neque funalia neque faces adhibebantur (Pontifex loquitur de controversia de qua paulo ante scripserat circa originem festi eiusdem), substituta fuerit Processio in qua deferuntur candelae, is sequi potest Innocentium III qui in serm. 1 in festo Purificationis scribit, illum ethnicorum ritum ad honorem Mariae esse traductum, cum funalia noctu in honorem Cereris gestantes sese dicebant Aetnam lustrasse, ut Proserpinam a Plutone

raptam reperirent. Nos iis subscribimus, qui Processionem affirmant Amburbalibus fuisse substitutam multo ante Sergii aetatem. Sunt autem Menardus ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 41 et 42. Henschenius ad diem 2 Februarii pag. 271. Rocca tom. 1, edit. Roman. 1719, pag. 215, § *ex Rabani*. Saxius Dissertat. Apologetica Sanctorum Corporum Protasii et Gervasii § 14.

Amburbalia sacrificium quoddam erat, quod faces ethnici manu tenentes, Urbem perlustrando, celebrabant. Universum terrarum Orbem Romani subegerant, omnibusque censum, seu tributum, quinto quoque anno solvendum imposuerant: eo tributo accepto, Februario mense diis inferis sacrificabant, quorum ope partas sibi victorias arbitrabantur, facesque gestantes Urbem totam lustrabant. " *Quam lustrandi consuetudinem congrue et religiose Christiana mutavit religio: cum eodem mense, hoc est hodierna die in honore S. Genitricis et perpetuae Virginis Mariae non solum clerus, sed omnis plebs Ecclesiarum loca cum Cereis et diversis hymnis lustrantibus circumeunt:* „ verba sunt S. Idelfonsi VII saeculi scriptoris tom. 12 Bibliot. PP. pag. 589. Cum eo consentit S. Eligius eius aequalis in sermone qui extat loco citato.

Idem doctissimus Pontifex in altera dissertatione de festo Circumcisionis Domini nostri haec habet: " Ut huius festi antiquitatem luculentius demonstrent, qui hoc argumentum susceperunt, afferunt ex Concilio Turonensi ann. 567, can. 17, tom. 5, coll. Labb. p. 857, ubi haec leguntur „. *Ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Kalendis Ianuarii fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, et hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.*

Concilium illud, addit Benedictus XIV, foedas superstitiones innuit, quas Kalendis Ianuarii in honorem Iani et Streniae deae ethnici celebrabant: et viri muliebribus, feminae virilibus personis susceptis, commessationes et aleas agebant: hisque interdum Christiani quoque immiscebantur. Adversus hasce superstitiones coortae sunt atroces veterum Ss. Patrum querelae, et praesertim Divi Augustini serm. 198 qui secundus est ad hunc Ianuarii diem etc.

Item in Breviario Romano ad primam diem Augusti, in lectionibus II noct. legitur... " Nomine sancti Petri ad Vincula Ecclesia, titulo Eudoxiae, dedicata... in Exquiliis; eiusque memoriae dies festus institutus Kalendis Augusti. Quo ex tempore honos, qui eo die profanis gentilium celebritatibus tribui solitus erat, Petri vinculis haberi coepit „.

Alia argumenti huius documenta afferre in promptu nobis esset, sed ista sufficiunt ad explanationem verborum cl. nostri Commentatoris.

BARUFFALDUS.

Ad illud quod aliqui quaerunt: An condito novo Testamento, caeremoniae veteris Testamenti ita sublatae sint, ut earum usus interdicatur? Respondendum: Caeremonias omnes, et maxime veteris Testamenti latentium rerum Sacramenta designare; aliae enim futuram gratiam praenuntiant, aliae praesentia mysteria futuris etiam temporibus duratura. Quibus addo, Redemptorem nostrum, ut ex Matt. 5. venisse, non ut solveret, sed ut adimpleret: ideo cum antiquae caeremoniae illum venturum significarent, omnino adimpletae sunt per eius adventum, atque ideo sublatae. Usus enim caeremoniarum veteris Testa-

menti non est ad salutem necessarius: nam illis exclusis, adhuc ianua salutis patet per Sanguinem Christi, cuius voluntas per mutatas caeremonias mutata non est, nec mutatur fides in novo Testamento per diversitatem caeremoniarum.

Quarum usus non subito et irreligiose, sed paullatim et cum quadam veneratione aboleri debuit. Tria enim tempora distinguenda sunt cum Beccano Lib. I, cap. 4, n. 9. Primum ante mortem Christi: tunc simul viguit sinagoga vetus et Ecclesia nova; simul Lex et Evangelium. Alterum in morte Christi: tunc spiravit synagoga cum suis caeremoniis et sacrificiis: tunc velum templi scissum est in duas partes: tunc lex Mosaica abrogata est, docente D. Augustino *epist. 19* ad Hieron. et Hieronymus ipse *epist.* ad Augustinum, quae est undecima inter *epist.* August. et D. Thomas 1. 2, quaest. 103, art. 3, ad 2.

Tertium post mortem Christi: tunc sinagoga sepulta est: tunc caeremoniae et sacrificia Mosaica, quae iam antea erant mortua, coeperunt foetere, vel ut verbis theologorum utar, coeperunt esse mortifera. Attamen quamvis hodie caeremonias illas nihil nobis prodesse putemus, tamen ad hoc nobis utiles sunt, ut huiusmodi mysteria iam impleta intelligamus; oportet enim moralia per caeremonias illas significata servare. Atque haec de caeremoniis et ritibus in genere dicta sint etc.

ADNOTATIONES.

Abs re non erit doctrinam Sancti Doctoris Angelici hic afferre ad pleniorem auctoris nostri verborum explanationem. Nam in loco supra citato haec habet Angelicus Doctor: " Utrum caeremoniae veteris

legis cessaverint in adventu Christi. Ad secundum dicendum, quod mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi; unde tunc Dominus dixit: Consummatum est, ut habetur Ioan. 19 et ideo tunc totaliter debuerunt cessare legalia, quasi iam veritate eorum consummata, in cuius signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum: Matt. 27 : et ideo ante passionem Christi, Christo praedicante et miracula faciente, currebant simul lex et Evangelium, quia iam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum, et propter hoc mandavit Christus Dominus ante passionem leproso, ut legales caeremonias observaret. „

Et in sequenti articulo IV haec habet Sanctus Doctor: " Dicendum quod omnes caeremoniae sunt quaedam protestationes fidei, in qua consistit interior Dei cultus: sic autem fidem interiorem potest homo protestari factis, sicut et verbis, et in utraque protestatione si aliquid homo falsum protestatur, peccat mortaliter. Quamvis autem sit eadem fides quam habemus de Christo, quam antiqui Patres habuerunt, tamen quia ipsi praecesserunt Christum, nos autem sequimur, eadem fides diversis verbis significatur a nobis et ab eis: nam ab eis dicebatur: Ecce virgo concipiet et pariet filium, quae sunt verba futuri temporis. Nos autem idem repraesentamus per verba praeteriti temporis, dicentes, quod concepit et peperit. Et similiter caeremoniae veteris legis significabant Christum ut nasciturum et passurum, nostra autem Sacramenta significant ipsum ut natum et passum. Sicut igitur peccaret mortaliter qui nunc suam fidem protestando, diceret Christum nasciturum, quod antiqui pie et veraciter dicebant: ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc caeremonias observaret, quas an-

tiqui pie et fideliter observabant. Et hoc est quod Augustinus dicit contra Faustum. Iam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa Sacramenta quodammodo personabant, sed annuntiatur quod natus sit, passus sit, resurrexit, quod haec Sacramenta, quae a Christianis aguntur, iam personant „.

(Continuabitur).

Felix Zualdi P. C. M.

CASUS

Utrum Episcopis in Gallia ius competat Crucis processionalis deferendae.

Parochus B. nuper renuntiatus Episcopus Dioecesis N. in Gallia, a suis conterraneis Cruce processionali donatur. Contra quos tamen reclamat parochus, sustinens Episcopum N. iure non gaudere deferendae Crucis, quod solis Archiepiscopis competat. Praesentem exorati pertractare controversiam, libenter annuimus. Inquiramus ergo utrum vere Episcopus Dioecesis N. iure gaudeat nec ne Crucis processionalis deferendae.

1. Facile intellectu est, non suboriri quaestionem circa liceitatem Crucis ex parte donantium, qui imo optime aestimationem affectumque in electum eiusmodi dono demonstrare velle significant. Sed finis doni, satis intelligitur, querimoniam parochi optime explicat; ut quid enim Crucis donatio, si ab Episcopo N.

deferenda non esset? Inde profecto quaestionis origo, quam resolvere pro viribus aggredimur.

2. Generale, ante omnia, principium ponimus, vi cuius solis citra dubitationem Archiepiscopis competit ius Crucis processionalis deferendae. Huiusmodi namque usus saeculi IX dimidio videtur inductus, si Catalani testimonio adhibenda sit fides, cum dicat: " Primus omnium, quibus inter eumdum praelata Crux fuit, fortasse fuit Leo IV Pontifex Maximus (*Comment. ad Pont. Rom. p. II, Tit. XIV, § VIII, n. 1*) „. Qua Cruce Leo IV ab Imperatore Carolo Magno donatus fuerat. Successu vero temporis huiusmodi honorem legatis suis ipsimet Summi Pontifices tribuerunt. Postmodum eodem fuerunt honore aucti Patriarchae, Primates, Metropolitae, seu Archiepiscopi universi, imo et nonnulli ex Episcopis, uti Novarinus refert Clericus Regularis (*Lib. VIII, Schediasmatum, cap. 1*). Romae sub Pio Papa IX, Episcopus Nazarethanus visus fuit ingrediens solemniter ipsam Urbem cum Cruce processionali. Hinc indubiam veritatem licet inferre, videlicet agi in casu de privilegio; ergo, illis tantum favere potest, quibus a Summis Pontificibus concessum est, minime vero reliquis. Certo autem constat ex Clementinis (*Tit. De privilegiis*) hoc privilegio Archiepiscopos omnes indistincte gaudere, quod asseri nec potest nec debet de Episcopis. Sicut ergo Archiepiscopi Crucem processionalem deferre possunt, quod a Summis Pontificibus illis tributa est, ita eadem Episcopis interdicitur, quibus non est concessa.

3. Sed praestat referre legem Caeremonialis Episcoporum, quae, postquam docuit Crucem capitularem esse in processione deferendam, quam post reliquum cleri sequitur Episcopus, prosequitur: " Si vero Celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo maior,

aut habens privilegium, ut Crux ante se deferatur archiepiscopalis, etc. (*Lib. II, cap. VIII, n. 27*) „. Quod et repetit alibi dicens: " Et si erit Archiepiscopus, portabitur... Crux archiepiscopalis (*Loc. cit. cap. XXXIII, n. 5*) „. Ceterum nemo nescit Pontificalis Romani Rubricam docentem, electum Archiepiscopum non posse permittere ante se delationem Crucis, nisi post habitum pallium, per quod plenitudo pontificalis officii significatur. Unde et Castaldus ait: " Ante Archiepiscopum in sua provincia defertur Crux, non tamen ante susceptionem pallii; sed statim illo accepto.... elevatur Crux (*Prax. Caerem. Lib. I, sect. X, cap. X, n. 17*) „. Iam nunc ecquis ignorat, pallium solis Archiepiscopis de iure competere, quod proinde statim ac renuntiati fuerint postulare praecipiuntur a Pontifice (*Pontif. Rom.* De pallio)? Cum ergo, iure praesenti inspecto, Crucis delatio sequatur susceptum pallium, manifestum fit, Episcopis ex iure delationem Crucis processionalis nequaquam competere, quibus nec pallium de iure competit. Merito igitur concludendum cum praefato Castaldo, hoc inter Episcopum et Archiepiscum discrimen servatur, quod non ille, optime vero iste faciat ante se deferre Crucem (*Loc. cit. n. 17*), Ergo delatio processionalis Crucis non competit Episcopis.

4. Hisce positis, videndum in casu, utrum Episcopo N. aliquod faveat indultum seu privilegium, contra quod praemissa principia nihil prorsus valerent, cum privilegium, uti notum est, quasi *privata lex* a iure communi eximat. Iam superius innuimus posse hoc privilegio gaudere nonnullos Episcopos. Ab ipsa Catalani aetate id comprobatum erat, ait enim: " Sunt hodie nonnulli Episcopi, Lucensis, seu Lucanus in Hetruria, et Papiensis in Lombardia, qui, ut te-

statur Cardinalis Pitra, Tom. V, ad Constitutionem III, Pii II, Sect. unica, Num. XLIII, sicut habent usum pallii, ita etiam et Crucis (*Comm. ad Pontif. pars II, Tit. XIV, § VIII, n. VII*) (1) „. Alii quoque sunt Episcopi, qui eodem privilegio fruuntur crucis deferendae, alii qui etiam pallio sunt a Summis Pontificibus decorati. Nec mirum, cum Crucis ante se deferendae honorem quibusdam etiam Regibus concesserint Pontifices, uti Silvester II divo Stephano Hungariae Regi. Consuevit enim Sancta Sedes quasdam honoris insignia quandoque tribuere iis, qui de Ecclesia peculiariter fuerunt meriti, in remunerationem, quemadmodum innumera exempla testantur.

5. Quod comprobatum certe fuit in ipsis Galliis. Ita ex. gr. Episcopus Aniciensis pallii privilegio auctus fuit, fortasse quoque Crucis, quod et retinet in praesenti. Id autem accidit, sive quia ad Concordatum usque, a Metropolitano minime dependebat, sed erat, Sanctae Sedi immediate subiectus: sive quia unus ex Anicii Episcopis (Ademarus) legationis apostolicae gavisus fuit honore, pro primo exercitu cruce insignitorum ducendo. Antistes Augustodunensis pallii honorem recepit a divo Gregorio Magno, quod primus fuit inter provinciae Episcopos, qui munus habuit repraesentandi Sedem Lugdunensem, primatus iure fruentem, dum vacaret. Massiliensis Episcopus anno 1731 personali ditatus fuerat pallii privilegio, quod Pius IX Pontifex Maximus in perpetuum et locale commutavit. Sedes Massiliensis, ad breve licet tempus, primatus ius tenuit super alias provinciae Viennensis Ec-

---

(1) Impraesenti Luca Archiepiscopatum efformat, sicuti etiam Pisae, licet antiquitus Episcopatum constituerint.

clesias saeculo quarto circiter aut quinto. Innuere quoque iuvat de Doli in Britannia Episcopo (Sedes iam suppressa), cui Romanus Pontifex Pallium concessit illius consolandi causa, quod multis suis praesumptis iuribus haud obstantibus, Turonensi Archiepiscopo subiectus fuerat. Equidem non legitur, illum fuisse quoque a Pontifice donatum Cruce; hoc nihilominus non probat, eadem ipsum non fuisse usum: eo vel maxime, quod Crux et Pallium intimam inter se relationem dicunt.

6. Praedicta ergo non solum ostendunt Pontificibus ius inesse, sicuti Pallium ita et Crucem concedendi ex privilegio Episcopis, qui iisdem ex iure non gaudent, sed etiam pluribus de causis potestatem eamdem revera eos exercuisse. Multi consequenter Episcopi privilegio fruuntur deferendi Crucem, quibus certe ex mero iure non competeret. Ex hoc autem sequitur, non esse statim veluti usurpatores eos iudicandos Episcopos, qui Cruce utuntur, cum vel privilegio gaudere possint concessionis, vel forte legitimae consuetudinis iure, aut etiam illegitimae, quae tamen successu temporis cohonestata fuit. Ambigendum certe non est, post notum Concordatum omnia suppressa fuisse privilegia; sed hoc ipsis favet personis aliquo nunc privilegio utentibus; quorum ius supponitur, si usus impraesentiarum viget. Eoque magis, quod praesumi non potest, Metropolitanos, in sua quemque provincia, Crucis usurpationem in sibi subiectis Episcopis tranquille fuisse passos, quin contra eos, vel apud Pontificiam auctoritatem reclamarent.

7. Sed iam propius ad quaestionem propositam accedamus. Ex praefatis certum concludimus, Episcopo N. non competere Crucis delationem ex iure, eo quod non est Archiepiscopus. Sed neque ei potest

competetere ex privilegio personali, quia cum vix renuntiatus sit Episcopus, merito non est illud praesumendum: ceterum, si eiusmodi privilegio potiretur, quia obtentum a Sede Apostolica, finis iam controversiae esset impositum. Posset ei competere ex privilegio locali seu Dioecesis, ad quam gubernandam est electus; sed neque id praesumi potest, secus stulta risuque digna foret parochi querimonia. Ceterum hic quoque dicendum, non esse amplius, si ita res se haberet, quaestioni locus. Unum ergo remanet supponendum, videlicet, Dioeceses Gallicas hanc ferre consuetudinem, ut Episcopi Crucem processionalem, more Archiepiscoporum deferant: quo in casu haberetur privilegium locale quidem, sed commune cunctis Galliae Dioecesibus. Quid iudicandum de hac hypothesi?

S. Huiusmodi certe consuetudo, si vigeat, probanda est: quod si probari nequeat, nulla est. Notum autem ponimus, uti iam innuimus, hanc consuetudinem vim tantum habere posse post annum 1801, nempe post solemnem inter Sanctam Sedem et Gubernium Gallicum conventionem habitam seu Concordatum. In hoc enim suppressa, annullata et perpetuo extinta fuere titulus, denominatio, totusque status Ecclesiarum Archepiscopalium, et Episcopalium Galliarum, una cum respectivis eorum Capitulis, iuribus, privilegiis, et praerogativis cuiuscumque generis: ita ut omnes supradicti Archiepiscopatus et Episcopatus haberi in posterum deberent tamquam non amplius existentes, quia aut omnimode extincti, aut in novam formam erigendi (*Pius Pp. VII, Const.* Qui Christi Domini *1801 tert. Calend. Dec.*). Ex hoc autem patet, Archiepiscopalibus et Episcopalibus Sedibus Galliarum sola privilegia remansisse ab aetate praedicta, si ita loqui fas sit, quae illis ex iure competunt; in hoc

vero Crux processionalis in favorem Episcoporum non continetur.

9. Quod si consuetudo, praefato tempore incepta, extiterit, videndum an ab omnibus eiusdem Dioecesis Episcopis servata semper fuerit, an abrupta. Hac enim in postrema hypothesi, eiusmodi consuetudinem, utpote ab omnibus et singulis non servatam, nulla vi pollere credimus; abruptio enim aperte demonstraret, haud consuetudinem fuisse, sed corruptelam potius et potestatis abusum. In prima vero hypothesi sequentia animadvertimus: Aut Metropolita contra Episcopum N. reclamavit nunquam, aut in eumdem animadvertit, utpote ius arrogantem sibi, quod non poterat. Si secundum, iam patet, consuetudinem praeferendae Crucis nullum robur habere, quia Archiepiscopus eam reprobasset tamquam abusum, et quidem cum tertii sive suimet damno. Archiepiscopo autem ius inest studendi, ut removeantur abusus omnes, qui contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum aliarumque proinde liturgicarum legum irrepserint. Si primum (1), notare iuvet cum Benedicto XIV, legem quamlibet humanam, etiam canonicam, posse quidem contraria consuetudine abrogari (*De Syn. Dioec. Lib. 12, cap. 8. n. 8, ex Cap. Final.* De consuetudine); sed consuetudo ut vim habeat abrogandae legis, supponere necessario debet superioris consensum, *qui eam etiam suae legi obviantem, cum rationabilis et diuturna est, statuit tolerandam.* Lex enim sicut in fieri, sic etiam in conservari a volun-

(1) Omnes Galliae Dioeceses privilegio, de quo est quaestio, gaudere, a veritate omnino esse alienum, a nonnullis Gallicis Episcopis in Urbe nunc extantibus edocti fuimus: qui et ingenue nobis confessi sunt, se ipsos huiusmodi privilegio non uti, quia eo non pollent.

tate semper legislatoris dependet, cui parendum est. Legislator autem in casu Summus est Pontifex, qui et solis Archiepiscopis per universalem legem Crucem processionalem concessit, et nonnullis tantum Episcopis ex privata quadam lege, et peculiaribus de causis, maxime causa remunerationis. Quid ergo iudicii proferendum in casu, quo Episcopi aliqui Galliarum huiusmodi sibi ius usurpant, cum laesione nisi iurium Archiepiscopalium, certe Pontificiae potestatis? Quid, si constet, uti indubium est, Summos Pontifices per S. R. Congregationem reclamare semper in abusus liturgicis contradicentes legibus, contra quas, si aperte Rubricis opponantur, ut in casu, numquam praescribitur? Hinc ex omnibus expositis concludi posse videtur, Episcopo N. ius non competere Crucis processionalis deferendae, sicut nulli alii Episcopo, qui in iisdem versetur conditionibus.

APPENDIX

—

PIAE CONSOCIATIONIS SACRAE FAMILIAE

REGULAE

I. Finis. — In brevi Apostolico *Neminem fugit*, a SSmo D. N. Leone PP. XIII, die 14 mensis Iunii 1892 pro universo terrarum orbe promulgato, habetur, Piae Consociationi a S. Familia id esse propositum: " Familias christianas arctiori pietatis nexu sacrae Fami-

„ liae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam „ consilio, uti scilicet Iesu, Maria, Ioseph familias sibi „ deditas tamquam rem propriam tueantur et fo- „ veant „ —; quare omnes, quicumque ad eam pertinent societatem, oportere contendere ut " inter se „ colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus, in „ amore Dei atque hominum, vitam ad propositum „ exigant exemplar „. — Ad haec facilius certiusque assequenda, Cardinalis vice sacra Urbis antistes, ab Ipso Pontifice Maximo Leone XIII Consociationis universae Praeses electus datusque Patronus, audito coetu a consiliis, haec quae sequuntur servanda decrevit.

II. ADIMPLENDA MUNERA. — *a*) Cardinalis Praesidis erit, coetus virorum a consiliis, quando Ipsi opportunum videbitur, indicere eisque praeesse, litteras ad Episcopos dioecesanos, pro suis quemque negotiis, itemque paginas aggregationis atque eiusmodi alia subscribere. Eiusdem erit paroeciarum numerum ac familiarum, recipere, quae per varias orbis regiones in Piae Consociationis album fuerint adscriptae. Sacris coetibus ac religionis solemnibus, quae a Pia Consociatione celebrari in urbe contigerit, vel Ipse praeerit, vel alius ab Eo sufficiendus antistes. Sui denique muneris erit, de omnibus, quae piam hanc Societatem spectent, per consiliarios suos edoceri, praesertim in iis, quae ab his possent ex officio fieri, vel quae aliquam difficultatem praeseferre videantur.

b) Trium (quorum alter est a secretis pro tempore S. Rituum Congregationis), quos Cardinalis Praeses sibi adscivit, urbanorum Antistitum erit diligenter conventibus interesse, suam sententiam dicere, significare Praesidi si quid noverint Piae Societati profuturum, in omnia, quae ad huius bonum referantur, sedulo incumbere.

His accedit Sacerdos, qui fungatur munere Secretarii Piae Societatis ad id electus a Cardinali Praeside. Huic curae erit, graviora, quae in conventibus occurrant pertractanda negotia, adnotare; quae ad rei incrementum collatura duxerit, proponere; scriptis edendis a Pia Consociatione vigilem navare operam; de omnibus ac singulis communicare cum Praeside, ut et necessaria adprobatione et duplici subscriptione muniantur.

Porro Sacerdos a secretis adsciscere sibi in auxilium, poterit alium Presbyterum, a Praeside adprobandum qui Secretarii vices adimpleat. Ad eum itaque pertinebit dandas ad Episcopos aliosve litteras exarare eorumque epistolis rescribere, prout a Cardinali Praeside fuerit edoctus, cui et Secretario postea tradet subscribendas. Penes ipsum erit pluteus, sive archivum, quo scripta, libellos, sacras imagines, aggregationis paginas et alia eiusmodi servabit in usum Sodalium, prout Piae Consociationis consilium constituerit. Agendas sibi expensas ipse describat et Praesidi referat, cui etiam rationem reddet.

III. Extra urbem. — *a*) Episcopi dioecesani erit aliquem e suis Sacerdotibus, quantum fieri possit digniorem, eligere ad munus Moderatoris, huius studium excitare in bonum Piae Consociationis quo alacriorem operam in omnibus, quae ipsum spectaverint, afferat; sedulo advigilare: ab ipso electo Moderatore de omnibus velle doceri quae ad Piae Consociationis bonum referantur.

b) Ad dioecesanum Moderatorem pertinebit Moderatores parochiales opera et consilio iuvare, ut pari alacritate ac prudentia sese in omnibus gerant. Ab unoquoque eorum saepe numerum et nomina exquiret familiarum, quae Piae Consociationi fuerint adscriptae,

de quibus edoceri deinde possit. Neque harum modo, sed et nomina descriptarum paroeciarum in tabulis recensenda curabit: mox earum exemplar ad Urbem mittet.

c) Paroeciarum Rectores singuli Moderatoris officium inter oves sibi creditas assumant obeantque. De suae quisque Consociationis negotiis cum Moderatore dioecesano communicet, cuius auctoritate, consilio, opera iuvari possint. Familias paroeciae in sociorum numerum adscisci cupientes in tabulas referet, palamque Moderatori dioecesano faciet. Quotannis, stato die, paroeciae familias recensere studebit novasque, si fieri possit, in album Societatis inscribendas curabit. Quo autem Sacrae Nazarethanae Familiae cultus honorque foveatur magis, sermonem interdum de Pia Consociatione ad oves suas habeat, quum in festis peculiaribus Domini, Deiparae ac S. Iosephi, tum maxime quum Sodalium pactum erit solemniter renovandum, vel etiam quum in parochiali Ecclesia religiosam aliquam eiusdem S. Familiae solemnitatem celebrari contingat, quam et indicere et dirigere prudenti eius arbitrio relinquitur. Idem, si opportunum videbitur, auxiliares viros ac mulieres moribus et pietate praestantes in parte laboris adsumat, qui rei provehendae omni studio dent operam.

d) Delecti ex utroque sexu rei provehendae, alteri inter viros, alterae inter mulieres, ab suo edocti Parocho, in Pia Consociationis incrementum magno studio prudentiaque incumbent, adhibitis, quae ad rem sunt validissima, precibus, hortationibus, virtutum exemplis. Praeterea in omnibus, pro quibus eorum opera uti Parochi in Domino iudicaverint, dociles omnino se praebeant.

IV. Servanda a Familiis adscriptis. — *a*) In honorem Nazarethanae Fnmiliae studeat quicumque

ei dederit nomen similitudinem aliquam earum virtutum adripere, quarum Iesus, Maria, Ioseph praeclarissima in terris exempla prodiderunt, quum omnibus tum maxime iis, qui labore manuum victum quaerunt. Sed ad illas in primis animum adiiciant, quae sanctitatem domesticae societatis spectant, uti sunt mutua caritatis officia, praesertim inter coniuges, filiorum recta institutio horumque obedientia et obsequium in parentes, pax et concordia domi aliaque huiusmodi. Itaque a vitiis omnino caveant, ab iis maxime quae singularem infamiae notam Christiano homini inurant, quaeque Ipsi Sacrae Familiae iniuriam videantur afferre praecipuam, cuius generis sunt impia verba aut obscoena, ebrietates, incompositi mores, hisque similia.

b) Ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta solemnioribus saltem anni diebus pie accedent, praesertim quo die Familiarum consecratio renovabitur.

c) Ecclesiae praecepta, in tanta morum demutatione ac corruptela tam parvi habita, suaviter observari curabunt, ea potissimum ex quorum custodia aliis bona exempla derivant, uti auditio sacri festis diebus, abstinentia, praescripto tempore, a cibi vetitis, aliaque eiusmodi.

d) Peculiari honore celebranda curabunt festa Piae Consociationis propria, quae plenaria indulgentia a Summo Pontifice fuere ditata, in primisque solemnem constitutum diem in honorem Sacrae Familiae, qui dies erit per universum orbem Dominica infra octavam Epiphaniae, quo simul, nisi aliter expedire Moderatoribus parochialibus in Domino visum fuerit, ritur consecrationis renovabitur.

e) Dent operam ut, semel saltem in die, ante Sacrae Familiae imaginem communes fundantur pre-

ces, in quibus praecipua ratione commendatur Rosarii in honorem Deiparae recitatio.

f) Pietatis exercitationes, quas diximus, enixe commendantur iis, qui ad Piam Consociationem pertinent, nullatenus tamen eorum onerata conscientia.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, Dominica infra Octav. Epiph., die 8 Ianuarii 1893.

L. M. Card. Vic., *Praeses.*

C. MANCINI *a Secretis.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Contin. V. n. 2, pag. 74*)

V.

1. Ad cantum responsorium pertinet etiam hymnus *alleluia* vel *alleluiaticum melos*, uti a Victore appellatur Episcopo Uticensi. Vox haec, quidquid in contrarium quibusdam visum sit, nonnisi ex Hebraeo originem ducit sermone, et *Laudate Deum* sonat.

Hic hymnus alleluia brevis quidem dictu est, at Deo pergratissimus. Ioannes enim in admirabili sua Apocalypsi, ab angelicis ipsis choris illum usurpari in divinis laudibus concinendis se audivisse testatur.

2. Aggaeus Propheta, iuxta quosdam, primus *alleluia* cantavit, cum novam vidit templi structuram. Sed ex Psalmis constat, ait Emus Bona (*Rer. Lit. lib. II, cap. 6, par. V.*), David regem primum eius fuisse auctorem. Quae Emi viri opinio, in illo etiam Cassiodori fundatur: " hoc (alleluia) verbi decus a praesenti psalmo (104) fecit initium, nec ante a quoquam reperitur positum, quamvis multi Scriptores fuerint primitus Hebraeorum. „

E Synagoga in Ecclesias morem huius hymni canendi derivarunt Apostoli. Et tam frequens in christianorum ore dulcis hic resonabat hymnus, ut, teste Hieronymo, ad cantum *Alleluia* monachi ad collectam

vocarentur; ipsique laici in durioribus etiam operibus intenti, nonnisi celeuma (alleluia) canentes animum relaxabant (*Epist. 27, cap. 10, ad Eustochium*). Imo, uti idem doctor subiungit: " haec (alleluia) sunt in hac provincia (Palestina) carmina, hae amatoriae Cantilenae, hic pastorum sibilus, haec arma culturae (*Epist. ad Marcell. 18*). „ Romae itidem cum primis elementis ea etiam voce (alleluia) infantes imbui solitos idem S. Hieronymus scribit.

3. Quando vero in Missa praedictus hymnus cantari inceperit incertum est. Scimus tamen ex divo Gregorio ab Hierosolymorum Ecclesia, Romanam morem alleluia canendi accepisse extra Paschale tempus; ad sedandos enim quosdam contra ipsum murmurantes, quod alleluia in Missa dici fecisset extra tempus Pentecostes, Gregorius respondit: " ut alleluia hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatae memoriae Damasi Papae, traditur tractum (*lib. 7, ep. 63*). „ Quapropter ex hoc divi Gregorii, et ex alio divi Augustini, uti Hieronymi coaevi, testimonio, secundum antiquam Ecclesiae traditionem alleluia in Missa cani asserentium, stabiliri potest: ipsis Ecclesiae exordiis, tempore tantum Paschali alleluia cani in Missa; postea vero, ex auctoritate fortasse Hieronymi, quae magni semper in Romana Ecclesia habita fuit, mos invaluit toto anni tempore, exceptis novem hebdomadibus, a Septuagesima nempe ad Pascha, hymni alleluia canendi (1). Hinc Humbertus

(1) Hic impraesenti viget universaliter usus: semper alleluia legimus, ubi reperitur in libris ritualibus scriptum, quamvis pluries, quam in reliquo anno, tempore paschali. In dictis vero hebdomadibus etsi inscriptum legatur in Missali, in Breviario, etc. semper omittendum vi Rubricarum.

Cardinalis Michaeli Constantinopolitano respondens, qui Latinos falso reprehendebat, in solo die Dominicae Resurrectionis Alleluia ipsos canere, ait: " Nos toto anno psallere alleluia, exceptis novem hebdomadibus, a Septuagesima nimirum usque ad Pascha. „ Haud tamen generalis omnino et constans mos iste fuit. Augustinus enim testatur: " Ut alleluia per solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam et aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique (*Ep. 119, c. 17*).„

4. Quare autem per novem illas hebdomadas cantum alleluia intermissum fuerit, non sine sacramento id fieri, ait Augustinus (*in Ps. 106*); alleluia enim hymnus est iubilationis, et, ut Cassiodorus ait, *sanctis festivitatibus decenter accommodum* (*in titul. Ps. CIV*): ideoque poenitentiae ieiuniorumque tempore parum conveniens. Sapienter ergo Toletani Patres consuetudinem apud Hispanos vigentem in Quadragesima alleluia canendi, ultima tantum hebdomada excepta, abrogarunt.

5. Diximus iam hymnum hunc alleluia ad responsorium cantum pertinere; eodem prorsus modo quapropter concinebatur ac Graduale: id est, in eodem loco, iisdem vestibus, et respondente cantorum schola. Ita Victor Uticensis iam citatus (*de Persec. Vandal. lib. 1*), Ordo Romanus (*VI*), Amalarius (*lib. 3, c. 13, 15, 16*), vetus manuscripta expositio Missae ex concordia Divinarum Scripturarum, Rupertus abbas (*lib. 1, de Div. Off. c. 34, 35*), ac Guil. Durandus (*lib. 4, c. 20, n. 6*).

Hic autem cum doctissimo Sala, Bonae adnotatore, observandum; quod, cum in antiquis manuscriptis codicibus unicus animadvertitur alleluia cum suo versu, hoc haud quidem autumandum est evenire ex eo, quod semel duntaxat olim in Missa cantaretur, sed

quia id ipsum iisdemque musicis notis et semel, et iterum, et tertio decantabatur: uno verbo, toties cantabatur versiculus, quoties alleluia recantabatur.

6. Verum, si modus alleluia canendi tum quoad locum, tum quoad vestes, idem prorsus ac alter cantus Gradualis erat, toto caelo tamen in cantus executione ab isto discrepabat. Cantus enim alleluia, utpote iubilum laetitiamque exprimens, haud quidem asper et durus, imo ornatus *tropis* seu *neumatibus* (1), hoc est, variis notis musicis, quae in antiquis codicibus manuscriptis in ultima syllaba vocis alleluia reperiuntur; cuius postremae syllabae longam decantationem, *iubilum* vel *sequentiam* nostri appellavere maiores, ait Cari (*Ant. Lib. Miss. p. XXX*). Hinc Rupertus abbas: " Canitur ergo alleluia post graduale, canticum laetitiae post luctum poenitentiae: et summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quae reposita est illis qui nunc lugent, iubilamus magis quam

(1) Neuma, vocis significatione inspecta, idem est ac *nutus*, et a graeco idiomate oritur. Duplici nunc sensu accipitur: vel pro cantus signo vel pro syllabae unius eodem in cantu protractione. Primum silemus, hodie namque vix Cantus liturgici peritum reperis, qui de neumatibus disserere nesciat, cum nulla impraesenti Cantus liturgici grammatice vulgetur, aut quivis alius eumdem respiciens liber, qui neumatum condimento non sit respersus. Alterum significat, eamdem, ut plurimum ultimam, protrahere verbi syllabam in cantu per plures coniunctas notas. Editio Gradualis sub Paulo V vulgata, continua de hoc exhibet exempla, proindeque et Romana, seu Ratisbonensis praesens, qua utimur, in syllaba *a* alterius alleluia canendi post Epistolam. Graduale vero Dom Pothier harum neumatum usus est fere continuus, seu locum habet in plurimis, seu ultimis seu intermediis verborum syllabis. Suave admodum nobis est in praesentiarum ad hunc neumatum usum, quem dimiseramus, iterum laeti redire.

canimus: unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas vel neumatum distinctiones protrahimus: ut iucundo auditu mens attonita repleatur, et rapiatur illuc, ubi sancti exsultabunt in gloria, laetabuntur in cubilibus suis (*lib. 1, de Divin. Offic. c. 35*). „ Idem confirmant innumeri alii veteres scriptores, nec non et antiqui Ordines Romani.

Demus denique exemplum cantus responsorii Alleluia ex Missa Paschatis, a praelaudato Cari relatum.

Cantor in alba sine planeta in gradu Ambonis stans ad orientem conversus, solus praecinit *Alleluia*, omisso neumate.

Schola seu chorus cantorum idem respondet Alleluia cum neumate.

Cantor idem solus canit ℣. I. Pascha nostrum immolatus est Christus.

Schola respondet idem Alleluia cum neumate.

Cantor idem ℣. II. Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.

Schola respondet idem Alleluia cum neumate (1).

---

(1) Impraesentiarum per totum tempus paschale post Epistolam bis alleluia dicitur, inde alium additur alleluia post unumquemque versum. Aliis vero temporibus, a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum excepto, duo primi alleluia omittuntur, quibus duo versiculi sufficiuntur: postea bis alleluia canitur, quem versiculus sequitur cum alio alleluia in fine. In novem vero hebdomadibus, de quibus supra, post Epistolam nullum unquam concinimus alleluia, sed semper omittimus. Ita aliquando in signum poenitentiae iidem alleluia omittuntur, uti in feriis Adventus, quae Quadragesimam imitantur.

S. RITUUM CONGREGATIO

MONOPOLITANA

Moderatores Tertii Ordinis S. Dominici in loco vulgo dicto *Fasano* intra fines Monopolitanae Dioeceseos, rite instituti, de consensu Rmi Ordinarii, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecerunt, nimirum:

An in processionibus, etiam in solemnitate Corporis Christi Sodalitati Tertii Ordinis Sancti Dominici ius praecedentiae competat supra quascumque laicas Confraternitates, etiam a SSmo Sacramento nuncupatas?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex suis Consultoribus, ita proposito Dubio rescribendum censuit: *Affirmative; dummodo ea sodalitas gaudeat privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter proprio habitu incedat.* Atque ita rescripsit die 27 Martii 1893.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi Veronensi.* **De ordine quarumdam precum in functione pro postulanda serenitate.** Triduum hic fieri solet ad postulandam serenitatem cum Sacramento solemniter exposito; et recitari solent *Litaniae Sanctorum cum precibus*, ut Rituale Romanum praescribit in processionibus ad petendam pluviam vel serenitatem. Tenent nonnulli, in fine precum omittendum esse ℣. *Domin. Vobisc.* et orationes dicendas sub conclusione *brevi;* ac deinde omissis versiculis (*Dom. exaudi... Fidelium etc.*) qui sunt in Rituali, statim canendum esse hymnum *Tantum ergo* cum unica Oratione Sacramenti. Alii vero censent, post *preces* dicendum esse *Dom. exaudi*, et postea cantandum *Tantum ergo;* et post Orationem Sacramenti addendas esse Orationes ut in Rituali sub una conclusione longiori, cum ℣. *Dom. exaudi... Fidelium etc.* prout in eodem Rituali habetur. Quid rectius?

Resp. Functio, de qua in casu, non habetur in Rituali Rom. adeo ut peculiaris ordo pro illa in recitandis precibus non sit in eo praescriptus: sed ibi tantum verba fiunt de processione, pro qua inscribitur ordo precum, quae dicendae sunt. At posito quod iisdem precibus aliqua Ecclesia utatur in triduo peragendo, ut in casu (quod laudabiliter posse non est dubitandum), arbitramur primam agendi rationem esse alteri praeferendam. Primo quidem, quia quando codicibus liturgicis approbatis utimur, magis congruit,

ut in precibus ab iis desumptis, idem servetur ordo, qui in illis praescribitur, quam privatum arbitrium. Secundo, quia cum functio absolvenda sit cum benedictione in fine, melius est ut primum illa fiat quae respicit serenitatis petitionem, postea alia, quae directe ipsius Sacramenti obiectum. Tertio denique, quia cum locus esse possit aliis Orationibus ante hymnum *Tantum ergo*, magis convenit ut Oratio Sacramenti sola dicatur, quemadmodum in aliis rerum adiunctis solet communiter fieri. Idem dicendum quando cantatur psalm. *Miserere* vel hymnus *Te Deum*, ob easdem rationes expositas.

II. *Ex eodem loco.* **De campanula ad *Sanctus* in Missa pulsanda cum recitatur Rosarium a populo.** Apud nos cum Missa dicitur, iuxta optatum Pontificis, in mense Octobri, et recitatur Rosarium, eidem Missae inserviens non pulsat ad *Sanctus* campanulam, sed tantum ad Elevationem, ne populus distrahatur: quid iudicandum?

Resp. Missae inservientem haud bene se gerere. Sane, quid campanulae ad *Sanctus* pulsatio sibi vult, nisi signum exhibere fideli assistenti populo, Praefationem esse absolutam et incipere Canonem? Quid autem opportunius quam eiusmodi signum dare, ut idem populus sciat tempus, quo sanctior Missae pars initium habet, quamvis Rosarium recitet? Confusio fortasse oriri potest ex altera campanula pro *Gloria Patri* in Rosario pulsanda; sed nil commune illa cum hac pulsatione habet, et finis est omnino diversus; distinguatur ergo pulsandi modus, et inconveniens cessabit. Rubrica est satis perspicua, nec ratio suppetit ut illius observantia omittatur. Uti ergo campanula ad elevationem pulsatur, ut populus adoret, ita et pul-

sanda ut iuxta Rubricam praefatum signum omnis congregatus populus accipiat.

III. *E Sicilia.* **De Matutino Defunct. post Vesperas Omn. Sanctorum in Cathedr. Ecclesiis.** Quaeritur utrum in Cathedr. Ecclesiis statim post Vesp. Omn. Sanctorum possit recitari Matutinum Defunctor. stante auctoritate Caerem. Episc. Lib. II, cap. X, n. 1?

Resp. Negotium huiusmodi implicatum nobis apparet. Nam Caeremoniale Episcoporum hanc recitationem permittit ante Completorium in festo Omn. Sanctorum (*loc. in Dub. cit.*). Haec autem permissio saltem pro Cathedr. Ecclesiis, in eodem Codice non limitatur, sive praesens sit, sive absens Episcopus, uti legenti patebit. At cl. De Herdt plura citat decreta, quibus innixus docet, Episcopo praesente, recitandum Matutinum Defunct. post Vesperas diei Omn. Sanctorum, eo vero absente, nonnisi mane die 2 Nov. esse recitandum. Decreta citata sequentia sunt: 1. *Collen.* 5 Iul. 1698 ad 20, et dicit: " An Officium Defunctorum pro die 2 Nov. possit recitari, **etiam praesente Episcopo**, ante Completorium die Festi Omn. Sanctorum? „ Responsio autem est affirmativa. Ergo, legitima patet illatio: absente Episcopo, si etiam eo praesente licet, dicto tempore recitari potest officium Defunctorum. Alterum est *Congregationis Montis Coronae,* 22 Ian. 1701, ad 3, et ait: " An matutinum diei praedictae (*2 Nov.*) Com. omn. Fid. Defunct. recitari possit in choro in die festivitatis Omn. Sanct. **post Completorium?** „ Et responsum est: " Serventur Rubricae „. Hoc autem ad rem non facit, agit enim de Offic. Defunct. post Completorium, quod est contra Rubricas. Tertium est *Ordin. Eremit. Calmaldul. Mont. Coronae* 19 Ian. 1743 ad 5, et sic se exprimit: " Cum Rubricae et Decreta praecipiant Matut. diei Com. Omn.

Fid. Defunct. recitari debere post Laudes Officii currentis... dubitatur an... recitari permittatur in die festivitatis Omn. Sanctorum **post Completorium** *etc.?* „ Similis autem superiori data est responsio, quae concludit *servandas esse Rubricas;* ergo et istud ad rem non facit. Quartum est *Ratisbonen.* 4 Sept. 1745, et quaerit: " An... possit in festo Omn. Sanctor. post secundas Vesperas, etiam Vesperas Vigiliae Defunct. recitare *etc.?* „ S. C. autem respondit: " In choro... iuxta Rubricas adimplenda est mane die 2 Novembris, nisi, ut populi commodius et frequentius illi interesse possit, contrariam faceret consuetudo „. In expositione Dubii huius Decreti ne verbum quidem de praesentia, vel absentia Episcopi. Alia ad rem decreta cl. De Herdt non citat, nec novimus; quomodo ergo potuit consectarium in sua Praxi Pontificali inferre de permissione Officii Defunct. praesente Episcopo, de illius vetito absente Episcopo, die 1. Nov. plane non intelligimus. Ergo concludimus, quidquid alibi dictum a nobis sit, Matutinum Defunctorum post Vesperas Omn. Sanctorum, in Cathedralibus saltem Ecclesiis, semper recitari posse, sive Episcopus sit, sive non sit praesens; et huic sententiae Caeremoniale Episcoporum favere, et Decreta non contradicere.

Nota 1. In Litaniis Lauretanis conclusio per *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, quam, iuxta quod ait Rev. Inquirens, haberet Editio typica Ritualis anni 1884, dicenda omnino non est, cum locum non habeat, quod ex aliis editionibus abunde patet.

Nota 2. *Per se* nihil videtur impedire quominus Beneficiati vel Mansionarii gaudentes privilegio cappae cum caputio, illam solvere valeant, et hoc induere, cum Canonici id faciunt. Nihilominus, cum consuetudo vigeat, ut neque illam solvant, neque hoc induant,

credimus servandam esse eiusmodi consuetudinem, ne inducatur novitas.

Nota 3. De ultimo dubio agere ex prudentia nequimus, et silere cogimur: excusationem petimus.

IV. *E Sardinia.* **De non genuflectendo ad stropham** *Tantum ergo* **in recitatione hymni** *Pange lingua,* **Sacramento non exposito.** Quaeritur utrum genua sint flectenda cum dicitur *Tantum ergo* in hymno *Pange lingua,* si non sit expositum Sacramentum, tam in primis Vesp. Corp. Christi, quam in aliis officiis votivis eiusdem Sacramenti?

Resp. Negative. In praefatis enim verbis habetur significatio venerationis erga Sacramentum altaris, quod tamen genuflexionem non exigit; quia cum expositum non sit, locum non habet. In aliis casibus, uti ad *Ave maris Stella,* ad *Veni Creator* etc. habetur vera invocatio, quae genuflexionem exigit. Haec ratio legis rubricalis, quae vel praescribit vel non praescribit eamdem genuflexionem.

V. *Ex eodem loco.* **De antiphonis duplicandis in officio defunct. unius nocturni.** Quando unum tantum nocturnum cum Laudibus recitatur in anniversario defunctorum, antiphonae duplicari ne debent?

Resp. Affirmative, et nescimus qua de causa dubitetur. *Vide Ephemer. Liturgicas 1889, pag. 454 et seq.*

VI. *Ex eod. loc.* **De antiphonis non praeintonandis in officio defunct. et Matutinis Tenebrarum.** Servari ne potest consuetudo praeintonandi antiphonas tam in officio Defunt. quam in Matutinis Tenebrarum?

Resp. Negative. Lex Caeremonialis non prohibet quidem expresse intonationem, consequenter et praeintonationem antiphonarum in duobus praefatis casibus, nihilominus ex modo se exprimendi perspicue ostendit, illas non habere locum. Namque dum in

Vesperis vivorum solemniter decantandis docet a quibus praeintonatio, et a quibus intonatio facienda veniat; cum agit de Vesperis Defunctorum dicit: "Absolute chorus incipit antiphonam *Placebo* (*Lib. 2, cap. 10, n. 3*). „ Ex quibus iure merito cl. De Herdt notat (*Loc. cit. lit. 6*): „ Antiphonae in his Vesperis, Matutino et Laudibus, incipiuntur et intonantur a choro seu cantoribus, non autem ab Episcopo et Canonicis, sicut in officiis solemnibus, ut patet ex hoc loco, in quo dicitur chorum incipere antiphonam, et Episcopum sedere, quousque inchoetur *Magnificat;* et ex n. 6 ubi notatur eum surgere cum inchoatur *Benedictus;* si enim Episcopus antiphonam ad *Magnificat* et *Benedictus* intonaret, ad intonationem surgeret. Ratio est, quia intonatio et praeintonatio solemnitatem prae se ferunt, quam lugubre mortuorum officium non admittit. „

Ad Matutinum autem Tenebrarum quod pertinet, idem quoque dicendum, eademque ratione argumentandum. Namque Caeremoniale hoc quoque loco ita se exprimit, ut intonationem ac proinde ipsam praeintonationem excludat. En verba legis: " Postquam Episcopus aliquantulum quieverit in sua sede, surgit... tum sibi ipsi caput tegit eodem caputio, et sic stat quousque ad eius nutum chorus dixerit antiphonam *Zelus domus tuae etc.*, qua finita, et incepto psalmo sedet (*Lib. 2, cap. 22, n. 6*). „ Hinc, quamvis aliqui antiphonas in his etiam matutinis praeintonandas dicant, ut ait praecitatus De Herdt nihilominus vi legis non esse intonandas cum eodem tenemus. „ Attamen, eiusdem sunt verba auctoris, omnino dicendum est, eas non esse praeintonandas, sed a cantoribus absolute intonandas: 1° quia in Caeremoniali huius praeintonationis nulla fit mentio; chorus iuxta hunc

num. 6 antiphonam dicit; in Laudibus Episcopus tantum surgit ad *Benedictus*, et antiphonam igitur non intonat, cum tunc ad eam surgeret: 2° quia iuxta Caeremoniale S. Rom. Eccl. Lib. II, c. 42, § 3, et c. 43. Papa praesente et absente cantores antiphonam incipiunt: 3° quia iuxta Mem. rit. Tit. 5, c. 2, n. 8, cantores intonant et prosequuntur antiphonam *Zelus domus tuae*, quod similiter faciunt in aliis antiphonis (*Prax. Pontif. ad loc. cit. lit. d*). „

Addere iuvat, solemnitatem in his Matutinis esse, ut ita dicam, sui generis, sed lugubria non excludere, imo exigere: ut de iisdem quod de officio defunctorum diximus, dicendum sit (1).

VII. *E Centumcellis.* **De hora Missae conventualis processionem praecedentis.** In Cathedralibus Ecclesiis, quibus est consuetudo canendi Missam, quae praecedit processionem SS. Sacramenti post Tertiam, potestne eadem Missa decantari post Nonam, vi decreti S. Iacobi De *Chile* 7 aug. 1880?

Resp. 1. Perspicua lex rubricalis est in Missali circa Missam conventualem, quae post Tertiam canenda est (*Rubr. Gen. Tit. XV, n. 2*). Quascumque autem eiusdem generis Missas statutis horis dicendas, confirmant plura decreta S. R. C. Congñis, uti *Imolen.*

---

(1) Emus Parochi hanc tenuit defenditque sententiam in Conventu Academiae Liturgicae Romanae, habito die 23 Mart. an. 1892, uti suo tempore exponemus. Cum autem eodem anno solemnibus Officiis Tenebrarum de more praefuisset, quae persolvuntur in Ecclesia S. Apollinaris de Urbe, haud obstante inducta iam consuetudine opposita, exegit, ut totas antiphonas sola inciperet et exequeretur Cantorum Schola. Nihilominus, si consuetudo immemorabilis esset, eam damnare minime auderemus, quia potius praeter Caeremoniale, quam contra, illa dici posset.

7 Iul. 1759, *Barchinonen.* 24 Mart. 1760, ad 3, et alia; idemque exigit Concilium Tridentinum (*Sess. 22 in Decr. de Observ. in celeb.*). Hinc ad propositum dubium respondemus negative. Neque obstat citatum decretum, quod agit de iam inducta consuetudine Horas minores recitandi ante conventualem Missam, quando locum habet praedicta processio; aliud enim est consuetudinem invehere ubi Rubrica optime servatur, aliud est ab observantia legis dispensare ex legitima autoritate, ubi consuetudo iam est invecta ex quadam rationabili causa.

VIII. *E Gallia.* **De Bireto praelatitio plura Dubia.**

a) Qualis esse debet materia Bireti Episcopalis?

Resp. In Breve concessionis **Praeclaro divinae** Leonis Papae XIII 3 Febr. 1888, nil de materia dicitur, sed de colore tantum violaceo. Exploratum autem est, universos fere Episcopos ita concessionem fuisse interpretatos, ut materiam adhibendam censuerint sericam: haec saltem omnium in Italia, exterisque imo et regionibus pluribus, uti nobis certo constat, continua praxis. At si inquiras, utrum possit esse etiam ex lana, dummodo eiusdem coloris violacei, non est dubitandum, speciatim in hieme, ut ait cl. Martinucci (*Lib. V, cap. II, n. 11*). Idem de villoso serico a fortiori dicendum arbitramur, sicuti de serico ondoso quia sericum est, dummodo idem semper violaceus sit color. Ratio est, quia licet talaris vestis Episcopalis materia, sit lege determinata (*Caerem. Episc. Lib. I, cap. I, n. 1*), nempe *ex lana vel ex camelotto, nullo autem modo sericae;* bireti nihilominus, sicut et pileoli materiam lex non determinat. Cum itaque biretum ex una vel alia materia deferre nulla Episcopis lex imponat, privatae id imponere auctoritati certo licere non potest. Aliunde nullum oritur

inconveniens, cum materiae differentia, ob identitatem coloris, in oculis intuentium nullum minus bonum producat effectum; et recensitae materiae, etiam in se spectatae, Episcopali dignitati optime conveniant.

b) Biretum Cardinalium et Iesuitarum non admittit flosculum: est ne lex generalis an particularis?

Resp. 1. Lex certa est pro Emis, ut flosculum nullum in bireto gestent, sed pro illo resticulam duplicem eiusdem ac bireti coloris. Legem dixi certam, quam consuetudo induxit, ut nullus de opposito casus sit, ex quo indubie gravis oriretur admiratio. Et decet omnino, ut idem servetur usus ab Emis, qui extra Urbem degunt.

Resp. 2. Idem inter Iesuitas servatur usus, qui tamen loco flosculi, haud reticula sed parvo utuntur panno rhombi figurae instar, sicut inter quosdam Regulares Clericos usus viget flosculi, inter alios nullius prorsus rei, loco flosculi etc. Hae sunt consuetudines paulatim inductae, quae fideliter servantur, non quidem ex regula, sed ratione uniformitatis. Huiusmodi proinde lex pro unoquoque diverso coetu dicenda particularis est.

c) Quid de obligatione, crassitudine et colore huius flosculi?

Resp. Nullam arbitramur quoad flosculum obligationem dari, saltem ex lege Ecclesiae, nisi de consuetudine sermo sit, nullibi enim haec lex reperitur scripta. Ad merum ornatum pertinet, qui etsi omittatur, parum vel nihil interest, cum vix advertatur. Consequenter sit plus minusve crassus, plus minusve amplus, sit ex sericis vel laneis filis, vel ex alia materia, idem est. Quod tamen dici non debet de colore, qui pro Presbyteris simplicibus, sive ad saecularem sive ad regularem clerum pertineant, nonnisi niger

esse debet, si adhibeatur, nempe eiusdem ac bireti coloris, quod niger esse debet: si nonnulla excipias clericorum collegia, quae alio colore utuntur. Id seu consuetudo universalis dictat, seu ratio admirationis et scandali omnino suadet, nisi ridiculum quoque saperet diversa agendi ratio. Rubeus color solis Emis competeret, qui bireto rubri coloris utuntur, nisi consuetudo resticulam ferret (*V. Martinuccium Tom. VI, Append. cap. I, n. 9*): violaceus solis Episcopis, qui utuntur bireto violaceo. Nihilominus usus Episcoporum in tota Liguria atque in Alta Italia fert flosculum coloris viridis, quod maxime laudandum. Namque et cordulis respondet eiusdem coloris praescriptis in galero, sicut et flosculo eiusdem, quem pariter viridis coloris Caeremoniale exigit (*Lib. I, cap. 1, n. 3*). Item nonnulli nigro super biretum utuntur flosculo, quod iterum ostendit, lege nil esse praescriptum, uti optandum esset, ut plena servetur uniformitas. Nihilominus praeter nigrum, violaceum et viridem colorem in flosculo, reliqui colores iure, ex superallatis rationibus, dicendi sunt vetiti.

d) Potestne admitti funiculus, seu resticula rubei coloris circa angulos bireti ?

Resp. Uti patet, eiusmodi resticula simplex respicit ornamentum bireti; nihilominus non intelligimus, cum exterius appareat, quare in hoc ornatu color adhiberi debeat rubeus, qui ad Cardinales tantum pertinet, loco violacei, qui Episcoporum est proprius. Si orae textum et fibulas in veste talari consideres, si pileolum, si biretum, omnia quae apparent, violacei sunt coloris: quare ergo proprius debet negligi, qui proprius est, ut superior, nempe Cardinalium proprius, adhibeatur color in hoc ornamento? Arbitramur id

sapere quamdam ordinis inversionem, quae non permittitur: unicuique suum.

e) Est ne lex stricta, ut biretum habeat solummodo tria cornua ?

Resp. Arbitramur esse distinguendum. Haec consuetudo bireti, scripta enim de eo lex non reperitur, clericos respiciens, sicuti circa decimum saeculum incepit, ita paulatim extensa est. At naturaliter accidit, ut unaquaeque regio hoc capitis adoptans sibi tegumentum, aliquid in eo discriminis induxerit, de quo usque nunc siluit Ecclesia. Itali bireto utuntur tria habente cornua: Galli, quatuor, licet non omnes, Sacerdotes enim Missionis, quos Lazaristas dicunt, tribus tantum cornibus, ut Itali, bireto utuntur, tam intra quam extra Galliam: Hispanorum clericorum biretum vidimus, quod non solum quatuor habet cornua, sed ita in superiori parte elaboratum est, ut instar coronae appareat. Orientalium Ecclesiarum clerici bireto quoque in sacris functionibus utuntur, sed sine cornibus et cylindri instar. Iam nunc super varia hac bireti forma in variis nationibus, tacent Episcopi, quin imo et aliis clericis se conformant. Silet Roma, quae tamen nescire illam nequit, silet et S. R. Coñgtio, ut nihil hac super varietate dixerit. Quid inde concludendum? Tria ne habebit necessario cornua clericale biretum? Affirmative, si de Italis clericis agatur, haud vero si de Gallis, de Hispanis, aliisve sermo fiat, pro quibus consuetudo bireti quatuor habentis cornua ex lege est. Namque lex eiusmodi ad consuetudinem pertinet, ergo unaquaeque natio servare optime potest consuetudinem suam.

Huic sententiae videtur contradicere Decretum *Venusin.* S. R. Coñgnis, d. d. 7 Dec. 1844, declarans, *nimirum, nec uti posse in functionibus ecclesiasticis tali*

bireto... (ex quatuor cornibus) siquidem biretum non est chorale indumentum. At apparens est contradictio, ibi enim de bireto quidem agitur ex quatuor cornibus, sed gestando in sacris functionibus, *ob Magisterium, et Lauream, aut Licentiam in disciplinis theologicis vel sacris Canonibus* receptum. Id autem nostram confirmat sententiam, supponit enim consuetudinem illic non ferre, ut biretum clericale ex quatuor cornibus gestaretur, ergo neque ratio Laureae ad illud cohonestandum sufficit, sed consuetudo vim legis habens servanda est: ceterum additur, biretum illud, nempe doctoris (1), inter indumenta choralia non recenseri. Conveniendum nihilominus optandum esse, ut romana simulque itala consuetudo ad omnes extendatur nationes latini ritus, ut indumentum ecclesiasticum a civili discriminetur.

f) Quomodo portatur biretum super caput? Angulus sine cornu debet ne poni supra aurem sinistram? Tolerandus ne usus contrarius?

Resp. Itali, observat Macri, unico angulo submisso, tres ad honorem SS. Triadis elevant (*Hierolex. ad verb.* Camelaucium). Nil ergo magis conveniens, quam submissum bireti angulum a sinistris relinquere, ut mysticae significationi dextera seu nobilior pars tradatur. Praeterea, cum biretum ex tribus cornibus sit Italorum proprium, ex ipsis arbitramur convenientius addiscendum quomodo illud sit gestandum. Nunc autem Itali biretum ita deferunt, ut angulus sine cornu semper

---

(1) Nemo nescit, biretum quod Laureae ratione accipitur, indumentum esse civile, quod choro non convenit. Si nihilominus alicubi consuetudo vigeret bireti cum quatuor cornibus deferendi in choro, tunc dicendum foret, idem biretum et civile esse indumentum et ecclesiasticum.

supra aurem ponatur sinistram, numquam supra dexteram. Notandum insuper id naturaliter Italos agere, et si casu quandoque oppositum ex inadvertentia alicui accidat, risus in omnibus id sentientibus excitatur, ut error rubore vultus illico emendetur. Denique ipse rectus sensus dictat, ut pars sine cornu a sinistris maneat, sive quia commodius est iis, qui biretum dextera e dextero cornu accipiunt sibique imponunt, sive quia parti bireti vacuae nonnisi minus nobilis pars capitis debetur. Arbitramur proinde usum contrarium non esse tolerandum.

g) Qualis esse debeat subsutura? An ex tela, aut ex serico? Et cuius coloris?

Resp. Qualiscumque aptae materiae subsutura bireti esse potest, et cuiuscumque coloris; quia quod interius inservit, cum non appareat, non potest sub lege aut consuetudine cadere. Si enim eiusmodi libertate in casulis, pluvialibus, dalmaticis etc. utimur, a fortiori eadem uti libertate possumus in biretis. Haec communis Romae et in tota Italia praxis.

h) Quomodo tenendum biretum in manibus? An apertum, uti Romae, an plicatum et clausum uti in Gallia?

Resp. Romae et in tota Italia consuetudo est, ut quoties caput discoopertum haberi in sacris functionibus debeat, biretum apertum manibus teneatur. Notandum autem usum generatim hic non vigere ita conficiendi biretum, ut plicari et claudi facile possit; nihilominus, si quandoque id accidat, biretum in actu functionis non plicatum et clausum, sed apertum tenetur. Dicendum vero est, de eo aut aperto, aut clauso tenendo, nullam extare legem: ut proinde, dummodo uniformitas servetur, altero aut altero modo teneri queat. Quocumque ceterum in actu lex fert ut defe-

ratur biretum, pro obiecto habet caput tantum cooperiendum; cum ergo caput discoopertum esse debet, utcumque teneri illud potest, salva semper, sicut uniformitate, ita et decentia.

i) An biretum violaceum aut rubeum tolerari possit in pueris chori (enfants de chœur)?

Resp. Negative. Horum puerorum vestes nonnisi illae esse debent, quae clericorum sunt propriae, quomodo ergo eas congruenter poterunt induere, quae neque Presbyteris ullo modo competunt sine peculiari privilegio?

IX. *E Ferraria.* **De Occurrentia duorum dup. I. classis.** In Ecclesia B. celebratur Patrocinium S. Ioseph sub ritu 1. classis cum octava, *nisi occurrat festum maioris dignitatis.* Quaeritur, quid sit agendum si Dominica III post Pascha occurrat Patronus loci, vel Titulus Ecclesiae?

Resp. Confer quae docuerunt *Ephemerides liturgicae* anno 1888, pag. 597 et seq.; ideoque cum Patronus vel titulus Ecclesiae, licet dignitate hierarchica seu intrinseca, minores sint S. Iosepho in casu, illi tamen digniores sunt dignitate *extrinseca.* Aliis verbis, Patrocinium S. Ioseph est duplex 1. classis *tertii* Ordinis, Patronus vero et Titulus Ecclesiae, duplicia sunt primae classis *secundi* ordinis, ergo hi praecedentiam supra illud habere debent. Sciat porro egregius inquirens hanc ordinum distinctionem, licet ab *Ephemeridibus* nostris primo prolatam, maximopere fuisse acceptam etiam praestantissimis viris, utpote quae Rubricis undequaque conformis.

X. *Ex eodem loco.* **De** *Gloria Patri* **ad Completorium in Concursu Dom. Passionis et officio Vot. Imm. Deip. Concept.** In concurrentia officii Votivi Immaculatae Conceptionis cum Dominica Passionis, dicenda ne est

doxologia B. M. V. in hymno, et ℣. *Gloria Patri* in ℟ br. ad Completorium?

Resp. Quoad doxologiam, *affirmative;* quoad vero *Gloria Patri, negative.* Ratio differentiae in hoc sistit, quod officium Dominicae Passionis propriam non habet doxologiam in hymnis adhibendam, ideoque in casu adhuc dicenda est doxologia B. M. V.; ex adverso cum officium Passionis iam possideat in casu, ℣. *Gloria Patri* in ℟ br. Completorii non amplius dicendus est.

XI. *E Brixia.* **De patena pro communicandis.** In pluribus huius dioecesis Ecclesiis usus invaluit, ut Sacerdos utatur parva patena cum manico, quam tenet manu sinistra simul cum pyxide dum fidelibus communionem distribuit. Num licite?

Resp. Negative. Primum, quia inauditus est apud catholici Orbis ecclesias huius patenae cum manico usus. 2° Quia periculum fragmenta deperdendi omnino non tollitur. 3° Quia sufficit in casu usus tobaleae, vel si magis lubeat, disci aurati, quem e manibus sibi tradunt communicantes, cuius usus S. R. C. non improbavit.

XII. *Ex Rumenia.* **De qualitate Missae in alienae dioecesis Ecclesia, Iuliani Calendarium habentis.** In regione Rumena habetur dioecesis Iassyensis, quae licet sit ritus latini, ex concessione tamen S. Sedis sequitur Calendarium Iulianum. Quaeritur ergo, quando Parochus Iassyensis extra propriam dioecesim, celebraturus accedit ad ecclesiam, in qua iuxta Calendarium gregorianum agitur Feria V, vel VI, vel Sabbatum maioris hebdomadae, quomodo se gerere debet?

Resp. In pubblica Ecclesia, certo certius Sacerdos utens Calendario Iuliano nequit diebus tam celebribus Missam celebrare; in oratoriis tamen privatis, bene id poterit. Sicut enim ex. gr. Sacerdotes Barnabitae

Mediolanenses in eorum Ecclesia S. Alexandri Missam non celebrant in feriis VI Quadragesimae, quia ritus Ambrosianus id vetat, sed celebrant in propinquo oratorio, licet accessum habeat ad Ecclesiam ipsam, ita et in casu proposito. Sequendae sunt enim regulae a S. R. C. traditae circa Missam in aliena Ecclesia. Similiter Parochus Bucharestinae dioecesis (quae utitur Calendario Gregoriano) celebrans in praedicta dioecesi Iassyensi, diebus in quibus iuxta Calendarium Iulianum agitur de Feria V, VI, vel Sabbato maioris hebdomadae, eadem regula se gerere debet, uti patet.

XIII. *Ex Ostuno in Sardinia.* **De occurrentia.** In Calendario Ostunensi die 6 Februarii habetur festum S. Dorotheae V. M. *semiduplex,* cum ea die occurrat in Calendario Universali officium *duplex* S. Titi Ep. quaeritur quid agendum?

Resp. Praemittendum est Festum S. Titi ad ecclesiam universalem extensum fuisse a Pio Pp. IX pro die prima libera post IV Ianuarii. Quoniam vero in Calendario Breviarii Romani prima dies libera sit VI Februarii (cum relinquendae sint vacua dies 28 Ianuarii et 3 Februarii iuxta S. R. C. decreta): hinc in recentibus Breviarii editionibus, typica non exclusa, eadem die VI collocatum fuit officium S. Titi.

Ex hac tamen affixione ab editoribus facta nullo iure inferri potest, eam diem *propriam* evasisse S. Titi, ideoque in dioecesi Ostunensi die 6 Februarii agendum est de S. Dorothea V. M. semiduplex, utpote huiusce Sanctae natale, et officium S. Titi ulterius collocandum seu assignandum. Hoc liquido constat ex Rubricis, ex S. R. C. decretis, ex constanti doctrina ab Ephemeridibus nostris tradita. Attamen si licet nostram exponere sententiam, putamus, quod maxime deceret inquirere, an festum S. Dorotheae sub ritu

semiduplici celebretur in Ostunensi dioecesi ob aliquam vim habentem rationem (puta devotionem maximam in populo, existentiam ecclesiae parochialis, aut reliquiae in aliqua dioecesis ecclesia): an vero tali ritu celebretur, ratione parvi numeri officiorum particularium, uti frequenter concessum est antiquitus.

Si ob hanc secundam causam Ostuni agitur S. Dorothea ritu Semiduplici, tunc quam maxime deceret ut a S. R. C. obtineretur redactio ad ritum simplicem, sicut fit in Universali Ecclesia, et die VI Februarii ageretur de S. Tito Ep. C. Hoc actum fuisse pro dioecesi Placentina nobis constat, cum S. R. C. laude, et hoc quidem optamus ut Ostuni quoque fiat.

XIV. *Ex Verona.* **De Missa Ss. Reliquiarum.** In Ecclesia B. M. de Paradiso huius civitatis, indulta fuit Missa Ss. Reliquiarum celebranda, absque officio respondente, dominica I mensis Maii; quaeritur quae Missa legenda sit?

Resp. Miramur quod expetita fuerit Missa tantum in casu, absque officio Ss. Reliquiarum cum maxime conveniat eiusmodi officium in respectiva Ecclesia recitari: ut propterea impossibile sit nobis responsum dare adaequatum. Quoniam nihilominus S. R. C. in suo indulto nullam Missam assignavit (ut supponitur, alioquin locus non esset quaestioni), putamus standum esse ad ea quae docet cl. A Carpo in Calendario Perpetuo ad diem 15 Martii n. 1. nempe dicendam esse Missam de communi plurimorum Martyrum *Sancti tui*, Temp. Pasch. cum orationibus Missae Reliquiarum, quae habetur pro aliquibus locis post mensem Octobris.

Ratio est, quia Missa *Multae tribulationes*, quae hoc loco Missalis inscripta prostat, non convenit cum ritu paschali. Cum igitur dominica I Maii semper hoc tempore occurrat, oportet ut in ea, Missa Reliquiarum celebretur ritu paschali.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IV.

DE MISSA ET LITANIIS IN FERIA IV ROGATIONUM.

Caius sacerdos, est parochus cuiusdam ecclesiae, cui nullus est clerus adscriptus, et sequentes in feria IV Rogationum consuetudines servat. 1. Antequam instituatur processio, Missam canit Rogationum, ne populus, ut ipse dicit, divagetur; tresque in illa recitat Orationes, quas Missale praecipit, nulla de occurrente festo commemoratione acta. 2. Quandoque in eadem Missa ultimum recitat Evangelium de Vigilia Ascensionis, quandoque de S. Ioanne, quia lex de alterutro recitando incerta ei apparet. 3. In processione, quam clericis et Confraternitatibus concurrentibus peragit, Litanias recitat Sanctorum, quas Religiosis Franciscalibus Sancta Sedes indulsit, quia et ipse ad tertium S. Francisci ordinem pertinet. 4. Easdem nunc sub ritu duplici, nunc semiduplici, canendas iubet, prouti fert itineris maior longitudo vel minor. 5. Plures, tempore processionis, Ecclesias seu Oratoria publica ingreditur, in iisque antiphonam canit et Orationem S. Francisci proprias. 6. Denique in parochialem reversus ecclesiam, populum benedicit et dimittit.

Quaeritur:

1. *Unde repetenda processionis Rogationum origo, et quibus de causis fiat?*

2. *Quid Rubricae et Decreta statuant circa tempus Missae Rogationum, vel lectae vel cum cantu, Orationes et Evangelium in fine?*

3. *Quid iudicandum de reliquis, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Henrici Fedeli, ex Alumnis Pontif. Seminarii Romani, habita in Ecclesia Cong.nis Missionis apud Curiam Innocentianam die 10 Febr. 1892: acta Epitoma per Rmum. Dom. Dom. Aloisium Orestem Canon. Borgia.

I. Primo quaeritur de origine processionis Rogationum, et de causis eius institutionis.

Praemittendum imprimis Rogationes a rogando, uti patet, derivare: adeo ut quas publicas preces sapienter instituit Ecclesia, die S. Marci et triduo ante Ascensionis festum, ad iram supremi Indicis flectendam, nobisque necessaria imploranda bona, *Rogationes* liturgicae appellentur.

Huiusmodi preces consistunt, uti in Rituali Romano legitur (*Tit. IX, cap. 4*), in speciali antiphona *Exurge Domine*, cum relativo psalmo et *Gloria Patri*, in Litaniis Sanctorum, quae tempore piae supplicationis decantantur, atque in Missa, quacum Rogationes absolvuntur.

Litaniae in Rogationibus recitandae, aliae maiores, aliae minores appellari consueverunt: haud alia tamen de causa, nisi quod ab initio institutionis earum die 25 Aprilis, divo Marco sacra, maiori cum solemnitate, populique frequentia celebratae fuerunt, quam in triduo ante Ascensionem Domini. Hinc illae maiores,

minores istae dictae sunt: quae nomina adhuc in praesenti retinemus, licet successu temporis huiusmodi pompae inaequalitas cessarit (*V. Quarti*, De Process. *Sect. II*, *punct. IX*).

Ad originem vero processionis Rogationum devenientes, non dubitandum, eam antiquissimam fuisse, uti omnes auctores communiter referunt. Videri ad rem possunt peculiariter Durandus in Rationali Divini Officii (*Lib. VI, cap. 92*), Durantus de Ritibus Ecclesiae catholicae (*Lib. II, cap. 10*), Amalarius de Officiis Eccles. (*Lib. I, cap. 37*), Alcuinus de divinis Officiis (*cap. 33*), aliique plures. Adon Viennensis Episcopus in Breviario chronicorum anni 396 haec habet de S. Mamerto eiusdem Urbis Episcopus: " Mamertus Viennensis Episcopus insignissimus habetur, qui inter alia mirifica, ob imminentem cladem, ante Ascensionem Domini solemnes instituit Litanias „. Anno autem 452 scribit: " Hoc tempore beatissimus Mamertus Episcopus Viennensis cladem imminentem lacrymis et precibus suis a Viennensium urbe removit. Siquidem incendia crebra, terremotus assidui, nocturni sonitus quidam, totius urbis funeri prodigiosum quiddam ac ferale minitantes, populosis hominum conventibus domestica sylvestrium ferarum species obversabantur: lupi, ursi, ac cervi naturaliter pavidi per angusta portarum usque ad fori lata penetrabant. Quid multis? Imminente solemnitate vigiliarum, qua celebrari festum Dominicae Resurrectionis annua consuetudo poscebat, aedes publica, quam praecelso civitati Viennensium vertici sublimitas in immensum fastigiata sustulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo coepit. Interpellatur nuntiis discriminis iucunditas solemnitatis, pleno timoribus populo, Ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus propriis ca-

sum de quadam praeimminentis incendii arce metuebant. Perstitit tamen coram festivis altaribus invictus antistes Sanctus Mamertus, et calorem fidei suae accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Desperatione deposita, reditur ad Ecclesiam, in eaque vigiliarum nocte sancti Paschae concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus definivit quicquid hodie psalmis ac precibus mundus inclamat. „ Ibidem quoque legitur, haec eadem Gregorio turonensi Episcopo relata breviter fuisse, qui tandem concludit: " Deinceps omnes Ecclesiae Dei et Sacerdotes hoc exemplum imitantes, usque ad praesens ipsas triduanas Litanias ubique celebriter colunt. „ Hinc Micrologus de ecclesiasticis observationibus (*cap. lvij de Litaniis*) scribit: " Triduanae autem Litaniae ante Ascensionem Domini, non Romanae sed Gallicanae sunt: quia illas S. Mamertus Viennen. Episcopus instituisse legitur, quas S. Patres non equitando, non vestibus pretiosis utendo, sed in cinere et cilicio, sicut et maiorem Litaniam observari statuerunt. „ Haec aliaque perspicere est in Rituali, quod Romanum inscribitur, Cardinalis Sanctae Severinae in Titulo de Processionibus.

Haec de minoribus Litaniis: ad maiores quod attinet, quamvis certum sit, eas a divo Gregorio magno non fuisse institutas, quis nihilominus eas instituerit incertum est, quidquid alii autument. Namque ait Quarti: " In pluribus Conciliis, quae longe praecesserunt D. Gregorium, fit mentio Litaniarum maiorum et minorum, ut videri potest apud Suarez .... (1) ubi etiam id confirmat auctoritatibus D. Augustini,

(1) Lib. 3, de Orat. vocali, cap. 9, n. 26.

Basilii, et aliorum D. Gregorio antiquioribus (*De Procession. Punct. IX*). „ Itaque, quamvis de earum antiquitate, quae ad prima saecula ascendit, certiores simus, cum eodem Quarti concludere possumus: " Primus autem earum auctor et institutor ignoratur, sicut etiam primus auctor huius processionis, de qua loquimur (*Loc. cit.*). „

E Gallia harum speciem precum invectam consequenter fuisse in Italiam tenendum est. De iis enim loquitur, uti apud Gavantum Meratus refert (*Pars IV, Tit. XI, n. VIII*), antiquius Sacramentarium Gregorianum, quod ad serenissimam Svecorum Reginam pertinebat, et a Ven. Card. Thomasio fuit revisum, et collatum cum Sacramentario a Pamelio edito, verba facit de *Litania maiori ad S. Laurentium in Lucina* in die 25 Aprilis, nullam licet mentionem habeat de S. Marco Evangelista. In antiquo tamen Kalendario Corbiense apud Martene in Thesauro Anedoctorum (*Tom. III, pag. 1597*) Litania maior, sive passio S. Marci appellatur dies 25 Aprilis. Tradit autem Anastasius Bibliothecarius, ait Grancolas (*Comment. in Brev. cap. LXXIV*), in vita Leonis II, Pontificem istum Romae celebrandas constituisse, postquam Carolus magnus observari iussisset in Gallia, Litanias Romanas, quae in festo S. Marci recitantur: " Iste Pontifex constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicae Litaniae celebrarentur „. Sed de ieiunio nullum ibi fit verbum, neque ad octavum usque saeculum reperitur eiusdem ieiunii vestigium. Leo vero III Pontifex creatus anno 791 Litanias admisit, praecepitque feria II Collectam ad S. Mariam Maiorem: feria autem III ad S. Sabinam, et feria IV ab Ecclesia S. Crucis in Ierusalem procedebant ad S. Laurentium extra muros.

Notatu autem dignum est, in his Rogationum processionibus paulo post incepisse usum Homiliae agendae, quam Missa sequebatur, in qua indicabatur locus quo processio erat itura. Tempore vero piae supplicationis Litaniae quidem recitabantur, in quibus tamen ab initio Sanctorum nondum invocabantur nomina, sed tantum repetebatur a cantoribus et populo *Kyrie et Christe eleison* in poenitentiae signum. Ita antiquissimum Rituale Romanum: " Dicunt centies *kyrie eleison*, centies *Christe eleison*, item centies *kyrie eleison*. Sanctorum nomina invocandorum usus in processionibus antiquior nihilominus in Ecclesia est, cum apud Victorem Vitensem reperiatur, qui sub fine saeculi quinti floruit.

Nunc breviter de causis. Ex earum institutione iam satis eruitur esse primam harum Rogationum causam aversionem calamitatum, malorumque omnium, quae humano generi continuo impendunt, ut videlicet ira Dei placetur, populique peccatis propitietur. Secunda est petitio aeris salubritatis, fructuum terrae concessionis et conservationis, et ut omnibus fidelium necessitatibus Deus benigne prospiciat. Hinc notat Quarti, mos esse praesertim in villis et rusticanis paroeciis agros lustrare, et circumeundo eorum fines supplicationes hasce peragere; idcirco ab ambiendis arvis dicuntur processiones ambarvales, de quibus meminit Concil. Colon. cap. 8, et Mediolanen. tit. de processionibus (*Loc. cit. Punct. X.*). Tertia causa esse mysterium potest, quod multiplex recenset supercitatus Quarti. Ita Litaniae minores Ascensionem praecedunt, et processio considerari potest velut typus nostrae peregrinationis in caelum, quo Deo auxiliante pervenimus post huius vitae labores. Ex officii Evangelio et Missa Rogationum nos indigemus tribus panibus

perseveranti oratione a Deo impetrandis, pane materiali pro corpore, spirituali pro anima, eucharistico pro aeterna vita. Ad hos tres obtinendos panes triplex indicitur in triduo Rogationum ab Ecclesia processio. Mala, a quibus liberari optamus tria sunt, praeterita, praesentia et futura, ad quae avertenda optime triplex processio iuvat. Adeo ut, et malis fugatis, bonisque seu corporis seu animae repleti, aeternam possideamus patriam,

II. Quaeritur secundo, quid statuant Rubricae ac Decreta circa tempus, quo Missa Rogationum fieri debeat, sive cum cantu sit sive privata: quidque circa Orationes eadem in Missa dicendas, et Evangelium in fine.

Ad Rubricam quod spectat, Missale haec habet: " Sequens Missa dicitur in Litaniis maioribus et minoribus ad processionem (*Rubr. spec. in Fest. S. Marci*). „ Quam si cum altera conferamus Caeremonialis Episcoporum, legitime concludendum processionem ante, haud vero post Missam esse peragendam. Namque haec Caeremonialis Rubrica sic se habet: " Cum autem Episcopus et processio pervenerint ad dictam Ecclesiam, celebretur ibi Missa solemnis Rogationum (*Lib. II*, *Cap. XXXII*, *n. 6*). „ Ibi autem loquitur de Litaniis maioribus in festo S. Marci, sed sequenti numero prosequitur: " In processionibus vero et Lîtaniis minoribus, quae Rogationes vocantur, et fiunt tribus diebus ante Ascensionem Domini, eadem servantur. „ Hinc Meratus Gavantum commentans, iis indicatis quae recitanda sunt, notat posse psalmos poenitentiales addi, si longior fuerit processio, *usque dum perventum sit ad Ecclesiam, ad quam terminatur processio, et in qua debet dici Missa Rogationum* (*Tom. II*, *Sect. VI*, *cap. IV*). „ Legem Rubricalem Decretum

confirmat *Einsidlen.* (*Alia Dub. ad 24*), d. d. 23 Iun. 1736: quippe quod declarat, *pro gratia* posse *cantari Missam Rogationum ante Processionem pro populi commoditate.* Si ergo id pro gratia et ob populi commoditatem concessum est, iam apparet exceptio, quae regulam in contrarium firmat.

Quod vero spectat Orationum et qualitatem et numerum, distinguamus oportet. 1. Si unica Missa Rogationum celebranda veniat, cum nempe processio habetur, tunc fiet commemoratio occurrentis festi, et tertia Oratio erit *Concede nos*, iuxta Missalis Rubricam (*Loc. sup. cit.*). 2. Si vero processio non fiat, Missa de festo dicenda erit iuxta eamdem Rubricam, cum commemoratione Rogationum: " Si dicitur de Sancto, fit commemoratio Rogationum (*Loc. cit.*). „ 3. Si Missae duae celebrentur, de festo videlicet et de feria, in utraque Missa tunc alterutra commemoratio omittitur: " Ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant in Rogationibus dicuntur duae Missae, una de festo, alia de feria... absque ulla utrorumque commemoratione (*Rubr. Gen. Tit. VII, n. 2*). „ Quod et S. R. Congregatio confirmat decretis suis. Quaesita enim, quae Missa sit legenda in Rogationibus, ubi unus adest Sacerdos, respondit: " Si fiat processio, legenda est Missa Rogationum, secus de festo cum commemoratione earumdem (*Marsorum, 12 Nov. 1831 ad 37*). „ Alias autem expetita ad rem, declaravit: " Faciendam esse commemorationem festi occurrentis cum sola tertia Oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum (*Tudentina, 23 Mai. 1846, ad 2*). „

Quid autem de Evangelio dicendum in fine Missae? Dicendum ne erit S. Ioannis, an vero de Vigilia? En textus Rubricae Generalis Missalis: " In fine Missae legatur Evangelium S. Ioannis, quod nunquam prae-

termittitur, nisi quando fit de festo in aliqua Dominica vel feria, quae habet Evangelium proprium, quod legitur eius loco (*Tit. 13, n. 2*). „ Haec autem Rubrica, optime ad casum facit, atque ita intelligenda, ut Evangelium S. Ioannis vere legendum sit. Namque, Missa Rogationum, uti Ephemerides Liturgicae alibi demonstrarunt (*Vol. 5, pag. 518 et seq.*), nullo pacto dici potest de festo, quod in Dominica aut in feria celebratur; ergo iuxta praefatam Rubricam in Missa Rogationum non potest legi aliud Evangelium quam S. Ioannis. Etenim festum laetitiam sonat, et Rogationes poenitentiam atque tristitiam; neque institutae sunt ad Deum directe honore habendum, sed ad eius iram placandam, ac misericordiam nobis conciliandam. Festa transferri possunt aut saltem omitti, Rogationes nunquam transferuntur aut omittuntur, imo nec ullo festo impediri valent.

Praeterea lex Rubricae est, ut nunquam Evangelium feriae legatur, nisi et huius commemoratio fiat; at in Missa Rogationum nulla de Vigilia facienda commemoratio est, uti ex superius citato Decreto in Tudentina aperte declaratur. Iure proinde concludendum in Missa, de qua sermo est, haud Vigiliae, sed S. Ioannis Evangelium legendum esse.

III. Tertio iudicium quaeritur de singulis, ut in casu. 1. Caius Missam recitat de Rogationibus ante processionem ob commodum populi. Iam vidimus, id esse contra Rubricam, et S. R. Congregationem nonnisi *pro gratia* eiusmodi anticipationem, exoratam, concessisse. Inter agendi modum itaque Caii et legis praescriptum, non videmus relationem. Equidem causa, ex qua concessa a competenti auctoritate gratia fuit, seu commodum populi, Caio satis favet, sed non favet concessio: ut proinde nimis libere operatus esse vi-

deatur. 2. Nullam de festo occurrente Caius commemorationem facit. Neque in hoc laudandus, quippe qui Rubricam et Decreta non servavit, aperte praecipientia commemorationem occurrentis festi, ut exposuimus. 3. Nunc de S. Ioanne, nunc de Vigilia legit in fine Evangelium, cum lex obscura illi videatur. Censura quoque dignum iudicamus Caium, maxime cum et peritiores audire potuisset, vel S. R. Congregationis Tribunal consulere, haud ad libitum se gerere. 4. In processione recitat Litanias, quae Fratrum Franciscalium sunt propriae, quia et ipse ad tertium eorum Ordinem pertinet. Dicendum, processionem a Caio non fieri, uti Franciscalem tertii Ordinis, sed uti Parochum, a quo, sicuti a ceteris, Rituale Romanum servandum est. Quae autem in Rituali Romano Litaniae inscribuntur ab aliis differunt, quae Fratribus Franciscalibus permittuntur; illae ergo in functionibus publicis, haud vero istae, Caio Parocho erant recitandae. 5. Litanias ipsas modo duplicat, modo non repetit Caius. Hoc pariter et Rituali Romano adversatur et Decreto S. R. Congregationis S. Iacobi de Cuba, quod praescribit Litanias duplicandas, etsi brevis sit via, per quam transit processio (*16 Sept. 1865*). 6. Tempore processionis in Ecclesiis, quas visitat, antiphonam recitat Caius S. Francisci, eiusque Orationem. At explicita est Ritualis Rubrica: " cantatur antiphona cum Versu et Oratione S. Patroni illius Ecclesiae (*Tit. IX, cap. 5, n. 5*). „ Standum ergo Rituali, non vero privatae devotioni indulgendum. 7. Reversa denique processione in Ecclesiam, Caius functionem absolvit cum benedictione. Hic quoque ritus, in casu, arbitrium sapit. Rituale Romanum dicit: " Cum precibus et orationibus omnibus processio terminatur, ut in fine Breviarii Romani post psalmos poenitentiales

(*Loc. cit.*). „ Ibi autem nil dicitur de benedictione, ac proinde addenda non erat. Concludendum igitur, multa egisse Caium, quae emendanda sunt ad Rubricarum Decretorumque normam.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 3, pag. 143.*)

§. 5.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

Dico 1. Minister Extremae Unctionis solum Sacerdos esse potest. Satis enim patet ex verbis divi Iacobi: *Infirmatur quis ex vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae etc.* (*Epist. cap. 5, v. 14*), uti etiam ex Tridentino (*Sep. 14, De Extr. Unct. can. 4*).

Dico 2. Soli Sacerdoti, qui sit Parochus, Extremam Unctionem administrare suis subditis competit. Soli namque pastori competit suas oves pascere, et per subsidia opportuna ad pascua aeternae felicitatis deducere. Hinc opportune Rituale Romanum, cum maxime de hoc Sacramento agit, pluries ipsum Parochum explicite nominat.

Inferes, 1. aliis quibuscumque Sacerdotibus, sive saeculares sive regulares sint, Extremae Unctionis

administrationem esse sub gravis vetitam, sine eiusdem Parochi delegatione (1).

Quaeres 1. Num quivis Sacerdos in necessitate possit ac debeat Extremam Unctionem poscenti administrare?

Resp. Affirmative. Potest, quia licentia Parochi in casu iure praesumitur, necessitas enim urgens supponitur. Debet autem, si uti Parochus non ex iustitia, uti Sacerdos indubie ex caritate. Ita communiter moralis scientiae doctores.

Quaeres 2. Utrum administrare minister Viaticum possit eodem tempore, ante Extremam Unctionem?

Resp. Affirmative, si id necessitas postulet, uti ipsum Rituale Romanum docet. Hoc autem in casu ipsemet Sacerdos, qui Oleum Sanctum defert, et Eucharistiam ferat, nisi alias praesto sit Sacerdos vel etiam Diaconus pro Oleo Sancto deferendo; et omnibus rite peractis, infirmo Viaticum praebeat, inde inungat. Si vero mors immineat, priusquam discedat Sacerdos animam Deo rite commendabit (*Rit. Rom. Tit. V, cap. I, n. 13: cap. II, n. 15*); et reliqua servabit, quae Rituale suggerit, de modo iuvandi morientes.

(1) Inter censuras Pontifici reservatas, quartadecima Religiosos ligat hoc Sacramentum extra necessitatem praesumentes administrare absque Parochi licentia (*Ex Bulla* Apostol. Sedis).

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

§. I.

DE LOCO ET TEMPORE CELEBRANDI MATRIMONIUM.

Dico 1. Locus Matrimonii celebrandi est Ecclesia. Prob. 1 ex generali lege, vi cuius omnia generatim Sacramenta in Ecclesia administranda sunt, cum locus Sacramentorum sit Ecclesia. 2. Ex Rituali Romano, quod explicite monet Matrimonium in Ecclesia celebrandum esse (*Tit. VII, cap. I, n. 16: cap. II, n. 1*). 3. Ex dignitate huius Sacramenti, qui ratione significationis excellet aliis, quippe quod divinum exprimit inter Christum et Ecclesiam coniugium.

Inferes, abusum esse damnandum matrimonia in domibus privatis celebrare, quamvis mobile ibi erigi possit altare (*Bened. XIV, Constit.* Satis vobis); nec laudandos Episcopos, qui ulla sine sufficienti causa hance potestatem faciunt.

Dico 2. Matrimonia mixta in Ecclesia celebrari non debent. Prob. 1. ex natura horum matrimoniorum, quae connubia detestabilia sunt, et ab Ecclesia damnata atque interdicta, ut solum ex gravibus causis a S. Sede probatis evadere licita possint; dedecet ergo ut celebrentur in loco sacro. 2. Ex iure positivo, quod disponit: ut haec mixta connubia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrentur. 3. Quia id vel maxime iuvat, ut fideles horrorem de huius speciei contractibus conci-

piant, ab iisque removeantur Consequenter alius, congruus quidem, locus pro iis eligendus est.

Quaeres 2. Quo loco in Ecclesia celebrari Matrimonium debeat?

Resp. Locus opportunior est altare, uti universalis fert consuetudo, in quo Missa celebranda est, ac benedictio, si dari debeat, impertienda. Ineptum autem ad hoc esse sacrarium communiter admittitur, non enim, ad hoc quod spectat Sacramentum, sacrarium censetur Ecclesia.

Quaeres 3. Quid circa tempus celebrandi Matrimonii animadvertendum?

Resp. Absolute loquendo, Matrimonium omni tempore contrahi potest (*Rit. Rom. Tit. VII, cap. 1. n. 18*). Ritibus quibusdam nihilominus attentis, ut mane celebretur optimae rationes suadent, Missae auditio nempe, communio et Nuptiarum benedictio.

Inferes, omni ope Parochis curandum, ut sponsi aptiori tempore, quod mane est, Matrimonium contrahant, ne tot bonis priventur, quae pia mater Ecclesia illis offert. Si nihilominus rationabilis causa subsit, minus congruo tempore illud celebrandi, ita se prudenter Parochus gerat, ut pro meliori obtinendo bono, illud quod essentiale est non amittatur.

Quaeres 4. Utrum Matrimonii celebratio sit ullo in tempore prohibita?

Resp. Negative, si eius simplex celebratio intelligatur: si vero agatur de Matrimonii solemnitate, prohibita haec est ex iure positivo tempore clauso.

Quaeres 5. Quale sit tempus clausum?

Resp. Tempus clausum, quo vetatur nuptiarum solemnitas, est a prima Dominica Adventus ad Epiphaniam usque, et a feria IV Cinerum usque ad Do-

minicam in Albis inclusive (*Rit. Rom. Tit. VII, cap. 1, n. 18*).

Quaeres 6. Qua de causa solemnia celebrationis Matrimonii dicto tempore prohibeantur?

Resp. Divus Thomas docet, rationem prohibitionis huiusce fuisse communionem olim iis temporibus de praecepto (*4: dist. 32, quaest. unic. art. 5*). Solemnitates autem nuptiarum maxime a spiritualibus avocare nemo non videt. Praeterea haec tempora celebriora sunt, ut maxime conveniat, fideles a nuptiis tunc abstinere, quo aptius ieiuniis vacent et orationi (*V. Baruffald. Tit. VLI, § XVIII, n. 190*) (1).

Quaeres 7. Quid sub nomine solemnitatis Nuptiarum veniat?

Resp. Solemnitas huiusmodi est: 1. Benedictio Nuptiarum, quae habetur in Missali: 2. Publica cum externo ingentique apparatu sponsi traductio: 3. Solemniora, si cum externa ac publica pompa, convivia (*Moral. S. Alphons. Lib. VI, n. 383*).

---

(1) Olim, ait Baruffaldus (*Loc. sup, cit.*) nuntiarum solemnitates prohibebantur etiam diebus Rogationum, usque ad octavam Pentecostes, et tribus hebdomadis ante festum S. Io: Baptistae.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS
A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. vide N. 2, pag. 100*)

(*Cont. N. 94* Execratio Altar.)

" 3.° Altare fixum, non autem portatile, perdit consecrationem per amotionem lapidis seu mensae superioris a sua basi (*S. R. C. 23 Febr. 1884 ad XI*), nisi integrum altare sine amotione ab inferiori structura alio transferatur (*S. R. C. 15 Maii 1818, N. 4562, et sub. not. Gardellini*). Idem dicendum erit si abscissa fuerit aliqua ex partibus in angulis, in quibus chrismatis unctiones factae sunt ad coniungendam tabulam cum stipite: si enim per amotionem lapidis a stipite altare fixum fiat execratum, quia coniunctio tabulae et stipitis, quae per unctionem facta est, dividitur; sic etiam dicendum est, perdi consecrationem per abscissionem partis, in qua aliqua ex his unctionibus facta est, quia eadem coniunctio frangitur. „

" 4.° Altare fixum, non autem portatile, profanatur, dum ecclesia polluitur, quia est pars ecclesiae, non tamen dum ecclesia simpliciter amittit consecrationem per destructionem parietum, quia destructio tantum afficit obiectum destructum (*Ferraris voce* Altare *n.* 31). „

" 5.° Altare (tam fixum quam portatile) etsi consecrationem non perdat, profanatum tamen censetur,

et in eo celebrari nequit, dum defuncti cadaver sub eo est sepultum, donec alio transferatur. (*S. R. C. 2 Apr. 1875 N. 5592*). Compertum est enim celebrari Missam non posse in altaribus sub quibus cadavera iacent humata; ideoque videat Visitator an sepulchra apud aras sint; quia si haec a gradibus saltem tribus cubitis (*metr. 1, 20*) non distent, altare profanatum iudicandum est (*S. R. C. 27 Apr. 1877 N. 5689*).

95. Altarium mensura. Quamquam neque a Rubrica neque a S. R. C. decretis Altarium dimensiones praescribantur, nihilominus, ut ratio rei postulat, Altaria ita erigi debent ut commode et decenter omnes Missae caeremoniae in eis perfici possint. Hinc, quoniam in altari maiori Ecclesiarum Missa cum ministris decantari occurrit, necessario grandiores mensuras habere oportet. A probatis ergo auctoribus, et praesertim ab acceptissimis S. Carolo (*Instruct. Fabric. et supell. Eccl.*) et Gavanto (*p. 5, de Mensuris Supell.*) hae mensurae pro altaribus indicantur: " Altare maius „ sit a scabelli (*predella*) solo altitudine cubitorum „ duorum et unciarum octo, et ad summum decem „ (*centim. 94, vel metr. 1*); longitudine cubitorum quin- „ que (*Metr. 2*), ac plurium pro ecclesiae magnitudine, „ latitudine vero cubitorum duorum et unciarum duo- „ decim (*metr. 1*), ac plurium item pro longitudinis „ et ritus modo. „.... Altaria minora in altitudine sint cubitis duobus et unciis octo (*Cent. 94*), longe pateant cubitis quatuor cum dimidio (*Metr. 1,72*) nec vero minus quatuor saltem cubitis (*Metr. 1, 60*) lata sint cubitis duobus (*Cent. 80*).

Circa altitudinem altarium, censemus quod metri unius debet esse omnino, cum media statura Sacerdotum id exigat. Quando enim altitudo illa vel augetur, vel diminuitur, incommode a Sacerdotibus cae-

remoniae Missae expleri possunt. Quoad vero latitudinem, nempe spatium mensae a Tabernaculo (si adest) vel a gradu candelabrorum infimo, ad labrum in fronte, necesse omnino est ut sit ad minus Cent. 70, etiam in minoribus altaribus, ut bene et integre explicetur corporale, et legile Missalis in mensa facile disponatur pro commodo Celebrantis. Longitudinem vero Cen. 90, aut etiam unius Metri, uti voluit S. Carolus, habere debent altaria in quibus vel Missae saepe decantantur, vel aliae functiones perficiendae sunt. Necessario Altaria minora saltem unum gradum habere debent (*S. R. C. 16 Iunii 1663, N. 2223 ad 4,*) qui ex ligno sit, si vero fiat ex latericio aut ex marmore, tabulis ligneis stratus sit, quem suppedaneum dicunt, seu *predellam.* Diximus *saltem,* quia si commode fieri potest, et cappellae amplitudo permittat, tres, et in ara maiori quinque, gradus extruantur, qui non tantum in anteriori sed a lateribus quoque producantur. Gradus superior sive predella, item ligneis tabulis sit instructus, latitudinem habens ad minus metri unius, ut Sacerdos commode genuflectere queat: longitudinem altari proportionatam, altitudinem vero, sicut aliorum graduum, ad minus 13, ad summum 16 Centimetrorum habeat, ita ut latitudo graduum non minus 38, et non amplius 43 Centim. existat.

96. Altaris structura. Ita Altare quodcumque construatur, ut ab omni parte bene clausum et obturatum existat, ne ulla res, etiam sacra, nisi sint Sanctorum Reliquiae, collocari recondive possint (*S. Carolus loc. cit.*) Excipe tamen si Altare fiat ad instar mensae, quatuor columellis suffultae, quia tunc ab omni parte patens et vacuum apparere debet (*Cf. Decr. S. R. C. 20 dec. 1864, N. 5338*): nullaque res sub eo locetur, nisi forsan capsa metallica aut marmorea cum SS. re-

liquiis. Sciat ergo Visitator, nefas esse adhibere altare ad usum armarii, quod a parte postica aperitur, uti non semel in ecclesiis nos ipsi vidimus. Si id tollerari potest pro aris viatoriis, quae a Missionariis adhibentur, nullimode permitti potest in ecclesiis.

97. ALTARIS PARS ANTERIOR. Altaria, quae ad instar mensae subtus vacuae non sunt constructa, partem anteriorem lapideis vel metallicis aut ex cemento seu etiam depictis figuris sacris exornari debent, vel saltem crux in medio conspiciatur. Haec pars anterior, quae *frontale* quoque vocatur, in solemnibus diebus, sicut et reliqua altaria clausa, tegenda est iuxta legem Caeremonialis Episcoporum (*lib. 1. c. 12, n. 11*), pallio coloris convenientis.

98. MAPPAE. Iuxta Missalis Rubricas (*1, Tit. XX, n. 1, eo III, Tit. X, n. 1*) Altaria omnino contegi debet tribus mappis, ex lino vel saltem ex cannabe, exclusa quacumque alia materia etiam nobiliori (*S. R. C. 15 Maii 1819 N. 4563*). Iuxta vero Pontificale (*de altar. consecr.*) Chrismale, seu pannum ex tela cerata collocandum est super mensam altaris, si est tota consecrata, vel saltem super tabulam sacram; hoc tamen Chrismale pro mappa computari non potest.

Mappae inferiores, quae una esse potest complicata, totam mensam cooperire debent, etiam in altaribus portatilibus, Mappa vero superior ita patens esto in lateribus, ut ab utraque parte usque ad suppedaneum pertingat. Hoc a Rubricis praescribitur Missalis (*loco cit.*) ac etiam a Caeremoniali (*loco cit.*) atque a S. Carolo (*loco cit. lib. 2*) praecipitur, absque ulla exceptione; nostris tamen temporibus, usus invaluit adhibendi superiorem mappam, quae tegat tantum mensam Altaris, quando hoc ad modum mensae vacuae columellis suffultae sit confectum, et pallio

sive antipendio non sit ornatum. Nos hunc usum Romae quoque vidimus in pluribus ecclesiis, illumque non damnat de Herdt (p. 1, n. 179); cum vero a sa: me: Card. Dominici Bartolini, tunc S. R. C. praefecti, exquisierimus quid de hoc esset sentiendum, cum aperte contradicat Rubricis, nobis respondit id posse tollerari de altaribus apertis ut supra. Nobis denique insistentibus, ut hac super re opportunam declarationem a S. R. C. emanare satageret, respondit id non expedire. Nobis ergo usquedum aliter a Sacro Tribunali non determinetur, putamus standum esse Rubricis Missalis et Caeremonialiis, cum bona pace de Herdt aliorumque ex recentioribus.

Usus quoque invaluit addere Mappis ornamenta reticulata, et etiam ex gossypio, plus minusve alta, et quandoque etiam panno colorato subsuta. Cum hoc non contra sit sed praeter Rubricas, non esse interloquendum censemus, dummodo, non ex gossypio sed ex lino vel cannabe hae laciniae sint confectae, maior enim pars trahit ad se minorem. De panno subsuto tacere nobis placet, declarantes tamen ad rem non facere S. R. C. Decretum 17 Augusti 1833, n. 4717 ad 5, quod loquitur tantummodo de fundo rubro sub velo transparenti in fimbriis Albarum aliarumque *vestium*, et non de fimbriis Mapparum. In hoc ergo Visitator videat an huiusmodi ornamenta decora sint, et Mappae decentes et mundae, saepeque mutandae.

(Continuabitur). P. S. Florentii, *Vicarius Foraneus*

ANIMADVERSIO

SUPER CUIUSDAM DECRETI INTELLIGENTIA

Decretum *Strigonien.* d. d. 30 Aug. 1892, quod *Ephemerides* de more retulerunt mense Ianuario huius anni 1893 (*pag. 6 et seq.*), inter plura Dubium continet octavum, cuius obiectum est sequens: " Recitans privatim officium aliquod votivum feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum aut Vigiliarum, potestne celebrare Missam de feria in colore violaceo? „ Responsio autem affirmativa est.

In illustri *Ephemeride* parisiensi cui titulus *Le Canoniste contemporain*, numerum Martii nuperrime vulgatum nobisque missum legimus, una cum praefati interpretatione Dubii (*pag. 181 in nota 5*), a veritate absona. Perutile ergo legentibus, imo et necessarium iudicamus rem declarare, ne Liturgiae cultores, et cuncti Ecclesiae viri in errorem inducantur.

Itaque affirmativam ad hoc Dubium S. R. Congñis responsionem praefata *Ephemeris* gravem dicit. " Quia ex una parte, *ait*, Missae Dominicarum et Feriarum tamquam votivae celebrari nequeunt (*Dubiorum 4 Martii 1866* ad 2): " Missae de Dominicis vel Feriis per annum dici possunt tamquam votivae? R. *Negative* „ ; ex altera, nequit recitari Missa alicuius Feriae aut Vigiliae, si eo die officium fiat festi semiduplicis aut inferioris ritus (*Patriarchalis Basil. Vaticanae* die 21 Iun. 1855): " An occurrente festo ritus semiduplicis cum Feria etiam maiore aut Vigilia, liceat Missam

privatam more votivo celebrare de Feria vel de Vigilia? R. *Non licere* „. Videtur ergo, concludit *Ephemeris* parisiensis, esse in specie responsum debuisse negativum. At animadvertetur, quaestionem supponere, non aliquod ex officiis votivis *ad libitum*, sed festum: propter hoc sublineavimus verbum. Nunc autem officia votiva ad libitum recens concessa, non assimilantur festis; votiva ea remanent, et uti talia non impediunt Sacerdotem, qui ea recitavit, a dicenda Missa, quae officio communi respondeat, videlicet de Feria aut de Vigilia. Huiusmodi explicatio videtur nobis aliter satisfacere, quam per revocationem responsi 1855, ad quam recurrunt *Ephemerides Liturgicae* „. Ita *Le Canoniste Contemporain.*

Igitur, iuxta hanc expositionem, qui officium in Quadragesima recitavit *ad libitum*, facere Missam poterit de currenti Feria, qui vero officium celebravit de festo semiduplici, Missam dicere de Feria aut de Vigilia non poterit. Sed animadvertimus, hanc interpretationem esse a veritate alienam, et neminem teneri ad illam deducendam in praxim; coarctat enim ad minus libertatem Sacerdotum sine ulla causa. Nam, primo, parum vel nihil interest, officia votiva non esse festa, quando eorum ritus est semiduplex, qui aliam Missam permittit ab illa, quae officio recitato respondet. Ergo, sit, non sit festum, qui officium votivum recitavit aliam Missam potest libere facere, quae illi non respondet: consequenter hanc quoque potest dicere, qui officium de Sancto semiduplici celebravit.

2. Non adeo certum credimus officium votivum excludere a se rationem festi. Agitur enim de festis liturgicis, quae ut plurimum ex officio et Missa coalescunt; atqui haec etiam in casu comprobantur, ergo etiam officia votiva ad festa pertinent. Nec ratio adest,

ob quam cum officium et Missa celebrantur puta de Ss. Angelis, de S. Ioseph etc. enunciari non possit, de Ss. Angelis, de S. Ioseph etc. festum, esto votivum, celebrari. Sed nihil hoc interest, innuere nihilominus maluimus, ut Illustris *Ephemeris* videat, quam debili fundamento distinctio in medio adducta sit freta. Sequitur, quodcumque officium, quod Missam ab eodem discordantem permittat, Missam quoque permittere de currente Feria vel Vigilia. Atqui officium semiduplex, sit votivum, sit festivum, nihil interest, eiusmodi est, ergo...

3. Liturgia est scientia, quae suis principiis innititur, quae, ad propositum nostrum quod pertinet, satis perspicue, credimus, alibi exposuerunt *Ephemerides* (*Vid. Vol. V, pag. 689 et seq.* Solutio Quaest.). Itaque illa Missa est votiva, quae cum officio non convenit, ut Sacerdos illam possit, si libeat, vel non, si non libeat, celebrare. Iam nunc officium diei esse potest de festo, vel de Feria, vel de Vigilia, vel de duobus aut tribus simul, uti quandoque accidit. Haec autem officia non sunt quidem votiva, sed vere ad diem pertinent, in quo recoluntur; si ergo ritus festi sit eiusmodi, ut aliam Missam ab officio recitato discrepantem permittat, ratio nulla apparet, ob quam celebrare Sacerdos possit Missam quamcumque votivam, ab ea autem, quae est de die, prohibeatur. Citra dubium laudabilius est, quae officio vel ex integro vel partim recitato respondet Missam facere, quam aliam quamcumque votivam, nullo modo cum officio convenientem. Ceterum duo praefata Decreta Missas Dominicales et feriales prohibent: sed eas considerant aut votivas, uti primum, aut more votivo, uti alterum. Nos autem concedimus, eiusmodi Missas, tamquam tales, non posse recitari; at negamus, eas recitari non posse tamquam de die,

quando ritus officii aut festi, quod recolitur, illas non prohibet.

4. Rationes praefatae maturius perpensae eiusmodi fuerunt roboris, ut duo supercitata Decreta, *Dubiorum* nempe et *Patriarch. etc.* revocata explicite fuissent, nisi consuetudo aliter agendi contrarium dictasset. Haec ratio, ob quam *Ephemerides* dixerunt, illa duo Decreta, aut benigne esse interpretanda, aut censenda esse revocata, uti de aliis aliquando factum est. Ceterum decreta posteriora, si contraria sint anterioribus, haec vim amplius non habere in aprico est.

5. Aequum non iudicamus tot distinctionibus et subdistinctionibus scientiam tantopere caram ac praestantem confundere, maxime si solidis non sint innixae fundamentis; obscuram enim illae theoreticam reddunt, et praxim difficilem. Abeat ergo praefata distinctio, quae satis claudicat, certiorque fiat illustris *Ephemeris*, cum eaque Venerabiles universi lectores nostri, hunc esse sensum Dubii octavi Decreti *Strigonien.* Missam de Feria currenti, aut de currenti Vigilia, si ritus officii recitati permittat, optime posse a Sacerdotibus recitari, quia nec votiva esse potest, nec more votivo, cum sit de die. De Dominica tacemus, quia ritum semiduplicem ea non admittit, hoc enim occurrente, de ea faciendum est. Haec pro amore veritatis, et apud praedictam *Ephemeridem* excusationem petimus.

DE RATIONE EXEQUENDI CANTUM LITURGICUM

(*Contin. V. Vol. 6, pag. 251*).

7. At nonne obiicies, uniformitatem esse per se praeceptivam in rebus liturgicis, ut idem proinde de Cantu utpote liturgico sit concludendum? Responsum facile; sicut enim in ceteris, ita in nostro Cantu, duo distingui iure possunt, scilicet, quod substantiam spectat, et quod accidens. Iam vero substantialis uniformitatis necessitatem libenter admittimus; sed etiam ad accidentia quod attinet esse uniformitatem servandam, excessum sapit. Nunc autem idem Cantus liturgicus in variis editionibus, quas prae manibus habent Ecclesiae omnes, citra dubium prostat: ad substantiam ergo quod attinet convenitur. Sed modulationes differunt, aliae enim breviores, productiores sunt aliae, differunt in his hac illac neumata, quandoque discrimen et in modis apparet, nec desunt imperfectiones et mendae: en accidens, in quo etsi editiones discordent, non laeditur necessaria uniformitas. Ceterum quaecumque deficit ratio, cum lex, cui erat praecipiendi facultas, prudenter a praecepto abstinuit.

Ergo editio, de qua sermo est, dici praeceptiva nequit: quamvis quae illam Ecclesiae adoptaverint, maxima sint laude dignae.

8. Cetera, ut quid tempus in his propemodum vanis quaestionibus insumere? Consultius est enim in studium liturgici Cantus incumbere, eumque apprime addiscere. Sit enim alia editioni alii praeferenda, plus minusve Cantui a divo Gregorio nuncupato respondeat, pluribus vel minoribus laboret mendis, parum nihilve interest pro imperitis. Quaestionibus igitur

indefinitis serium sufficiatur studium, ut quae minus congruunt in cantu dignoscantur, accidentales defectus cantorum habilitate et industria interim corrigantur, quae arti et naturae magis respondet executio habeatur, et Cantus liturgicus Domo Dei dignus evadat. Haec interim fiant, reliqua subsequi facile possunt, si competenti auctoritati placuerit.

9. In praesenti namque negotio conferre quid poterit scientia detectionibus suis, sed questionem in praxi dirimere, illius non est. Agitur enim de Codicibus in liturgicis functionibus adhibendis, et functiones omnes huiusmodi ita ad ecclesiasticam pertinent auctoritatem, et nulli liceat ab huius dispositionibus et placitis deflectere. Si itaque ecclesiae auctoritas, in praesenti Romana, quae Ratisbonensis dicitur, Editione, se magis placet, quam in aliis, incassum privati homines murmurabunt. Ratio namque genuini Cantus Gregoriani, quae in recentibus editionibus ab illa diversis, ut dicitur, magis reperitur, nulla apparebit, si sequens perpendatur momentum. Cantus liturgicus ab Ecclesia dependet et ad disciplinam pertinet. Sed disciplina, auctoritate iubente, mutationi subiacet. Nonne ergo licebit Ecclesiae praefatam proponere Editionem Romanam, etsi concedatur Cantum in illa inscriptum minus antiquiori Gregoriano respondere? Codices, quos primitus Ecclesia exhibuit in sacris actibus exequendos, eosdem sed mutatos eadem nunc Ecclesia ecclesiasticis viris proponit. Potuit primum Ecclesia agere, potuit et alterum; igitur silendum et acquiescendum.

10. Plures Ambrosius elaboravit cantiones liturgicas. In iisdem operam posuit Gregorius magnus, et plures ut in meliorem concentum reduceret, mutavit. Fortasse nonnulli ex successoribus Summi Antistitis

idem agere non dubitarunt, vel certe novas instituerunt. Reformata a divo Pio V Liturgia, Urbanus VIII per Petraloisium praenestinum alias mutationes, saltem in hymnis, invexit. Etiam aetate nostra recenter compositae cantilenae conspiciuntur, auctoritate citra dubium competenti vulgatae. Quod ergo tot alii potuerunt et possunt, nonne Gregorius XIII, Sixtus V, et Paulus V potuere, Cantum proinde ipsius divi Gregorii compendifacere, ut commodius Ecclesiis inserviret? Iidem sunt Pontifices universi, eadem auctoritate pollent, idem in Ecclesiis omnibus ius habent. Unum subditis Ecclesiasticis remanet, se subiicere.

11. Iis nihilominus, quae diximus, defectus opponuntur et mendae, in Editione Romana inscripti. At sane eiusmodi ne sunt reliquae, recentissimis haud exclusis, quae maximopere laudantur Editiones, ut nulli defectui, nullisque obnoxiae sint mendis? Quis asserere id audebit? Quaestio igitur plus minusve respicit. Indubium cetero est, Romanam Editionem facilioris esse executionis quam alias, et commodioris, brevitate saltem inspecta. Si ergo Editio ista, uti demonstravimus, non imposita est, sed tantum ab auctoritate proposita, profecto non est, cur in eam quidam adeo acerbe invehant, ut velut ad nihilum redactam velint (1). Id profecto neque scientiae, neque

(1) Notatu digna sunt, quae in Opere quodam Gallico legimus, cui titulus « Etude sur le chant Grégorien », super Editione Gradualis cum Cantu, Pauli V iussu reformato. Inter plura scribit. Reformatorem huiusce Gradualis innovare maluisse, suaeque imaginationi indulgere, arbitrarias sibi imposuisse leges antiquioribus contradicentes, subvertisse molodias Gregoriani Cantus, eorumque mutasse naturam. Diceres infelicem missionem eum usurpasse sibi mentito Cantum Liturgicum induendi habitu, ac veluti illius effingendi parodiam. — Quae profecto adeo iperbolica nobis apparent, ut et cupiditatem sapiant, et veritati repugnent.

veritatis studium, sed potius cupiditatem ostendit. Inutilibus itaque omnibus sepositis, hoc unum optandum, ut liturgico Cantui, nec comparativo excepto, ecclesiastici viri enixam assiduamque dent operam. Hoc praecipuum ac necessarium constituit opus, ut Cantus noster primas, quas fere amisit, in templis Dei iterum sumat. In reliquis, Ecclesiae placitis adhaerere optimum nobis erit; ut necessaria adepti, quae perfectiora sunt facile consequamur.

APPENDIX

LITTERAE SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII

AD EPISCOPOS ET ORDINARIOS ITALIAE ET AMERICAE

Non sine magno animi moerore Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII accepit, nonnullos sacerdotes ex Italia, praesertim meridionali, ad Americanas regiones emigratos eam ducere vitam, quae a morum integritate et sanctitate quam ecclesiasticus vir praeseferre debet, prorsus abhorret.

Volens itaque Beatissimus Pater tanti mali ulteriori dilatationi pro viribus obsistere, eas renovando et ampliando cautelas ac remedia, quae praeteritis annis iam fuerant adhibita; audito voto Cardinalium sacrae Congregationis Concilii, mandavit eidem Congregationi mittere ad Episcopos et Ordinarios tum Italiae tum Americae sequentes praescriptiones.

I. Quoad Italos sacerdotes emigratos in America commorantes, locales Antisites contra delinquentes summarie procedant ad formam sacrorum Canonum, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, si opus sit.

II. Quoad futurum vero; prohibetur absolute Italiae Episcopis et Ordinariis concedere suis presbyteris de clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

III. Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et omnino iustam afferente emigrationis causam. Qui tamen bonum testimonium habens intemeratae vitae in operibus sacri ministerii cum laude veri spiritus ecclesiastici et zeli salutis animarum hactenus peractae; idcirco fundatam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet nunquam a se maculatum iri sacerdotalem dignitatem exercitatione quarumcumque vulgarium artium et negotiationum,

IV. Sed in huiusmodi casu idem Italus Episcopus et Ordinarius. omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis intermedio, directe agat cum Ordinario Americano ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis praefatae Sacrae Congregationi Concilii referat. Quae si tandem consensum dederit, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando Americano Antistiti per secretam epistolam, nisi et iam cognitae sint, notas personales emigrantis sacerdotis, ad effectum impediendi fraudes circa subiecti identitatem. - Ex ea dioecesi ad aliam in America idem sacerdos emigrare nequeat absque nova sacrae Congregationis licentia.

V. Excluduntur in quaecumque hypothesi presbyteri ritus orientalis.

VI. Quod si non agatur de emigratione, sed de aliquo Italiae sacerdote, qui ob personales et honestas temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de caetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua praefatae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expirato praefixo termino, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

VII. Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americas ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio.

Datum Romee ex S. Congregatione Concilii die 27 iulii 1890.

EX EADEM SACRA CONGREGATIONE

MEDIOLANEN. ET ALIARUM

INDULTI

Die 28 Ianuarii 1893.

Gregorius Papa XIII apostolicis litteris in forma Brevis datis die 20 Octobris 1579 ad preces Mediolanensis Archiepiscopi, S. Caroli, et Episcoporum eius suffraganeorum perpetuo concessit ac indulsit: « quod quicumque canonici metropolitanae cathedra- » lisve ecclesiae, aut dignitatem in ea obtinentes, aliique chori » officiis adstricti Archiepiscopo vel Episcopo in civitate etiam » extra ecclesiam metropolitanam vel cathedralem consecranti vel » reconcilianti ecclesias coemeteriave, aut sacros Ordines aut con- » firmationis sacramentum aut Sanctissimam Eucharistiam frequenti » populo ministranti aut alia pontificalia munera exercenti eius » iussu astiterint vel ministraverint vel inservierint; itemque qui » Archiepiscopi vel Episcopi iussu in metropolitana, cathedrali, » aut collegiata sua ecclesia curata in sacramentorum Poenitentiae, » ac sanctissimae Eucharistiae administrationem operam ministe- » riumve praestiterint, dum in ea occupatione versantur in ipsa » ecclesia hi omnes et singuli ita praesentes in choro censeantur, » ut distributionum quarumcumque aeque participes sint, atque » illi, qui missarum solemniis et horariis canonicisque officiis in » choro intersunt: quodque praedicto Archiepiscopo et cuilibet » Episcopo dictae provinciae liceat quandocumque sibi videbitur » permittere et ordinare, ut aliquot ex canonicis dignitatesque » obtinentibus ac aliis chori officio adstrictis missae sacrum sive » ex sua solum devotione, sive ex onere suscepto vel sibi impo-

» sito aut eleemosynae nomine celebraturis illud in sua quisque » Ecclesia, in qua choro adstricti sunt quo tempore divina officia » aguntur tam festis quam ferialibus diebus peragant, et nihilo- » minus quo ad distributiones capiendas attinet praesentes in » choro censeantur, eam tamen semper animadversionem adhibi- » turos confidimus Archiepiscopum et Episcopos, ut ne plures eo- » dem tempore hoc nomine a chori officiis absint ».

Quum autem huiusmodi indultum, prouti H. S. C. nuper scribebat Episcopus Mantuanus: « a canonicis unius dioecesis tantum » praetendatur, et a coeteris etiam universae provinciae proferri » posset magno cum chori detrimento hisce praecipue temporibus, » quibus numerus et canonicorum et praebendatorum est valde » imminutus, ab Episcopis provinciae ecclesiasticae Medionalensis » quaeritur: an hoc Breve sustineri possit, non obstantibus re- » sponsis pluries datis a Sacra Congregatione Concilii: canonicos » nempe (parocho et poenitentiario exceptis, si actu audiant) tem- » pore divinorum officiorum audientes confessiones haberi tam- » quam absentes a choro et distributiones lucrari non posse ».

Rogatus deinde idem Episcopus ut rationes quoad praefatum indultum dubitandi distinctius referret, sequentia addidit : « hoc » indultum censetur donatum ea praecipue de causa, quia forsan » tunc temporis ius parochiale ad universos canonicos simul per- » tinebat. — Modo in capitulo Brixiensi tantum viget; cum vero » sit notum in ceteris provinciae dioecesibus, quaedam canonico- » rum collegia eodem uti vellent: quod sane foret tolerabile et » commodum etiam Episcopis, qui patribus canonicis tot officia » committere coguntur. Ast praeterquam quod poenitentibus ple- » rumque heu nimis! faciunt satis parochus et poenitentiarius, » cum ob notas leges canonicorum numerus sit valde imminutus, » si omnes praebendati hoc indultum suum esse contenderent, in » plerisque ecclesiis cathedralibus chorus vix sustineri posset ».

Porro cum indultum, de quo in themate, ideo concessum censeatur, quia tunc temporis ius parochiale ad universos canonicos fortasse pertinebat, cessasse quoque dicendum forte esset indulti causam, ipsumque consequenter indultum, cum cessante causa cesset effectus, ceu traditur in *cap. 60 De appellat.* Atque ex hoc tantummodo explicari posse videtur longissimum privilegii non

usum seu potius contrarium usum. Coeterum hic ipse non usus seu contrarius usus haud perperam fortasse heic allegaretur nedum ad arguendam tacitam renunciationem, rerum etiam ad urgendum praescriptionis titulum, prouti docet *cap. 6 De privilegiis* — ibi — « Si de terra, quam habetis in parochia canonicorum » de Plautio, per triginta annos eis decimas persolvistis, eas sibi » de caetero integre persolvatis. Licet enim privilegiorum Rom. » Eccl. beneficio fratribus Cisterc. Ordinis indultum fuerit, quod » de laboris suis nullas decimas persolvere debeant: de privilegio » tamen indulto tanto tempore vobis detraere voluistis, cum libe» rum sit unicuique suo iuri renunciare, eoque modo potestis vos » in hac parte tueri. »

Ponderandum e contra est privilegium in casu mere facultativum esse, eiusque usum a prudenti Episcoporum arbitrio omnimode pendere. Nemini enim a choro abesse licet, nisi Episcopi *iussu* vel licentia operam suam impendat in confessionibus excipiendis etc. Ad rem proinde haud facere videntur rationes dubitandi contra ipsum privilegium allatae. Hoc in genere. In specie vero perperam obiicitur privilegii non usus, cum id neque undequaque verum sit (viget enim in dioecesi Brixiensi) neque difficultatem parere valeat. Audiatur sane Reiffenstuel in *cit. tit. De privileg. n. 209 et 210:* « Resp. III. Privilegia affirmativa, quae » sunt merae gratiae, atque in nullius gravamen cedunt, v. g. ce» lebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi et huiusmodi, » per merum non usum numquam amitti . . . Accedit ratio: quia » imprimis huiusmodi privilegia non amittuntur via praescriptio» nis, cum nemo sit qui contra huiusmodi privilegia non onerosa » praescribere possit. Neque amittuntur per tacitam renuntiatio» nem, quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi » vel non utendi . . . »

Quare etc.

Resp. Indultum sustineri, et ad mentem.

ROMANA.

Funeris emolumentorum.

Die 18 Martii 1893.

In Statutis cleri romani *Cap. IV De iure funeris percipiendi*, postquam adnotatum fuisset, solas exequias vel solam sepulturam nullum praebere ius ad perceptionem alicuius partis emulumentorum contra paroeciam, tres aderant articuli qui ita se habebant « § 35: Ecclesiis tamen Cardinalium titularibus percipiendi funeris cum paroecia ius sit, quamvis ibi cadaver tantummodo sepeliatur. § 36. Proinde quacumque in ecclesia celebratum sit funus, si cadaver alibi quam in ecclesia exponente vel in Titulo defuncti conditum fuerit, funus integrum ad paroeciam pertinet. § 37. Quod etiam intelligi debet, si in ecclesia titulari, quin in ea sepeliatur cadaver, funebria celebrentur ». Verum cum anno 1887, Emus Urbis Vicarius, SSmo D. N. approbante, opportunum existimavit pro conversis rerum vicibus praefata statuta temporum rationi accomodare, articuli 36 et 37 superius relati suppressi fuerunt, ac 35 ita immutatus evasit: « Ecclesiis tamen Cardinalium titularibus percipiendi funus cum paroecia ius sit, ac proinde medietas emolumentorum semper competat, licet eorum cadavera in publico coemeterio vel alibi sepeliantur ».

Post aliquot menses ab edita hac nova appendice ad cleri romani statuta, et praecise die 2 Novembris 1887, Emus D. Antonius Diaconus S. Mariae in Aquiro S. R. E. Card. Pellegrini viam universae carnis ingressus fuit, eiusque funera in Ecclesia collegiata S. Marci, intra cuius paroeciae ambitum dum viveret domicilium habuerat, persoluta fuere. Expletis funeribus, parochus S. Mariae in Aquiro petiit medietatem emolumentorum ad formam relati articuli a vicario perpetuo ecclesiae S. Marci, qui tamen dimidiam tantum cereorum partem illi misit, contendens ea quae percepta fuerant titulo culcitrae, indumentorum sacrorum et sepulturae haud esse divisioni obnoxia. Res ad Vicariatus curiam delata fuit ibique qui tunc camerarii cleri munere fungebatur pro recepto more opinionem suam scriptis pandidit. Haec vero opinio praecipue innixa principio « ubi lex non distinguit nec nos distinguere de-

bemus », ac proinde parocho S. Mariae in Aquiro plene favens ab Eñ̃o Urbis Vicario die 7 Februarii 1888 confirmationem obtinuit. Nihilominus haud acquievit vicarius perpeteus S. Marci, qui etiam post haec petitam solutionem denegavit. Tunc praefatns Eñ̃us Vicarius, qua pollet eximia prudentia, omnem adhibuit medium ut rem pacifice componeret, licet incassum. Hinc mense Maio praeteriti anni quaestio a parocho S. Mariae in Aquiro coram H. S. C. deducta fuit.

Eñ̃us Urbis Vicarius ceu de more rogatus ut, audito vicario perpetuo S. Marci, informationem et votum emitteret, haec die 9 insequentis Septembris S. O. significabat: « Pluries expetitus rev. parochus S. Marci, cum quo agitatur quaestio, is a respondendo circa rei particularia semper abstinuit, praeferens id ageri in posterum, post legalem citatiorem H. S. T. apud quod formalem vult agitari causam. Ad quod nec parochus recurrens se recusat. Cumque hoc praeferat accusatus, nullam ego quaestionem movero ». His habitis, die 13 Septembris rescripsi: « *Eidem Eñ̃o Card. Vicario, qui praefigat partibus congruum terminum intra quem iura sua coram S. C. deducant, et de resultantibus eamdem S. C. certiorare non gravetur.* » Statim morem gessit Vir Eñ̃us, qui labente Decembri breves quasdam deductiones parochi S. Mariae in Aquiro transmisit, simul referens « parochum S. Marci, licet praefixum decurrerit tempus, nil huiusque ante hanc Curiam exhibuit, ut sua iura defenderet ». Tunc decretum edidi: « *Ponatur in folio, idque notificetur Eñ̃o Urbis Vicario, qui non gravetur monere partes causam disceptandam esse in plenaria Congregatione prima post proximam mensis Ianuarii* ». Attamen usque ad hodiernam diem nihil ex parte vicarii perpetui ecclesiae S. Marci ad S. C. pervenit.

His quoad controversiae statum qua potui pespicuitate relatis, favore parochi S. Mariae in Aquiro in primis observari posset in casu partem emolumentorum quae ecclesiis titularibus assignatur rationem habere quartae funerariae, quae in Urbe medietatem attingit uti videre est in Statutis Romani cleri *Cap. III* § *10*, et testatur Card. De Luca *De Parochis disc. 25 et disc 44.* Unde tenendum esset ad ecclesiam titularem dimidium de iis omnibus pertinere quae in determinanda quarta computari debent. Porro ut scribit Santi *Prael. Iur. Can. lib. 3 tit. 28, De sepult. n. 8:*

computatur quarta funerum de illis rebus, quae ratione funeris solent asportari in ecclesiam. Tales sunt candelae, intorticia, vestes et ornamenta, quibus decoratur feretrum defuncti. Etenim docet Barbosa *De off. et pot. par. lib. III. De quarta parochiali Cap. 24 n. 36:* « Quarta funeralis, seu canonica portio debetur de omni- « bus quae obveniunt ratione funeris, scilicet in die funeris. Fr. Em- « man *quaest. regul. tom. 1. qu. 39 art. 2. in princip.* Covar *in* « *cap. ult. n. 7 de testam.* ubi post Abb. ait moribus receptum « esse ut ecclesiae parochiali quarta portio a Monachis solvatur, « ex his tantum quae offeruntur tempore, quo funus, seu exequiae « defuncti celebrantur. Molin. de *inst. tract 2. disput. 215 n. 4* « ubi quod debetur de omnibus oblationibus et commodis funeris ». Et inferius n. 37 « funeralia igitur dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt... et quaecumque occasione funerum ad ecclesiam perveniunt ». Praeterea idem auctor paulo post refert, Summum Pontificem Urbanum VII, die 21 Martii 1629 approbasse decretum S. Cong. RR. DD. Praefectorum Urbis habitae coram Emo Card. Vicario, in qua ad effectum removendi dissensiones et ad vitanda scandala resolutum fuerat et declaratum: « tam intorticia, « cereos, et candelas, quae per viam deferuntur, quam etiam omnia « ea que circa cadávera, antequam terrae tradantur, in quibus- « cumque privatis ecclesiis dividenda fore esse pro aequali por- « tione inter ipsos parochos et ministros aliarum ecclesiarum qua- « rumcumque etiam regularium ac nationalium seu alias privile- « giatorum. » Ac tandem *n. 44* addit: « Item debetur de armis, libris, banderlis, culcitra seu pallio, quae in feretro deferuntur: *Petro de Ubaldis d. cap. 4 n. 10 Oldrad. Consil. 211 n. 7*, ubi de rebus, pannis sericis seu aureis vestibus, puta stamine vel cilicio per *caput. Cum inter nos De verb. signif.* etc. » Quod si aliquis auctor aliter tenere videatur, adnotat idem Barbosa id procedere de consuetudine vel privilegio praesertim regularibus quibusdam concesso.

Quod vero attinet observantiam in Urbe vigentem relate ad controversam computationem, documenta in actis minime prostant. Asserit tament parochus S. Mariae in Aquiro petitioni suae robur accedere « ex praxi in similibus casibus ab omnibus paroecis Urbis iugiter servata » ac insuper enarrat « antequam etiam

Appendix ad Statuta pro Clero evulgaretur, identica exorta quaestione inter ecclesiam S. Mariae trans Tiberim, et ecclesiam S. Mariae in Transpontina, Curia Vicariatus expetita declaravit, Ecclesiae titulari tam medietatem emolumentorum cereorum competere, quam cultricis, sacrorum indumentorum, et sepulturae, et ab hac forte decisione reformatio originem petit, quam Appendix in antiquo Statuto fecit.

Tandem quoad vocabulum emolumentorum, qui in controverso articulo reperitur et cuius interpretatio a S. V. O. postulatur, observare satago in eodem cleri romani statuto *Cap. V, quod De Emolumentis funerum* inscribitur haec legi: § 1. Nomine emolumentorum funeris veniunt oblationem vel obventionem, quae fiunt occasione funeris etc. » quibus generalibus verbis, et quae ecclesiae obveniunt titulo culcitrae, indumentorum sacrorum et sepulturae comprehendi viderentur. Ulterius in eodem capite inferius emolumenta huiusmodi enucleantur ac in § 2; et sequentibus sermo est de intorticiis et faculis quae in processione deferuntur vel circa feretrum vel in domo defuncti seu in altaribus accensa fuerunt, atque in § 8, peculiaris mentio fit indumentorum sacrorum in funeribus Cardinalium, Praelatorum, Canonicorum aliorumque quae ecclesiam pertinent. Quapropter concludendum videretur etiam iuxta sensum urbani Statuti voce emolumentorum et ea quae actor petit saltem implicite designari.

Propius autem ad quaestionis punctum, parochus S. Mariae in Aquiro allegat testimonium parochi ecclesiae SS. Vincentii et Anastasii in Trivio, qui functus olim fuit munere secretarii peculiaris commissionis, a qua nova appendix exarata est, quod ita se habet: « Pro certo affirmat, additum comma ad § 35 Cap. IV » *de Iure funeris percipiendi*, his praecisis verbis expressum — » *medietas emolumentorum semper competat* (Ecclesiis Cardina- » lium Titularibus) non coarctatur ad unum cerae emolumentum, » sed etiam comprehendit emolumenta portionis canonicae, cul- » tricis, indumentorum sacrorum et sepulturae, cum eiusmodi fue- » rit unanimis in eo componendo antedictae Commissionis sensus ». Hanc autem attestationem, cum autenticam legis interpretationem exibere videatur, haud ambigendum esset rem de qua agimus omnino conficere.

Nihilominus ex adverso perpendendum videretur vicarium perpetuum ecclesiae S. Marci utpote defuncti Cardinalis Pellegrini parochum iuris assistentiam habere, ac proinde haud teneri ad emolumentorum petitorum medietatem restituendam, nisi ab actore evidentissimae probationes afferantur. Quae autem allata fuerunt nonnullis exceptionibus obnoxia forsam esse possent. Ac in primis negandum esset dimidiam partem funerum ecclesiis titularibus debitam quartae rationem habere. Siquidem quarta tantum parochis a iure assignatur in eorumque bonum qui sacramenta ministrant instituta fuit, ac proinde forsan haud omnia quae parochis favent ad aliorum favorem extendenda essent, praesertim quoties parocho exinde damnum eveniret. Eo vel magis Romae, ubi funerum emolumenta, ceu videre est in citato Statuto *Cap. A*, § *1*, « decimarum loco pro parochis subrogata censentur ». At his omnibus missis, animadvertendum est in cleri romani statuto *Cap. 3*, § *10*, haec declarari: « nomini autem quartae funeris iuxta receptam Urbis consuetudinem venit media pars cereorum seu intorticiorum, quae vel circa feretrum tum in associatione per viam, tum in expositione in ecclesia ad funus peragendum, vel in altaribus apposita sunt ». Et quamvis ibi sermo sit de quarta parocho debita in funere ilius qui extra Urbem decedat, et inferius § 11, legatur: « haeredes autem defuncti sepulturae et culcitrae taxam funerisque supplementum, si praescriptum modum § 3 illud non attigerit, proprio parocho praestare tenentur; » nihilominus minime inficiandum esset, articulo 10 quid veniat in Urbe nomine quartae aperte designari, atque in illius computatione quae a parocho S. Mariae in Aquiro exiguntur nequaquam comprehendi. Quae vero de consuetudine Romae vigenti nec non de responso Vicariatus asseruntur attendenda minime viderentur cum compertissimum sit non assertionibus sed monumentis in iudiciis dimicandum esse.

Praeterea tueri forsan posset iuxta romani cleri statutum, diversimode quartam de omnibus emolumentis esse computandam pro casuum varietate, distinguendo scilicet num parocho debeatur, vel ab eo aliis ecclesiis solvenda sit. Huius vero distinctionis fundamentum in pluries citato *Cap. V*, *circ. fin.* inveniri posset. Si-

quidem postquam ibi § *13*, declaratum fuerit non pertinere ad funeris emolumenta libros, annulos, enses, vexilla, cruces et insignia ordinum vel dignitatum, quae cum cadavere deferentur, additur in § *14*: « Attamen quoties ab haeredibus ecclesiae eadem donentur, tunc si data fuerint paroeciae, integra eidem cedant; si vero tumulanti vel exponenti ecclesiae, cum paroecia dividantur ».

At dato etiam quod ecclesiis S. R. E. Cardinalium titularibus medietas omnium emolumentoram eadem prorsus ratione ac paroecia debeatur, negari posset, quidquid sit de culcitra, hac voce *emolumentorum* minime ea intelligi quae pro indumentis sacris et sepultura exigi solent. Etenim si postrema pars statuti cleri inspiciatur, quae inscribitur « Emolumenti e tasse dei funerali », erumpet profecto ea non emolumentorum sed taxarum voce designari. Sane ne congeram nimias citationes, sufficiat referre ibi articulos reperiri ita enunciatos: « § 1. Emolumenti di cera. — » § 2. Emolumento di coltre. — § 3. Tasse per il diritto di se- » poltura. — § 4. Tassa degl'indumenti sacri ». Porro cum hic distinctio apertissima sit, colligitur ad rem non facere invocatum principium: « ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus ». Quinimo cum in materia funerum parochi iuris assistentiam habeant, concludendum esset praefatas taxas inter emolumenta minime esse accensendas.

His tandem addi posset in cleri romani stututo *Cap. V*, cum de sacris indumentis sermo est, haec legi § *10*: « Inter indumenta, quae cedunt paroeciae non adnumeratur superpelliceum etc. » et § *11*: « Indumenta vero haec quae cedunt lucro paroeciae, vendi vel in profanos usus converti non possint etc. » ac demum *Cap. VII*, § *16*: « Quod si defuncti sint Imperantes, Regii, Principes, Cardinales, Episcopi et quatuor priores romanae curiae Praesules, praedicta taxa (sepolturae) non coemeterio sed parochiali ecclesiae cedat ». Porro ex iis deduci posset taxas quae percipiuntur pro sacris indumentis et pro sepulturae iure ad paroeciam defuncti privative spectare.

At quidquid tamen sentiendum sit, sueta iudicii maturitate decernent EE. VV. quibus idcirco proponitur

DUBIUM.

An Vicarius perpetuus ecclesiae S. Marci de Urbe medietatem summae perceptae pro culcitra, indumentis sacris et sepulturae iure Diaconiae S. Mariae in Aquiro solvere teneatur in casu.

Resp. Negative et amplius.

E SACRA CONGR. INDULG.

S. C. Indulg. et Sacr. Reliquiarum, exposcente Commissione centrali, iubilarium festorum Sanctitatis Suae administra, declarat potestatem impertiendi papalem Benedictionem, a Summo Pontifice factam, italicae peregrinationis occasione, Sacerdotibus animarum curam habentibus, ad R̃mos restringitur Episcopos, Parochos aliosque Presbyteros, auctoritate propria et ordinaria curam animarum exercentes, dummodo in praefata peregrinatione partem acceperint. Ii autem ex Parochis, qui impediti quominus se peregrinantibus adiungerent, et quorum personam alii gesserunt Sacerdotes, supradictam poterunt etiam benedictionem papalem impertire, vel per se vel per alium Presbyterum, qui eorum personam gessit, vel per alium quemcumque prout ipsis libuerit.

Romae, die 20 Mart. 1893.

ALEXANDER ARCHIEP. NICOPOLIT., *Secret.*
S. Congr. Indulg. et Reliquar.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

NECROLOGIA

Magnum damnum in *Ephemeridibus* nostris factum est. Rev. adm. Dñus **FELIX ZUALDI** Congregationis Missionis Presbyter, sexagesimum quartum annum agens, V idus Martii decurrentis annis 1893 pulmonali morbo captus, e vivis sublatus est.

Vir sane, ut de omnigenis virtutibus quibus praeditus fuit, et maxime de eius in Deum pietate sileamus, de re liturgica ac de *Ephemeridibus* optime meritus, tum ob Liturgicam Academiam, quam per 22 annos sapienter moderatus fuit, tum ob quasdam Rituales opellas, partim vulgatas partim tantum incoeptas, inter quas nuperrime Commentarium ad Baruffaldum. Haec in nostrae aestimationis ac venerationis signum erga tantum Virum, ad Ephemeridum, maxime amicos illius, Consociatos.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Contin. V. n. 4, pag. 197*)

VI.

1. Iubilationis hymnum iam ab antiquissimis temporibus omitti aliquando consuevisse in Missa, in altero paragrapho dictum est; sicuti etiam quod divi Gregorii iam aevo, ad novem tantum hebdomadas, a Septuagesima nempe ad Pascha, illud tempus Alleluia non canendi, in Ecclesia saltem Romana contractum fuisse. Loco huius iubilationis hymni, *Tractus* canebatur, aliquot versibus, et interdum integro Psalmo costans.

2. *Tractus,* pars haec cantus dicta fuit, iuxta Macrium: " quia trahitur tempus pro intervallo, quo Diaconus possit exuere planetam, et imponere sibi transversaliter velum (*Hierolex. pag. 633*) „. Cl. Clari e contra: " arbitramur, ait, propterea Cantum hunc *Tractum* appellatum, quod continuata serie modulationis unius cantoris, non interrupta responsionibus aliorum intercinentium perageretur (*Ant. Lib. Miss. pag. XXXII*) „. Quae opinio solido fundamento non caret, sive rationis sive auctoritatis. Primum quidem in ipso latino idiomate, in quo passim reperitur dictio tractim aliquid facere, ita ex: gr: tractim tan-

gere, tractim dicere etc. pro continuitate scilicet actionis sine ulla interruptione, significanda. Alterum vero, ut de aliis taceamus, in illo Amalarii: " Quid sit inter Responsorium et Tractum. Hoc differt inter Responsorium cui Chorus respondet, et Tractum cui nemo (*l. 3, c. 12*) (1) „.

Ex ecclesiasticis Scriptoribus, Tractus paternitatem cuidam Caelestino tribuunt Pontifici, uti Berno (*de off. Missae*), vel Gelasio, uti Rupertus (*lib. 2, de Div. Offic. c. 21*): quidam vero Telesphoro, uti Durandus (*lib. 4, c. 21*), alii tandem cum Gavanto (*Thes. p. 1*) autumant quod hi omnes Cantum Tractus perfecere tantum.

3. Ab uno solo totus praecinebatur Tractus, et quidem alius a Cantore Responsorii Gradalis, quamvis in eodem loco, ac iste, iisdemque vestibus indutus illum cantaret. Referre tantum sufficiat Ordinem Romanum III (*n. 9*): " Cantor cum Cantatorio ascendit, et Responsorium dicit: ac deinde per *alium Cantorem* .... Tractus concinitur „.

Sed post saeculum decimum in plerisque Ecclesiis vetus mos per unum solum Tractum canendi abrogatus fuit, inductumque ut eum plures canerent alternatim bini et bini, tantumque cautum est, ne a Choro ipsi interrumperentur (*Vide Petrum Le-Brun, Lib. de Prec. et Caer. Miss. Tom. 1, pag. 206*) (2).

(1) Vel etiam ita appellatur *tractus*, a verbo *trahere*, quod cantus lente ac lugubriter, uti animadvertit De Herdt, protrahitur. Hinc in solis habetur Missis, quae poenitentiae tempori consecrantur, uti a septuagesima ad Pascha, et in paramentis violaceis et nigris celebrantur.

(2) Impraesenti tractus alternatim, ut Gloria, et Graduale, concinitur a schola cantorum. Abusus est, si vel integre vel ex

4. Cum asperitate vocis verborumque prolixitate (1) canebatur Tractus, ob ieiunii tempus ac mysteriorum Dominicae Passionis, in quo tantum locum habebat. Audiatur Rupertus symbolum huius cantus sic exponens: " Quod autem Tractus lugentium sit, magisque luctui congruat, quam graduale, quod est poenitentium lamentum, illud comprobat quod non cum alleluia ut graduale, sed pro alleluia canitur his diebus, quibus mortem, quae subintravit in mundum per invidiam diaboli, idest, a Septuagesima usque ad Pascha, lugemus (*lib. 5, c. 14*) „. " Ideoque subiungit Macrius, haec verba Amalarii referens (*loc. sup. cit.*), a tempore tractus stolam, immortalitatis symbolum, quam in praevaricatione primi parentis perdidimus, velo violaceo cooperit Diaconus. Ob eamdem rationem Sacrosancta Mater Ecclesia in dicta Dominica flebili ac dolenti voce incipit Introitum: *Circumdederunt me dolores mortis etc.* „.

---

parte omittitur. Hoc tantum licet, alterne eum canere inter cantores et organum, ut pars una cum cantu, altera clara voce, sed recitative possit cani sub organo, At si hoc desit, integre a cantoribus modulandus est iuxta Decretum S. Marci et Bisiniacen. 7 sept. 1861 ad 15: « Tractum integre canendum, cum organum non pulsatur ».

(1) Verborum tractus prolixitatem efficiunt neumata, in hac Missae parte prolixiora quam in reliquis. Licet haec prolixitas in ipsa appareat Editione Ratisbonensi, quae exemplar est alterius a cl. Petraloisio Praenestino contractae, maxime effulget in antiquioribus, uti in Editione Dom Pothier. Neumata eiusmodi quandoque ex plurimis notis constituuntur, ut aliqua non desint quae viginti et amplius, et unam reperierimus, forte unicam, quae ad quadraginta circiter notas pervenit. Haec ratio, aequo neumata exequendi modo deperdito, ob quam ea compedifacta sunt, uti abunde revelat comparativum inter veteres et recentes Editiones studium.

En tandem exemplum Tractus Missae Vigiliarum Paschae: " Unus Cantor in alba sine planeta stans in ambonis gradu, solus tractum, nemine intercinente, totum ab exordio ad finem usque canit: *Laudate Dominum omnes gentes: et conlaudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius*; *et veritas Domini manet in aeternum* „.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*V. N. 3. huius anni*)
(*Contin. Tit. VI de Vigiliis*)

TEXTUS.

N. 3.

Officium Vigiliae incipit ad Matutinum, sicut dictum est in Superiori Rubrica de feriis (160); terminatur autem ad Nonam, quia Vesperae sunt de sequenti festo (161).

(160) *Officium Vigiliae incipit ad Matutinum.....* primo quidem quia est officium feriale parum dissimile ab officio feriarum Adventus et Quatuor Temporum, quod incipit a matutino, uti dictum est in praecedenti titulo n. 2: secundo autem, quia Vigilia ex natura sua, et ex antiqua institutione de nocte agebatur, ideoque

et eius officium a matutino tantum incipi potest, ac Vesperae pridianae sunt de feria antecedenti, si de ea actum sit officium.

(161) *Terminatur autem ad Nonam, quia Vesperae sunt de sequenti festo.* Cum enim Vigilia antecedit semper aliquod festum, de hoc Vesperae integrae erunt, deque Vigilia nihil prorsus agi debet exinde, cum superveniente festo, ratio vigiliae cessat omnino.

N. 4.

Officium Vigiliae totum fit de feria occurrenti, ut in Psalterio (162); et tres lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliae, ut in propriis locis assignatur, cum tribus Responsoriis de feria occurrenti, ordine in Rubrica de Responsoriis descripto (163). Dicuntur preces feriales, et commemorationes communes (164), aliaque omnia sicut in Feriis Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum, (165) de quibus et de aliis circa ordinandum eius Officium habentur inferius propriae Rubricae (166).

(162) *Officium Vigiliae totum fit de feria occurrenti.* Est enim, vere officium feriale. Excipe tamen Vigilias Epiphaniae et Pentecostes, quae officium proprium habent, non excepto matutino, et Vigilia Nativitatis, quae proprio gaudet officio in Laudibus et Horis.

(163) *...et tres lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliae, cum tribus ℟. de feria occurrenti.* Lectiones homiliae, quae locum obtinent in Calendario Ecclesiae universalis, inveniuntur in propriis locis, et pro aliquibus Apostolis, sumuntur de Communi; quoad vero

Responsoria haec sumuntur a feria occurrenti, scilicet illa quae dicenda forent si ea die agendum esset Officium feriae, non autem Vigiliae. Titulus 27, nu. 5, 6 et 7 ordinem praebet pro eligendis Responsoriis. Hic autem bene Rubrica dicit: *leguntur lectiones cum tribus Responsoriis,* eo quod, cum Vigiliae quae unum habent nocturnum, numquam occurrere queant Tempore Paschali, hinc in eis non est dicendum *Te Deum*, ideoque eius loco tertium Responsorium est ponendum.

(164) *Dicuntur preces feriales et commemorationes communes*; Preces quidem, quia feriale Officium est, commemorationes autem, nam Vigiliae quae officium feriale habent, semper occurrunt in illis anni temporibus, in quibus Commemorationes istae communes sunt dicendae.

(165) .... *aliaque omnia, sicut in feriis Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporibus.* Haec verba, ut credimus, posita sunt ad maiorem elucidationem, nihilominus bene haec expungi possent, et nihil in doctrina de Vigiliis desideraretur.

(166) *De quibus et de aliis circa ordinandum eius Officium habentur inferius propriae Rubricae.* Nempe in Titulis a 12 usque ad 35 inclusive, in quibus distincte verbum habetur de quacumque parte Officii.

N. 5.

Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum, quae ieiunantur, (167) Vigilia Pentecostes, quae cum tribus Nocturnis sub officio Semiduplici celebratur, ut ibi (168); et Vigilia Nativitatis Domini, quae, Nocturno feriae excepto, in Laudibus et Horis habet reliquum Officium duplex. In Vigiliis vero

Epiphaniae et Ascensionis quae non ieiunantur, fit officium ut in propriis locis notatur (169).

(167) *Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum quae ieiunantur.* Dicitur ordinarium Vigiliarum, Feriarum, Festorum, quidquid omne constituit consuetum Officium Vigiliarum, Feriarum et Festorum. *Quae ieiunantur*, quia duae Vigiliae hic exceptae, licet ieiunentur, diversimode aguntur in Officio, ideoque ab ordinario discrepant huiusmodi Vigiliarum.

(168) *Vigilia Pentecostes, quae cum tribus Nocturnis sub Officio semiduplici celebratur.* Hoc loco, sumitur vox *Officio* pro *ritu . . . ut ibi* nempe in proprio de Tempore, ubi inscribitur Officium huius Vigiliae.

(169) *Et Vigilia Nativitatis Domini. . . In vigiliis vero Epiphaniae et Ascensionis, quae non ieiunantur, fit Officium ut in propriis locis.* Quoad Vigiliam attinet Ascensionis, vide quae supra diximus in nota 143. Licet enim hic innuat Rubrica, hanc vigiliam aliquid habere quod ab *Ordinario* Vigiliarum differat in Officio, nihilo tamen secius, ut cuique videre est, in nullo differt ab aliis Vigiliis, nisi in eo quod ieiunium non habet.

TEXTUS.

(Titulus VII).

DE OCTAVIS.

N. 1.

De Octava (170) fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo festo, vel Dominica impeditur) per octo dies continuos (171). Fit de

octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis quibus in Calendario apponitur Octava (172). Item in festo Dedicationis propriae Ecclesiae, et in festo principalis Patroni et Titularis loci vel Ecclesiae (173), et in Festis aliorum Sanctorum, quae apud quasdam Ecclesias, Congregationes et Religiones consueverunt solemniter cum octavis celebrari (174), nisi illa festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur Officium cuiuscumque Octavae (175). Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et iam per aliquot dies factum sit Officium de eius octava, adveniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio (176). Et idem servatur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes et dies XVII Decembris (177).

(170) *De Octava.* De origine octavarum nemo scripsit melius quam Gavantus (*Praefatio Octavarii Romani*) a quo haec excerpimus: " Octavas, hoc est, per octo consequentes dies festa quaedam celebrandi, mos fuit antiquissimus, hebraeis primum, mox Christianae Ecclesiae divino consilio traditus, atque ritu perpetuo receptus. Primus Moyses, quamvis alias Festivitates, non ultra septimum terminaret diem, festum tamen tabernaculorum mense septimo ita instituit (*Levit. 23*), ut eius octavus dies, aeque ac primus, haberetur celeberrimus atque sanctissimus. Deinde Salomon (*3 Reg. 8*) post delatam Arcam testamenti in templum a se Summo Deo dedicatum, detinuit populos diebus octo, in

hostiis pacificis et holocaustis, quos dimisit in die octava, benedicentes Regi, laetantes, et alacri corde. Cum autem illud idem templum aliquanto post fuisset profanatum, expiavit illud Ezechias Rex diebus item octo (*1 Paral. 29*) et sanctificavit. Haud secus praestitere Machabaei, (*1 Machab. 4*) qui diebus octo altare dedicarunt, offerentes holocausta magna cum laetitia, et sacrificium salutaris et laudis. Quorum omnium uti laudabiles consuetudines non modo Dei Filius in humanis degens non abolevit, sed exemplo suo confirmavit et probavit, tum ad Encaenia (*Ioan. 10*), tum ad Scenopegiam (*Ioan. 7*) ascendens, et immoratus usque ad octavum diem: in novissimo quippe die magno festivitatis stabat Iesus, et clamabat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat;* Spiritum sanctum octavo quia forte die sub aquae typo largiturus. Itaque par est credere, a Spiritu Sancto doctos Apostolos et Apostolicos viros Octavarum sacramenta, ad nos usque transmisisse; et pro diversorum ratione festorum minus magisve celebres indixisse Octavas. Certe ab Apostolorum (*Apoc. 1*) tempore, post Dominicam diem, quae frequentissima est Resurrectionis Domini Octava; et, ut habet Sanctus Ignatius (*Epist. ad Magnes.* Baronius *anno D. 58*), Regina est et dierum Princeps, coeptae sunt coli Paschatis Octavae et Pentecostes: ita ut, retentis nominibus, quae apud Hebraeos erant in usu, augustiora tamen mysteria, quae nova erant in illis, celebrarentur; nimirum Crucis et Resurrectionis Dominicae in Paschate, et adventus Spiritus sancti Paracliti in Pentecoste. Atque eadem ratione, qua Apostoli praedicta festa servanda decreverunt, qui iisdem successerunt Apostolici viri reliquos dies festos cum octavis introduxerunt ut celebriores solemnitates etiam octavarum additione illustrarent: sancte et pie

mutuato ritu ab antiquis Iudaeorum ritibus, ut in aliis multis testatur Sanctus Leo Papa (*Sermo 7 de ieiun. 7 mensis*). Eiusmodi fuere festa Nativitatis et Epiphaniae Domini, de quorum Octavis meminit Ordo Romanus, editus in lucem Stephano Summo Pontifice, Pipino seu Carolo Magno procurante. Octavam Ascensionis Domini, quod est festum antiquissimum, non puto recens institutum, de quibus Radulphus Tungrensis (*propos. 19, ante an. 1400*) mentionem facit „. Et paulo infra sequitur eximius liturgicus vir, disserens de causis cur octavae inductae fuerint. " Ceterum quis neget, haud temere, sed divino prorsus consilio octavas esse adinventas? Neque solum ob eam causam quam attigimus, ut celebritas esset illustrior; sed quia mystica sunt ea, quae octonario notantur numero in sacris litteris, eaque multa mysteriis scatent, et quamplurimis; nempe, quod in Arca Noe octo tantum animae salvae factae sunt per aquam, ut beati Petri verbis (*1. Petr. 3*) utar; quod item qui primus erat Noe, octavum tamen iustitiae praeconem idem appellat Petrus (*2. Petr. 2*). Quid, quod in templo Ezechieli demonstrato (*Ezech. 40*) octo portae? Quid, quod octo gradibus ad eandem ad australem portam ascendebatur? Quid, quod ibidem super octo mensas immolabatur? Quid, quod a Moyse (*Exod. 26, 36*) Tabernaculi foederis ea pars, quae Occidentalem respiciebat plagam (Roma occidentalis est) octo constabat tabulis? Taceo praedefinitum octavum diem circumcisioni (*Gen. 17*), oblationi pecorum (*Exod. 22*), altaris expiationi (*Ezech. 43*), Sacerdotum consecrationi (*Levit. 9, 14, 15*), emundationi leprosorum et seminifluorum (*Paralyp. 13*)? Cur quibusdam Psalmis octavae titulus datus? Cur pro octava in citharis octo chordarum, si Ruperto credimus (*Sermo de div. off. 5 ; I. Reg. 16*), modulatio praecepta ab eo, qui inter filios Isai

octavus fuit, ab Isai neglectus, a Deo quia octavus electus? Pro pace Christi tempore danda, habes in Michaea (*Mich. 5*) octo primates homines; vel, ut legit Ambrosius (*ep. 39*), octo morsus hominum; et a Salomone (*Eccl. 11*) mandatum accipis dare partem septem, nec non et octo. Quibusdam? difficile plane locus. Ambrosius (*Serm. in Luc. 6*) dixit, fortasse benedictionibus, seu, quod idem est, octo beatitudinibus „. Ac inferius, eumdem referens sanctum doctorem, dicit: " Sed fusius enarrantem (*enarat. 2. ad Orontianum*) audiamus sanctum Ambrosium: *Qui octavo regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, et ad haereditatem regni caelestis vocatur. Magna in virtutibus Spiritus Sancti hebdomadis gratia: eadem tamen hebdomadem sonat, ogdoadem consecrat; in illa sonus, in ista fructus est; ideoque octavo die soluta paradiso reddidit Spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa. Hebdomas veteris testamenti est, octava novi, quando Christus resurrexit, et dies omnibus novae salutis illuxit. Propterea et vetus Testamentum dedit partem octavae in circum visionis solemnitate:* sed illa adhuc *in umbra latebat. Venit sol iustitiae et consummatione passionis propriae revelavit sui luminis radios, quos retexit omnibus, et vitae claritatem aperuit aeternae.* Praeclarius infra praenarratis septem aetatibus humanae vitae, *octava*, inquit, *unam et perpetuam aetatem invehit, qua excrescimus in virum perfectum, in agnitione Dei, fidei plenitudine, in qua legitimae aetatis mensura impletur. Septima mundi aetas conclusa est, octava illuxit gratia, quae fecit hominem iam non huius mundi esse, sed supra mundum.* Sanctus Augustinus (*Serm. dñi in monte cap. 3*) extremam his apponat manum: *Octava,* inquit, *tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit ac probat. Septem sunt quae perficiunt* (erat sermo de octo beatutidinibus)

octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat „. Concludens tandem Gavantus ea, quae de octavarum causis disseruerat, ait: “ Celebremus igitur, octavarum titulo, Christum Iesum in primis; tum doctrinam, virtutes, Beatorum gaudia, futuram eorumdem regenerationem, gloriosam immortalitatem et cumulum bonorum omnium. *Celebretur per septem dies* (audi Fortunatum (*lib. 4, c. 29*) nomine et re) *opus septiformis Spiritus, et in octava die consummatio et declaratio atque glorificatio eiusdem operis;* et infra (*ib. c. 36*) in natalitiis Sanctorum monet, debere nos gratulari receptationi animarum in beatam requiem; in octavis deinde, resurrectioni corporum „. Hucusque clar. Gavantus a quo recentiores quidquid de octavarum origine et causa docuit, quasi ad litteram sumpserunt (Cf. Cavalerium *t. 2, c. 18, n. 1, 2*: A Carpo *p. 2, n. 187*: Bouvry, *p. 2, sect. 3, tit. 7*, et Maugère, *p. 4, c. 1, tit. 7*).

(*Continuabitur.*) Doct. Petrus Piacenza.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE APPROBATIONE LIBRORUM LITURGICORUM.

Titius adhuc clericus, cum beneficio simplici in quadam Ecclesia nuper potitus fuisset, Breviarium sibi ex antiquioribus comparavit, cui addidit officia reliqua, quibus carebat, seu in universali seu in par-

ticulari ecclesiae suae calendario inserta. Iam vero, quamvis eiusmodi Breviarium adamussim formae responderet, in Bulla *Quod a nobis* a S. Pio V praescriptae, nihilominus approbationem in eadem Bulla requisitam minime habebat. Id cum Caius Presbyter collega Titii fortuito resciisset, hunc redarguit, suaeque obligationi nequaquam eum satisfecisse, asseruit. Idem quoque dictitabat ad quosdam alios quod attinet liturgicos libros a typicis excerptos, qui per formulam *Imprimatur* ab Episcopo loci simpliciter approbati fuerant. Anceps Titius rem pandit cuidam sacerdoti, rei liturgicae peritissimo, qui Caii sententiam irridens, severiorem appellavit et falsam. Addidit nihilominus, teneri Titium hos libros relinquere, aliosque acquirere peculiari approbatione munitos, quam S. Pius V in sua Bulla praecipit.

Quaeritur:

1. *Quibus de causis et quando ortum habuerit approbationis lex in libris liturgicis?*

2. *Qualis esse debeat huiusmodi approbatio, et num eius defectus, validitati aut liceitati obstet recitationis officii?*

3. *Quid de duabus sententiis oppositis iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Romuli Murri, ex alumnis Almi Collegii Capranicensis, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 9 Martii 1892: acta Epitoma a Rmo. Dom. Dom. Hilario Passerini ex Praelatis Romanis.

I. Primo inquiritur de causis unde ortum habuerit, et de tempore, quo inceperit liturgicorum librorum approbatio?

Satis notum ponimus, divini officii recitandi consuetudinem, si tamen pro officio meram psalmorum intelligas recitationem vel cantum, ab ipsis Ecclesiae incunabulis incepisse, maxime in ecclesiasticis (1). Quod ab ipso veteris Ecclesiae exemplo nova accepit, totus enim, uti opportune idem Grancolas iure animadvertit, veteris Testamenti codex, refertus est virorum sanctorum exemplis, qui psalmis et canticis concinendis unice studebant (*Loc. cit. cap. 1*).

Hinc Lucianus christianos exprobrat, quod noctu ad canendos hymnos vigilarent. Tertullianus de coetibus christianorum saepe loquitur, et de precibus recitantium ad tertiam, sextam, nonamque horam et ad vesperas, quas Horas appellat Apostolicas. Cyprianus similiter earumdem horarum mentionem facit, pluresque earum rationes etiam mysticas reddit. In Constitutionibus Apostolicis iubentur christiani, ut horis Tertia, Sexta et Nona preces ad Deum fundant. Alii plures de iisdem scripserunt Horis usque ad Sanctum Patrem Benedictum, qui nocte cum suis ad orandum surgebat, septiesque per diem orabat, quod et in regula (*cap. 6*) reliquit scriptum. Quod vero de diurnis, et vespertinis, de nocturnis pariter dicendum Horis, unde vox *nocturni*, quae impraesentiarum quoque manet. Hinc veterum maiorum no-

(1) *Maxime in Ecclesiasticis* dictum est, felix enim illa primaeva Christi Ecclesiae aetas ferebat, ut tam clerus quam fidelium coetus in solemnitatibus insimul congregati recitarent officium. Quod ex invitatorio apprime demonstraretur, nisi historia id luculenter ostenderet. Hinc Grancolas ait: « Invitatorium... iis tantum diebus, quibus populus ad officium convenire consueverat, primum adhibitum fuit; populi igitur gratia Matutino fuit insertum (*Comment. hist. in Brev. Rom. cap. XXVII*) ».

strorum voces, noctem respicientes, in varias Horas divisam, uti post Vesperum, *Crepusculum*, *Conticinium*, *Intempestum*, *Gallicinium*, *Matutinum*, et *Diluculum* (Isid. Lib. V, Etym.).

Huic primaevae consuetudini altera successit; quae officii divini formam quamdam statuit; sed uti necessitas ferebat, non eadem fuit in omnibus Ecclesiis, imo neque in ipsa Urbe. Namque perplures alii admoverunt manum Pontifices, uti S. Damasus, S. Leo I, S. Gelasius, S. Gregorius, Adrianus I, Gregorius III, Gregorius VII. Apostolici autem viri, qui ad fidem inter ethnicos disseminandam mittebantur, cum divinum hoc secum officium ferrent, et romanam inducebant eiusdem officii recitandi methodum. Nihilominus magis Romani Pontifices institerunt, ut officium recitaretur, quam ut eamdem ecclesiastici ubique terrarum servarent formam. Namque sub fine saeculi IV Siricius Papa iam docebat, unam tenendam esse fidem, unam traditionem, unamque disciplinam per omnes Ecclesias. Idem Sanctus Caelestinus saeculo V innuebat, adhortando, ut obsecrationum quoque sacerdotalium Sacramenta, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia celebrantur, uniformiter servarentur, ut comprobaretur, legem credendi ex lege statui supplicandi. Eodem incipiente saeculo eamdem uniformitatem suadet universis Ecclesiis Innocentius Papa I, ex scandali ratione, quae oritur in populis, dum traditiones antiquae corrumpuntur, corruptaeque ex ignorantia servantur (*V. Bouix De Iur. Liturg. cap. III*). Nihilominus explicitum his saeculis praeceptum de Liturgiae forma in divinis servanda officiis non extat. Quinimo indubium est, plures variasque formas a S. Gregorio Magno saeculo VI fuisse etiam in Occidente permissas, specialiter Gallicanam

veterem, sicuti Mozarabicam, quae ad Gregorium usque VII (saeculo XI) viguit.

Nunc autem, primo praescribentem certam officii formam eumdem Gregorium VII legimus, trium nempe psalmorum totidemque lectionum in hebdomada Paschatis ex antiquo more, psalmorum novem, novemque lectionum in aliis infra annum diebus, si festivitas fuerit, in feriis vero duodecim psalmorum nocturnum cum tribus lectionibus, octodecim vero psalmorum, et novem lectiones in Dominicis, Pascha et Pentecoste exceptis: responsoria quoque indicit, et qualitatem lectionum in Paschae octava determinat (*Decr. II*).

Innocentius Papa tertius (saec. XII) ut officium, quod Haymo ex Fratribus Franciscalibus redegerat, sub ea forma recitaretur, singulis Urbis Ecclesiis mandavit. Creditur autem eiusmodi forma officii, ea propemodum esse, quam et nunc retinemus. Sed multo post Abailardus conquestus est, ait Grancolasius, de varietate formae, quae in Ecclesiis romanis servabatur. Quid autem iudicandum de monachorum officii forma? Quid de reliquis ecclesiis in toto Orbe? Pleno iure consequenter extendendum ad Orbis ecclesias quod sua aetate querebatur de romanis supercitatus Abailardus (*Epist. X*), esse videlicet *in divinis officiis... diversas et innumeras Ecclesiae consuetudines inter ipsos clericos*. Hinc divus Bernardus (saec. XII) docebat recitandas non esse in officio novitias preces exiguae auctoritatis, sed authentica priscaque scripta, quae Ecclesiam aedificare apta sint, ecclesiasticamque gravitatem redoleant. Ex quibus patet, voluntate et curis haud obstantibus Summorum Pontificum, plura inserta in officio divino fuisse, ex privatorum hominum placitis, quae minime decebant. Nec mirum, si adhuc saecu-

lo XVI Emus Quignonius, et quidem Clementis VII et Pauli III iussu, ut refert supercitatus Grancolas, aliam officii divini breviorem formam adinvenit, quam plurimi receperunt: adeo ut ipsum Franciscalium Breviarium, iam ex antiquo longiori contractum penitus rueret. Hinc est, quod eaedem saeculares potestates Breviarii reformationem ab ipso decimoquinto saeculo apud auctoritatem ecclesiasticam postulare ceperunt, uti constat ex articulo 12 ab Imperatoris Caroli magni Legatis proposito. Hinc Cardinali Lotharingiae e Gallia discessuro ad Tridentinam Synodum demandatum est Regis regnique ordinum nomine, ut peteret urgeretque divini officii reformationem, sive ut defectus emendarentur, sive ut necessaria induceretur unitas. Quod ceterum quamplura iam peroptaverant Concilia, uti Agathense, Epaonense, Gerundense, Turonense, Bracharense, Toletanum.

Ex his delibatis facile est duo inferre, quae petitio prima inquirit. Nihil enim magis convenit, quam ut communis, et publica sacrorum ministrorum oratio, Dei maiestati Ecclesiaeque decori respondeat. Plurimi interest, ut Deum et Patrem omnium universi Christifideles, ac maxime qui inter eos excellunt ecclesiastici, uno ore glorificent. Nil ergo ex opposito dedecet magis, quam et preces et ritus in officio conspicere, quae minus congruunt, et in eadem oratione tantam cernere varietatem. Itaque cum cohortationes Pontificum, et particularia praecepta variis de causis suum sortitae non fuissent effectum: aliunde temporum vicissitudines, nec non humana infirmitas, et precum puritati et necessariae unitati obicem ponere facillime potuerunt; alia efficaciora subsidia ad removendos abusus adhibere necessum fuit. Et sicut in humanis evenit, ut tunc inordinationes vehementius

percellant animos, cum graviores fiunt, ita ad officii divini formam quod pertinet factum est. Tridentina Synodus praeter ceteras hanc gravissimam sibi curam accepit, ut piissimis doctissimisque viris auxilium ferentibus, Breviarii Romani reformationem, tum quod precum qualitatem spectat, quam quod formam, assumeret (*Sect. XXV, cap. XXI. De ind. Libr. Catech. Brev. et Miss.*).

Rebus omnibus absolutis, Pius Papa V Bullam Quod a Nobis promulgavit, qua unica servanda sub gravi praecipitur officii divini recitandi forma universis, qui ad Horas Canonicas tenentur, quibusdam tantum exceptis, quorum consueta forma officii ante ducentos annos obtinuerat. Cuius gravissimae observantia legis ut efficacius possideret, et humanae subsidia artis e medio auferrentur ad novas difformitates inducendas, addidit: " Ut Breviarium ipsum ubique inviolatum et incorruptum habeatur, prohibemus, ne alibi usquam in toto orbe sine nostra vel specialis ad id Commissionis Apostolicae licentia imprimatur, proponatur, vel recipiatur „.

Triginta post elapsis annis, Clemens VIII, cum Breviarii Romani emendationem iterum suscepisset, Praedecessoris sui leges per aliam Bullam Cum in Ecclesia catholica renovavit dicens: " Ut autem illius (*Breviarii*) usus in omnibus christiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum Breviarium in alma Urbe nostra, in eadem Typographia tantum, et non alibi imprimi posse decernimus: extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta Typographia nunc editum et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum Typographis quibuscumque illud imprimere volentibus, id facere liceat requisita tamen prius, et in scriptis obtenta, dilectorum filiorum

Inquisitorum haereticae pravitatis in iis locis in quibus fuerint, ubi vero non fuerint Ordinariorum locorum licentia „. Quae leges iterum firmatae per tertiam fuere Bullam ab Urbano Papa VIII, post triginta aliis elapsis annis.

Quod de Breviariis dicitur, idem intelligas dictum de omnibus et quibuscumque aliis libris Liturgicis cum Bulla Urbani VIII DIVINAM PSALMODIAM explicite id praedicet de omnibus aliis libris *quae a Breviario Romano ortum habent, sive ex parte sive in totum, cuiusmodi sunt Missalia, Diurna, Officia parva Beatae Mariae Virginis, officia maioris Hebdomadae, et id genus alia* (1).

Hic autem peculiariter notandum, huiusmodi leges adhuc in praesenti in suo robore permanere: adeo ut, abstractione a poenis facta, quibus illae sanciuntur, de quibus non est nobis sermo (2), Breviarium Romanum a nullo ex typographis imprimi posse, vendi aut diffundi, nisi de competentis auctoritatis licentia. Consequenter Breviaria illa respuuntur, quae diversam praeferunt formam, sub qua recitantes officium non satisfacere propriae obligationi Bulla QUOD A NOBIS superius citata explicite declarat: " Neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psalendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse „.

Has autem leges hodiedum vigere, Decreta ostendunt pluries a S. R. Cong. emanata. Namque in De-

---

(1) Maxima Laude dignos commendamus Typographos exteros, uti, praeter Pustet, Desclée qui ad apicem iuris in omnibus eiusmodi editionibus se gerit: quod de Italis, omnibus saltem, affirmare ingrate nequimus.

(2) Indubia res est, censuras transgressoribus tunc inflictas non amplius incurri, et esse abrogatas ex nova Pii Papa IX Constitutione APOSTOLICAE SEDIS, quarto Idus Octobris 1869 evulgata, utpote, quae illas poenas non continet.

creto *Namurcen.* d. d. 16 Mart. 1833, cum quaesita S. R. C. fuisset: " An huiusmodi libros (*Missalia, Breviaria etc.*) absque requisita ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere, iisque uti etc.... respondendum censuit: *Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis* ". Confirmat veritatem Decretum aliud *Societatis Presbyterorum SS. Sacramenti*, d. d. 11 Mart. 1871 ad II, quo S. R. C. praecipit: " In editione librorum liturgicorum serventur leges in Constitutionibus et Bullis Summorum Pontificum praescriptae ". Idem in aliis Decretis edicitur, ut ad hoc quod pertinet negotium, omnis sublata sit dubitandi ratio, *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum* (1).

Itaque concludendum, causas approbationis, quae in liturgicis libris requiritur, esse earumdem precum uniformitatem, et rationem vitandi periculi, ut eaedem vitio inficiantur et corruptione: approbationis autem legem in iisdem libris explicitam et sancitam specialiter, vulgatamque fuisse pro universo orbe a S. Pio V septimo Idus Iulii anno Incarnationis Domini 1568.

II. Secundo inquiritur de qualitate eiusmodi approbationis, et num eius defectus liceitati obstet vel etiam validitati recitationis officii.

Satis exploratum est, cum agitur de libris edendis, qui vel fidem vel mores respiciunt, fideles ac dociles Ecclesiae filios proprii ingenii vel pietatis fructus Ec-

---

(1) Decretum Generale S. R. Congr. d. d. 26 Apr. 1834, superius citatis aliisque confirmatum, exigit, ut si nonnulli ex liturgicis libris approbatione carentibus inveniantur in usu, alicuius probatae personae ecclesiasticae examini subiiciantur, quae cum approbatis conferat, certioremque de concordantia Ordinarium reddat, qui suo Clero id declaret.

clesiae revisioni, ut par est, et approbationi subiicere. Huius generis approbatio unum habet obiectum, legentibus patefacere nihil in approbatis contineri operibus, quod vel fidem laedere, vel mores possit. Verum per se manifestum est, eiusmodi non esse approbationem pro libris liturgicis. Agitur enim de codicibus, quae iam approbatas continet historias Sanctorum, divinas laudes, Homilias Patrum, et aliquas ipsorum Sacrorum Bibliorum partes, quas vel minimum aut fidem aut mores posse inficere absurdum est credere. Ceterum tali cum approbatione, qua nullo indigent pacto liturgici codices, nisi arbitrium aut malitiam sapiant, nec finis obtineretur, ad quem illa statuitur. Ista approbatio, de qua verba facimus, omnino singularis est, et nil communis cum reliquis habet, quae a Superioribus ecclesiasticis dimanant.

Ut itaque petitioni fiat satis, ipsae Pontificum Bullae consulendae sunt, quae, sicut approbationem, ita et eiusdem praecipiunt atque declarant naturam. En itaque textualia verba, quibus qualitas approbationis huiusce determinatur in Bulla Clementis VIII: " Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam huiusmodi licentiam concedant, Breviaria ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Breviario (1) auctoritate nostra recognito, et nunc impresso diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, et *in ipsa*

(1) Cum in praesenti perduret adhuc conventio inter S. R. Congregationem et cl. Equitem Pustet, qui typographi honore fruitur eiusdem S. Congregationis, sufficiens est et securius erit, ut editiones faciendae cum editione Pustet conferantur, quae typica est, vel melius cum ultima ab eodem impressa, quae aliquam forte pati mutationem, ex legitima auctoritate, potuit.

licentia originali de collatione facta, ET QUOD OMNINO CONCORDENT, MANU PROPRIA ATTESTANTUR, *cuius licentiae copia initio vel in calce cuiusque Breviarii semper imprimatur* „. Eodem sensu, iisdemque propemodum verbis exprimitur in sua Urbanus VIII, quamvis id explicite in Bulla S. Pii V non legatur.

Constat ergo satis superque approbationis Liturgicorum librorum natura, quae a reliquis aliorum librorum approbationibus prorsus discriminatur. Hinc consuetudo, quantum fieri potest antiqua, iam invaluit, ut sicut in aliis libris formula IMPRIMATUR, ita in liturgicis CONCORDAT ETC. ab Ordinariis locorum adhibeatur. Et iure merito; nam quemadmodum per illam, ita nonnisi per istam relativus approbationis finis obtinetur. De cetero lex Pontificia in aprico est, quam S. R. C. Decretis suis firmat et roborat, ac proinde servanda. Servanda, inquam, tam in obsequium Sanctae Sedis, quam etiam ut unicuique Ecclesiasticorum innotescat, collationem requisitam esse factam. Quinimo servanda quoque est, ne huiusmodi approbatio specialis cum alia communi confundatur, et ansa typographis praebeatur Breviariorum edendorum, quin locorum Ordinarii editiones iudicent, conferant, et approbent.

At dices: quid ergo? Num, si editio liturgici cuiusdam libri communem praeferat approbationem, haud vero specialem, tamquam non approbata erit censenda? Id affirmare non audemus, sed hoc unum erit indubium, eiusmodi approbationem esse contra regulam, neque ad minus Ordinarii loci redolere sapientiam.

Urgebis: In praesenti negotio, distinguendum est inter rem ipsam, videlicet liturgicorum librorum cum editione typica concordantiam, et signum, seu verba,

quibus eadem concordantia significatur. Primum profecto grave est et essentiale, et ad ipsum quod spectat, Bullis Pontificum, Decretisque illas confirmantibus omnino standum est. Alterum vero minus grave est, cum verba tantum respiciat, ex quibus, sicut ex fine S. R. Congregationis Decretorum, inferri ius certum nequit eiusmodi concordantiae exprimendae. Consequenter Bullae Pontificum, cum primitiva severitas locum non habeat, nisi benignius explicentur obligationem non inducunt.

Primum esse altero longe gravius ultra concedimus, sed hoc posse negligi aequa libertate negamus. Maximopere enim interest, prae ceteris, ut editiones cum typica conveniant; sed aperte falsum ex verbis Bullarum et ex fine decretorum non posse inferri ius certum, imo onus agnitae concordantiae significationis exprimendae. Uti enim superius videre est ex relatis Bullarum verbis, haec iubent, ut Ordinarii locorum, post diligentissimam collationem peractam, manu propria attestentur, quod editiones omnino concordent, et quod eiusmodi attestatio imprimi debeat in initio vel in calce Breviarii. Non est ergo ius aut onus inferendum, infertur enim quod in praemissis continetur; sed in casu illatio attestationis explicita in lege est, legemque ipsam constituit. Item falsum est, non posse ex fine decretorum hoc ius inferri, quia Decreta hoc unum praedicant, Constitutiones et Bullas Pontificum in suo robore permanere, hae autem exigunt, ut de facta collatione testatio imprimatur. Finis autem Decretorum nonnisi idem esse potest ac finis Bullarum, scilicet, ut sicut Ecclesiastici, ita suprema Ecclesiae auctoritas certior omnino et authentice fiat, collationem ad Bullarum normam revera fuisse peractam. Hinc alienum a veritate iudicandum est, approbatio-

nem huiusmodi, quae in attestatione consistit, non obligare. Quia verba Bullarum, cum perspicua sint et explicitam testationem praecipiant, benignae interpretationi non subiacent. Nihilominus plane conveniendum, per verba *Imprimatur* id posse significari quod per *Concordat;* sed hoc a S. R. Congregationis mente dependet, non vero ab Ordinariorum quibuscumque locorum auctoritate. Cui si placuerit id disponere, ut alterum et in libris liturgicis pro altero imprimatur, silentium servandum erit. Quia supremam Pontificalem in rebus liturgicis auctoritatem in ipsam transfusam credimus: quod autem Pontifex statuit, mutare et destruere quoque potest. Cum interim hoc nobis non constet S. R. Congregationem fecisse, adhuc Constitutionibus Pontificiis credimus adhaerendum, et Ordinariis locorum obligationem inesse, et approbationem librorum liturgicorum per specialem formulam esse peragendam, quam Bullae Pontificum exigunt (1).

Praesens quoque quaesitum petit, utrum defectus approbationis obstet liceitati, imo et validitati recitationis Breviarii.

Certum ponimus, legislatoribus voluntatem esse, ut eadem praescripta forma officii recitandi ab omnibus ecclesiasticis servetur. Aptiorem autem modum ad eiusmodi consequendum finem esse, ut Breviaria non edantur, nisi de licentia legislativae potestatis, et post revisionem et approbationem habitam. Utque de his suprema legislativa potestas certior et securior fiat, nil magis congruum, quam in ipsis Bre-

(1) Haec approbationis formula quibus exprimi verbis possit iam cl. Doct. Piacenza in nostris Ephemeridibus alias perbelle exposuit et declaravit (V. Tom. I, pag. 519 et 520).

viariis de revisione peracta testificari per verba, quae et eamdem revisionem et concordantiam significent. Haec autem explicite ponuntur in lege, uti superius dictum fuit; sed primum, ut ita dicam, est maximum: alterum minoris gravitatis, tertium minus quam reliqua interest. Primum substantiam respicit legis; ergo eius defectus non potest, quin recitationis officii substantiam quoque afficiat. Addas, ipsa verba legis perspicue declarare, per aliam officii formam non satisfieri. Alterum substantiam per se non tangit, cum veluti modum constituat eiusdem in omnibus Breviariis obtinendae formae. Nihilominus et satis est grave, si enim pars ista legis negligatur, libertatis facile oritur excessus, quae antiquas inordinationes valet producere. Tertium nonnisi authenticum testimonium constituit de revisione et concordantia, quae etiam sine testificatione optime possunt comprobari: ut proinde minus, quam duo praecedentia, grave diximus.

Iam nunc ex his patet, per officium sub diversa recitatum forma, ab ea, quam Bullae praescribunt, nullum posse ex ecclesiasticis propriae obligationi satisfacere, cum legi in substantialibus contradicat. Praeterea ex dictis sequitur, Episcopos Ordinarios non posse permittere ut Breviaria edantur sine eorum approbatione, quam proinde inserere in illis iuxta Bullas debent, aut in initio aut in calce. Cum nihilominus huiusce approbationis defectus seu totalis seu partialis, seu etiam quod eius formam spectat, substantiam recitationis officii non respiciat, sed accidens, sustineri nullo pacto potest, praefatum defectum validitatem satisfactionis afficere. Quid ergo dicendum, si aliquis ex iis, qui ad Horas Canonicas tenentur, has recitaret cum Breviario approbatione requisita destituto? Extra omnem controversiam, ut ex expo-

sitis evidens fit, obligationi suae satisfaceret. Moralem tamen culpam (mortali nihilominus semper exclusa, nisi ex legis contemptu) admittere posset recitans, si nulla id ex aequa ratione faceret. Praesentis quoque temporis id ratio suadet; admodum enim difficile nunc est eiusmodi Breviaria sine approbatione edi: quo etiam rariori posito casu, formae in officio requisitae defectum fere impossibile est reperire, ut periculum praecavendum subesse vix possit.

III. Demum inquiritur, quid sentiendum sit de duabus sententiis oppositis.

In responsione, quae ex hucusque discussis liquido profluit, vix immorabimur. Caius Presbyter severioris iuris se demonstrat, et, quod peius est, nimium zeli habet, non tamen secundum scientiam. Et sane, praeter dicta, opportune animadvertimus, Bullas Pontificum nusquam praescribere officii lectionem, sed recitationem tantum; ergo qui recitat memoriter satisfacit: et quomodo qui in quocumque Breviario praescriptam habeant formam, non satisfaciet? Quis intelliget haec? Sententia ergo Caii aliena est a veritate.

Cl. Marchesi quaestionem pertractans, utrum utentes scienter libris liturgicis approbatione carentibus aliquam culpam vel poenam incurrant, per accidens tangit negotium nostrum, at non probat, tamquam probatione non indigens; sed infra parenthesim simpliciter docet, de satisfactione nullum oriri dubium (*Archiv. dell'Ecclesiast. an. 1864, pag. 443*). Est itaque, seu iure positivo, seu ratiocinatione, seu recto sentiendi modo inspectis, prorsus falsa sententia Caii, alteriusque peritissimi viri opposita, plane veritati conformis.

CENSURA

DE NOVO QUODAM MANUALE RITUUM

1. Opusculum quoddam ad Ephemeridum Directionem nuper missum est, ut de eius auctöritate iudicium proferat, maxime quibusdam in eo peculiaribus ritibus inspectis. Illius titulus est Manuale Rituum *pro aliquibus praecipuis functionibus sacris ad usum Paroeciarum et Ecclesiarum minorum, iussu Benedicti XIII Pontificis maximi vulgatum:* nempe Manuale di Riti *per alcune principali funzioni sacre ad uso delle Parrocchie e Chiese minori, pubblicato per ordine di Benedetto XIII Pontefice Massimo,* italice enim conscriptum est. Manualé istud anno 1878 vulgatum fuit Cotonei in Longobardia, typis A. G. Cairo. Septem constat titulis, quorum primi sex ad amussim plus minusque iis respondent, in authentica Editione Romana continentur, sicuti reliquis exemplaribus, quae in lucem prodierunt postquam Benedictus XIII anno 1725 novum Memoriale Rituum typis mandari iussit pro dictis Ecclesiis minoribus, ne praestantiores quaedam functiones omitterentur, aut minus digne peragerentur: uti Benedictio et Distributio Candelarum, Cinerum et Palmarum, et quae maxime fieri occurrunt in triduo maioris hebdomadae. At, dum a primo ad ultimum exemplar, omnes hucusque vulgate Editiones sex constant titulis, ex quibus unusquisque in plura dividitur capita, illud nobis missum septem habet titulos, ut naturalis statim quaestio subeat in mentem: unde septimus huiusmodi titulus sit desumptus. Itaque reliquis praetermissis hoc

unum nobis proponimus resolvendum Dubium, Titulus septimus praefati MANUALIS RITUUM quanam et quanta auctoritate polleat.

2. Quod in fronte opusculi inscribitur, seu MANUALE RITUUM, praetermisso, quamvis authentica Editio MEMORIALE RITUUM ferat, ne quaestiones de nomine instituamus, cum cetera finem nobis propositum non respiciat, ad titulum ipsum examinandum pergimus. Inscribitur: MISSA CANTATA IN FESTIS INFRA ANNUM, DUOBUS ASSISTENTIBUS CLERICIS. — At, sodes, quid huic titulo atque rei relativae tractandae, cum MEMORIALE RITUUM, cuius obiectum, multiplex quidem, sed *ex aliquibus praestantioribus sacris functionibus* infra annum persolvendis constituitur, ex illis nempe, quas superius memoravimus, cum illis, de quibus agitur in Memoriali Rituum?

Missa cum cantu non solemnis, seu sine ministris, non est recensenda inter praestantiores functiones, quae infra annum vi Rubricae persolvendae sunt. Imo fere quotidie ipsa habetur in pluribus Ecclesiis parochialibus, atque etiam capitularibus, si Canonicorum numerus sit ibi imminutus et parvus? Semper ergo ea dicitur, quando solemnior dici deberet, et praefata de ratione non potest. Ergo, dictum titulum, re, de qua pertractat, in se perpensa, iam patet in hoc Memoriali illum non invenire locum et extra chorum canere.

Praeterea Editio Romana dicto Memoriali praemittit Decretum S. R. Congregationis, 28 Iul. 1821, quod sequens Dubium et relativam exhibet solutionem, videlicet: " An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam paroeciis maxime ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam feria V in Coena Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti caeterae

ecclesiasticae functiones praescriptae, ob clericorum defectum, vel potius abolenda? Emi PP. eidem praepositi, nedum consuluerunt paroeciis praesertim ruralibus, quae clericis omnino destituuntur; verum etiam solliciti ut sacrae functiones, quae ex Ecclesiae instituto ad recolendam memoriam Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. I. C. peragi debent in maiori hebdomada, non omittantur in minoribus Ecclesiis, et signanter parochialibus, in quibus tres saltem quatuorve clerici haberi possunt, excitarunt Episcoporum vigilantiam, qui in id sua conferant studia sequenti responso: *Affirmative ad mentem.* Mens est: Ut Locorum Ordinarii quoad paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V et VI ac Sabbato maioris hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis S. M. Benedicti XIII anno 1725 iussu editi, etc. „.

Editioni autem anni 1725 monitum praemittitur, quod Rectores Ecclesiarum minorum adhortatur, ut easdem curent functiones uniformiter exercere, *quibus alma Mater Ecclesia praestantiora nostrae Redemptionis indixit recolenda mysteria*, etc. Sub fine autem dicitur: *Sex, semel in anno occurrentes, functiones enucleate exponuntur* (*quas subsequens demonstrabit index*) etc. Ergo septima inter illas functio, iterum dicimus, locum non invenit. Hae namque sunt: 1. Benedictio candelarum in festo Purificationis B. M. V: 2. Benedictio Cinerum in capite Ieiunii: 3. Benedictio Palmarum: 4. Functio feriae V in Caena Domini: 5. Functio feriae VI in Parasceve: 6. Functio sabbati sancti: nihilque aliud. Ergo, liceat ex dictis hoc inferre: Instructio, quam in titulo septimo exhibet *Manuale Rituum* Edictionis Cotonei, origine inspecta illius Memorialis Rituum,

cum addita est, et ad quod non pertinet nulla auctoritate pollet.

3. Obiici nihilominus possunt contra huiusque exposita, quae sub fine *Memorialis Rituum* leguntur, videlicet: *ex quibus haud difficile erit, methodum excerpere pro consimilibus: ut in omnibus custodia sacrarum caeremoniarum semper effulgeat.* Ex his videtur inferri posse, iure Instructionem pro Missa cum cantu sine ministris fuisse in *Manuali* nostro inscriptam et additam, ut haec eadem Missa, nisi solemniter, saltem decenter peragatur.

Sed ante omnia reponimus authenticis Ritibus, quales sunt quos *Memoriale* Benedicti XIII continet, nullius esse privatae auctoritatis alios addere: quod si etiam aliqua id faciendi necessitas detur, auctoritatis legitimae veneratio postulat, ut lectores moneantur, ne omnia eodem modo iudicent. Id autem plurimi interest, quod enim ex auctoritate legitima derivat, legem constituit, quod vero ex privata, nullam, nisi ex aliis capitibus lex erui possit. Praeterea rectus sensus postulat, ut quae addenda quandoque veniunt, cum iis, quibus adduntur, relationem dicant, ne illud comprobetur lyrici Vatis, vel quid simile, *humano capiti cervicem pictor equinam* etc. adeo ut nonnisi monstrum habeatur, et fortasse *horrendum, ingens.* Hinc additamentum huiusmodi, quod Cotonei factum est, per se approbari nequit, quae enim nunc diximus neglecta omnino fuerunt: ut neque aliis titulis relationem septimus dicat, neque intelligere lectores valeant, quid ex auctoritate sit, quidque ex arbitrio.

4. Sed, his praetermissis, perpendamus hunc ultimum Manualis titulum, ut videre possimus, utrum Ritus et caeremoniae in eo descripta eiusmodi sint,

ut revera excerpta dici valeant ex methodo a Benedicto XIII in suo Memoriali servata.

a) Animadvertit imprimis Manuale: *eiusmodi Missam cantatam* (sine Diacono et Subdiacono) *esse a Rubrica et Rubricarum expositoribus admissam communiter.* Sed praetermisso, parum nihilve posse legum interpretes in substantia legis, quando eadem clare patet, inquiri potest, an loquatur Manuale de tali Missa, prouti Rubrica eam innuit, an potius de tali Missa, cum ritibus et caeremoniis in eo descriptis? Si primum, eam et a Rubrica permissam et a Rubricarum expositoribus concedimus: si alterum vero, negandum est, cum nonnulli ibi describantur ritus in tali Missa prohibiti, ut videbimus. Hoc autem nimiam confusionem ingerit; lectores enim descriptos ibi ritus et caeremonias facile licitos credunt, cum ad Missam pertineant, quae licita dicitur et exponitur.

b) Hortatur Manuale Parochos, ut hanc Missam celebrent, quia in ipso corpore Iuris Canonici (*Cap. Dolentes, 9 de Consecr.*) ingrate, Innocentius Pontifex tertius memorat et vehementer redarguit Sacerdotes Ecclesiarum Rectores, *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno.* Optime quidem; sed videndum an Innocentius III de Sacerdotibus loquatur, qui Missas cantatas, de qua in casu nostro, non faciunt: an potius de iis, qui, tribus aut quatuor vicibus exceptis, per annum nullam Missam celebrant. Primum negamus, alterum solum concedimus, quod verum est, et tantum Pontifex tangit. Hinc ut Sacerdotes omnes ad Missam frequenter celebrandam excitent Moralis scientiae doctores, hoc loco Innocentii III utuntur. Hac tamen animadversione impedire profecto nolumus Sacerdotes, maxime si Ecclesiarum sint Rectores, quomimus has

Missas cum cantu faciant; sed tantum notare, auctoritatem in Manuali allatam ad rem non facere.

5. Sed deveniamus ad ritus et caeremonias, quas describit pro duobus clericis inservientibus, ut officium suum convenienter adimpleant. Reliqua praetermittentes, ex quibus nonnulla vel minus recte dicta sunt, vel omissa, quae tamen dicenda fuissent, attentionem nostram potissime defiximus in thure, de quo pluries loquitur, et quod iuxta Manuale, nunc Oblatis et altari per Celebrantem, nunc choro, nunc Sacramento per clericum est adolendum etc.

Inquirimus ergo, unde hunc thurificandi ritum acceperit Manuale pro Missa cum cantu sine superioribus ministris. Etenim licet nonnulli eam auctores admittant, certa veritas est, eorum sententiam non posse licite in praxim deduci. Equidem hanc thurificationem admittit in hac Missa Castaldus (*Lib. II, Sect. IX, cap. 2, num. 5*), non quidem in principio Missae, sed ad Evangelium, ad Offertorium, et ad Elevationem SS. Sacramenti. Admittit Corsettus (*Pars II, cap. 13, n. 5*), A Portu (*cap. 2, ad tit. 6 Rubr. 8 in suis adnotat. n. 3*). Non tacendum de ipso Quarti, qui eam quodammodo admittere videtur, saltem si Ecclesiarum Rectoribus opportunum videtur (*Pars II, Tit. IV, Sect. I, Dub. IV*). Si placeat, et Cavalerium citabimus, praeter alios, quos idem citat (*Tom. III, Decr. 88, n. IX*): qui huic thurificationi favere cum aliis videtur, licet anceps quodammodo haereat. Idem de Merato asseri potest, qui immo dicit sententiae auctorum thurificationem hac in Missa permittentium, non opponi decretum 22 Ian. 1701, cum loquatur de Missa conventuali dierum solemnium, quae sine cantu supponitur (*Apud Gav. Pars II, Tit. VI, n. 44*).

6. Nihilominus, quidquid de his auctoribus iudicandum sit, qui propriam sentiendi rationem pro casu nostro referunt, plane mirandum, Manuale eiusmodi auctoritatibus inniti, quae nimis sunt antiquae. Agitur enim de iure liturgico, quod potest mutationem pati: ut recentiores qui scribunt, sententias antiquas conferre necessario debeant cum vigenti iure, ne in errorem et se et alios inducant. Itaque tenendum in praesenti est, thurificationem in Missis, sive cum cantu, sive sine cantu, esse omnino omittendam, quando ministri desunt.

Inter recentiores, sapientiori videtur nobis ratione disserere hoc super negotio cl. De Herdt, cuius sententiam et argumentandi modum ad literam hic referre iuvet. En itaque quid ipse sentiat: " Dubitatur an incensatio in hac Missa sit facienda. Auctores non conveniunt: plures censent, illam esse omittendam ad Introitum, et fieri posse ad Evangelium, Offertorium, ad elevotionem Sacramenti, saltem in maioribus solemnitatibus. Ubique tamen est omittenda: tum quia Rubricae incensationem tantum praescribunt pro missa solemniter cantata cum Diacono et Subdiacono, tum quia S. R. C. ad petitionem: *an quando Missa canitur sine ministris, thurificari possit tam altare quam chorus, ut alias fit quando ministri adsunt?* respondit *Negative* (1) Quidam obiiciunt, decreta agere de Missa conventuali, quae cum Diacono et Subdiacono faciliter cantari valet; et idcirco si in hac incensatio sit facienda, etiam Diaconus et subdiaconus sunt adhibendi: cum autem Missa conventualis semper celebrari non debeat cum Diacono et Subdiacono, exinde

(1) 19 Aug. 1651, num. 1480-1627, 3: item 18 Dec. 1779, num. 4246-4395, 21.

nullatenus concludi potest, in hac incensationem non esse faciendam, quia Diaconus et Subdiaconus faciliter assistere possunt, et proinde dicendum est, S. R. Congregationem thurificationem in Missa conventuali non permittere, quia est Missa sine sacris ministris cantata, et Decreta igitur extendi ad Missam parochialem et quamcumque aliam sine Diacono et Subdiacono cantatam. Neque hic obstat Memoriale Rituum, quod pro minoribus ecclesiis feria VI in Parasceve Domini altaris incensationem praescribit, quia hoc est quid speciale huic officio proprium, quod neque in Coena Domini, neque in Sabbato Sancto praescribit. Neque obesse debet solemnitas festi, cuius Missa, uti aliqui dicunt, si sine incensatione cantanda sit, vix differret a cantata Missa feriali; notandum enim est, solemnitatem esse quaerendam, non in illis quae non decent; sed in ornatu altaris et Ecclesiae, aliisque plurimis, quae rectoris arbitrio remittuntur. Unde S. R. Congregatio declaravit (1) in Missa, quae cum cantu, sed sine sacris ministris celebratur, incensationes omnes omittendas esse (*Pars 2, n. 300*) „. Haec citra omnem controversiam est sententia, quae veritati legis conformis est, et opposita per consequens falso laborat.

7. His relatis aliud recentius Decretum addimus adhuc ineditum, quod nuper a S. R. Congregatione accepimus, estque in una Ord. Min. Capuccinorum, d. d. 17 Dec. 1888 ad 3: quo declaratur RR. PP. Capulatos posse in eorum Missa Conventuali, aliisque aliqua maiori solemnitate celebrari solitis, quamvis sine ministris paratis et sine cantu, incensationes al-

---

(1) 18 Mart. 1874, n. 5581: 7 Iul. 1880, *Salfordien.*

taris perficere EX GRATIA. Et opportune notandum, Dubium citatum cum sequenti modo fuisset expositum, *Utrum Capuccini licite possint incensationis altaris perficere in Missis Conventualibus, vel aliis, quae sine ministris paratis et sine cantu celebrantur,* Caeremoniarum Magister in suo voto responderat: *Negative.* Qua de ratione? Iam ipsum audi afferentem duplicem rationem: " Habet enim contra, Missalis Rubricam, nec non Decreta huius Congregationis ". Ea autem sunt, quae superius retulimus. Placuit tamen Sacro Tribunali id *pro gratia* concedere, quod ex iure concessum non erat. Quod ergo ipsis PP. Capulatis licet ex indulto, illicitum erit pro aliis, quibus iuri communi standum est.

Hinc inferendum, post Decreta plura Tribunalis competentis: 1.° certum exploratumque, esse auctores sententiam huic oppositam tenentes, utpote nullam facientes auctoritatem, quicumque ii sint, esse relinquendos. 2.° Consequenter incensationem in Missis quibuscumque sine ministris paratis, quamvis cum cantu, Missa tantum feriae V mai hebd. excepta, esse certo vetitam. 3.° Omnia quae de hac thurificatione docet Manuale Rituum, de quo nobis sermo est, esse omnino contra legem et ex arbitrio. 4.° Denique totum titulum in hoc Opusculo inscriptum, censendum esse apocryphum, et nullius auctoritatis.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Sancto Severino in Piceno.* **De Occurrentia Desponsationis B. M. V. et Orationis D. N. in horto.** Anno insequenti 1884 duo praefata festa die 23 Ian. iterum occurrunt, ut 1882: de quo agendum est, et quodnam transferendum?

Resp. Si severius sequendum sit ius, adhuc sub iudice lis dicenda est; quia die 17 Sept. anno 1882 responsum pro casu a competenti auctoritate vulgatum fuit, quod Desponsationem Orationi praetulit, salva tamen pendente adhuc solutione controversiae circa festa primaria et secundaria.

Si sententiam nostram palam facere liceat, declaramus, a dicta abstrahentes quaestione, de festo Domini esse agendum, et festum Deiparae transferendum. 1. Quia responsio supercitata anni 1882 in Collectione Gardelliniana inserta non fuit; ergo eam obligare non credimus, potuit enim vulgari, sed privata remansit, proindeque non valet legem constituere. 2. Quia certa et perspicua lex ad officia Passionis quod attinet intra Quadragesimam celebranda, prostat in Proprio Romae, edito pro Clero Urbis. En testualia Decreti verba: " Quae officia amandari non possint ad aliam diem, et intra Quadragesimam tantum, nisi occurrente Officio potioris Ritus „.

Notandum, iure nos dixisse, *a dicta abstrahentes quaestione;* quia, etsi distinctio admittatur, nihil prodest pro festo Desponsationis Orationi praeferendo. Ratio est, quod officia Passionis ideo aliis praeferun-

tur, potioris tantum ritus exceptis, quia nonnisi intra Quadragesimam recoli possunt. Sunt ergo privilegiata.

3. Denique Decretum *Namurcen.* superiori Decreto 7 Sept. 1882 satis recentius, nempe die 11 Aug. 1886, vulgatum illud abrogat, et aliud mox relatum *Urbis* confirmat, declarans: " Officia Dominicae Passionis, tam in Concurrentia quam in Occurrentia cum quovis principali sive primario eiusdem ritus, praecedentiam habere (*Dub. 2*) „.

Nota. Laborem evulgandi Decreta in Collectione authentica haud inserta, aggredi non convenit, quia in nova, quae paratur, Collectione inserentur. Patientia interim necessaria est.

II. *E Neapoli.* **De usu Legilis, et et de iunctione manuum in Vesperis solemnibus.** Inquiritur utrum in Vesperis solemnibus adhiberi debeat legile tectum ante Celebrantem? Item utrum ipse Celebrans debeat cantare manibus iunctis, quidquid est canendum?

Resp. Affirmative ad utrumque. Quoad primum. Caerem. Ep. Lib, II. C. III. n. 4, illud praecipit; nam sic loquitur: " Canonicus vero paratus celebrans, accedit ad scamnum, panno coopertum, in cornu Epistolae praeparatum, vel ad stallum, seu primam sedem Chori ... in qua sede ponetur pulvinar, et alterum cum tapete super alio scamno, seu genuflexorio, ante se posito, super quo etiam ponitur liber, serico coloris ceterorum paramentorum tectus; et ubi non adest tale scamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem, et removetur prout opus est; quo casu tapete sternitur ante ipsum Celebrantem „. Caeremoniale Lib. II. C. VI. *De Matutinis solemnibus in Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis* habet eamdem dispositionem sub n. 5; nam ibi sic loquitur: " Interim Canonicus facturus Officium, sedet

„ in pulvinari, supra sedem suam posito, habens ante „ se tapetem super scabello cum pulvinari, super quo „ positus sit liber apertus, continens Antiphonas, Hym- „ num, et Orationem quae legenda sunt, vel super „ legili ut dictum in Vesperis „. Dispositio Caeremonialis est clara, proindeque nulla indiget demonstratione, nec declaratione. Dicenti, quod haec dispositio spectat ad solos Canonicos, non vero ad eos qui non sunt Canonici, respondemus negando assertum; quia, ut dicit et mandat Clem. VIII, in Const. *Cum novissime* apposita in initio Libri, haec dispositio cum Ceteris obligat *omnes Ecclesias, praecipue autem Metropolitanas, Cathedrales*... Praeterea habetur Decret. S. R. C. die 22 Martii 1862, in una S. Marci ad XX; nam dubio proposito: “ Canonicus solemniter celebrans Vesperas et Laudes debet ne habere coram se scamnum „ vel legile ornatum tapete cum libro, in quo intonet „ Antiphonas, hymnum et canat Capitulum? „ S. eadem Congr. respondit: Ad XX. “ Affirmative, et servetur Caeremoniale „. Animadversio facta de Caeremoniali valet in casu. Cl. Martinucci Lib. II. C. II. *de Vesperis solemnibus*, n. 2 idem docet, addens in nota (b), Caeremoniale praescriptiones ex iussu RR. PP., omnes Ecclesias obligare. Haec igitur habet: “ Ex latere „ Epistolae erit in promptu scamnum pro Celebrante, „ coopertum tapeto vel simili stragulo, et ante scam- „ num super pavimento parvum tapetum sternetur; „ ante scamnum ipsum praeparabitur legile maius cum „ Breviario formae maioris: legile autem tectum erit „ panno serico coloris praestituti, itemque Breviarium „ parvo tegumento eiusdem coloris indutum „. Cl. A Carpo idem tradit. P. I. C. I. Art. I. n. 31. Bauldryus P. II. C. XI. *de Vesperis solemnibus*. Art. I. n. IV, V.

idem tradit. Haec sufficiant quoad Auctores, est etiam praxis Ecclesiarum Urbis.

Quoad secundum, res patet, nullaque indiget etiam declaratione; attamen nonnulla sunt addenda. Caerem. Ep. lib. II. c. I. n. 5, praecipit Episcopo, ut, facto Signo Crucis *ad Deus in adiutorium*, iungat manus ante pectus, et Lib. II C. III, n. 9, expresse dicit, quod Canonicus Celebrans " capite detecto; manibusque iunctis, cantat Capitulum „ quod et faciendum est, quoties stans aliquid cantat; hanc propter rationem collocatur legile cum Libro aperto ante Celebrantem, ut valeat omnia cantare iunctis manibus. Idem docet Caeremoniale Lib. II. C. XIV. n. 5. - C. XXI. n. 4. - et certe idem docet in Lib. I. C. XIX. Ubi expresse loquitur de modo iungendi manus etc. — Miss. Rom., die 2 Februarii ad benedictionem Candelarum, iubet Celebranti ut cantet *Dominus vobiscum* et Orationes manibus iunctis; item Feria quarta Cinerum etc. — Meratus in Gav. P. IV. tit. VI. n. VIII. P. IV. tit. XIV. n. VIII. — Item Auctores omnes. Inst. Clem. §. XVI et XXI. mandat, ut Celebrans cantet Orationes in fine Litaniarum et *Tantum ergo*, manibus iunctis. — Est enim regula generalis, quod extra Missam omnes Orationes cantantur, manibus iunctis. — Igitur idem servandum est in Vesperis solemnibus pro cantu Orationum etc.

III. *Ex eodem loco.* **De Signo Crucis in Missa et Officio.** Inquiritur an Celebrans in Missa sive solemni sive privata, sive in Vesperis solemnibus, item omnes adstantes in Choro his in functionibus, itemque Chorales omnes in Officio Divino, debeant utcumque proferre verba quae signantes se, vel alia iidem dicunt, vel potius illa aptare actioni, et quasi cum ea dividere?

Resp. Affirmative ad secundam partem; negative ad primam. Et probatur: primo ex Caerem. Ep. Lib. I. C. XXV. n. 5. ubi praescribit modum quo Episcopus se signare debeat dicendo *Adiutorium nostrum*... " deinde dicens *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, eadem dextera manu signat se signo crucis a fronte „ ad pectus, et a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit „ *Adiutorium*, in fronte, *nostrum* infra pectus, *in nomine* „ in sinistro humero, *Domini* in dextero, et iterum „ ipsam manum dextram super altare reponit... „ Caerem. Ep. Lib. II. C. I. n. 5. de Vesperis Pontificalibus, ubi praescribit modum Signum Crucis efformandi ad *Deus in Adiutorium* in initio Vesperarum: " ... et tenens sinistram manum infra pectus, dextera „ aperta facit sibi Crucis Signum a fronte ad pectus, „ cantans intelligibili voce *Deus in adiutorium meum* „ *intende*. Et unoquoque verbo tangit manu, primo „ frontem, deinde pectus; mox humerum sinistrum, „ ultimo dexterum, et in fine iungit manus ante pectus „.

Cl. Zualdi in suo eximio Caeremoniali Miss. priv. ubique hanc tenet doctrinam. P. I. Art. XII. n. 10. Ubi affert testimonium Caerem. Ep. Lib. I. C. XXV. n. 5, et dicit quod si id puerile videatur haud tale censetur a Caeremoniali Episcoporum loc. cit. item P. II. tit. IV. 2° in fine *Gloria in excelsis*, tit. VI. 5° in fine *Credo* ubi haec habet: "...Dicens Sacerdos, „ *Et vitam venturi saeculi*, cruce se signat: ita tamen, „ ut ad verbum, *Et* frontem tangat, ad *vitam* pectus, „ ad *venturi* sinistrum humerum, ad *saeculi* dexterum. „ Denique *Amen* pronuntians, manus hinc inde super „ Altare ponit „. — Item tit. VI. 10° ad *Benedictus qui venit*. — Tit. IX. 2° ad *Omni benedictione*. — Tit. X.

2° ad *Da propitius pacem.* — Tit. XII. 2° ad benedictionem in fine Missae. — Tit. VI. 4° ad initium Evangelii et sic ubique. Qui modus agendi omnibus in similibus casibus sive in Missa, sive in Officio Divino praescribitur a Rubricis quandoque explicite ex locis supracitatis vel implicite.

Cl. Martinucci in Vesp. solemnibus idem docet Lib. I. C. XIV. n. 60. — Cl. A Carpo idem tradit P. I. C. II. — idem docet Cl. De Herdt. P. 4. Rubr. Gen. Brev. n. 72. VII.

Ergo quoties sive in Missa, sive in Officiis Divinis Celebrans vel quilibet alius pronuntiat verba quae exigunt Signum Crucis, verba aptanda sunt actioni, et dividenda modo facili ac eleganti. Ratio huius modi his in actionibus, est ob maiorem reverentiam in orando. Secus, praesertim in Officio Divino, quando Chorus constat ex Clericis aetate provectis et adolescentibus qui omnes faciunt Signum Crucis cum maiori minorive celeritate, non potest fieri cum decore ac unitate. Si vero omnes sequantur fideliter ac religiose hanc regulam, omnia peraguntur cum omni decore et unitate.

IV. *E Sicilia.* **De loco sacrorum Ministrorum in Missa solemni tempore.** 1. *Kyrie.* Inquiritur utrum, si tempore, quo in Choro cantatur *Kyrie,* Celebrans, et Ministri Sacri in Missa solemni non redeant, stare debeant ad Altare in cornu Epistolae, sicut ad Introitum: an potius, recitato *Kyrie* a Celebrante cum Ministris, isti debeant se sistere in recta linea unus post alium a tergo Celebrantis, usque ad ultimum Kyrie a Choro cantatum?

Resp. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. Et hoc quidem oritur ab ipsa Rubr. Miss. P. II. tit. IV. n. 7, ubi dicitur quod " Celebrans,

„ diacono a dextris eius, subdiacono a dextris diaconi „ stantibus in cornu Epistolae, legit *Introitum*, et *Kyrie* „ *eleison* „. Deinde addit Rubrica: " Cum vero intonat „ (Celebrans) Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, diaconus „ et subdiaconus, unus post alium, stant a tergo cele- „ brantis: postea ascendunt ad altare „. Qua Rubrica posita, recurramus ad Auctores probatos, ut sciamus quisnam sit verus sensus huius legis. Citemus in primis Cl. Bauldry, qui P. I. Cap. XII. *De diaconi Officio* n. XVIII. haec habet: " Dicto *Kyrie*, vel sedet „ cum celebrante, si tempus id permittat, vel *ibidem* „ *remanet a dextris celebrantis. Sed dum ultimum Kyrie* „ *cantetur a Choro, recedit post eum* (*celebrantem*) *in 2 gra-* „ *du*, et statim per eumdem gradum accedit ad me- „ dium altaris etc. „ Hic textus nulla indiget declaratione, ut patet; ideoque ad alium statim gradum faciamus. Igitur P. I. C. XIII. *De Subdiaconi Officio* n. IX. haec habentur: " Ad *Kyrie*, respondet alter- „ natim Celebrante, *ibidem*, *quo dicto ibi stat usque* „ *ad ultimum Kyrie, quod in Choro cantatur*, tunc enim „ accedit per planum ultimus omnium ad medium „ altaris „. In n. VIII. Cl. Auctor assignat locum Subdiaconi *ad Introitum*, nempe: " *ad dextram Diaconi in recta linea*...; „ in n. autem IX citato, docet quod Subdiaconus stare debeat eodem in loco " *ibidem* „ " *ibi* „ " *usque ad ultimum Kyrie*... „ Idem docet P. III. Cap. XI. Art. V. n. VII. *De Missa solemni*. Videamus nunc quid dicat Cl. Meratus; igitur Vol. I. P. II. Tit. IV. nn. XXXII, XXXIII tradit prorsus nostram doctrinam; quo in loco citat Bauldry, ut fecimus supra. Igitur: " XXXII. Gavant. lit. i. (*Solus Celebrans* „ *legit*) Terminata incensatione, Celebrans stat in cornu „ Epistolae iunctis manibus...; sed habens ad suam „ dexteram in secundo gradu Diaconum, et ad dextram

„ Diaconi Subdiaconum in recta linea .... *persistunt* „ *autem in supradicto cornu Epistolae Celebrans et Mini-* „ *stri* cum primo Caeremoniario *usque ad ultimum Ky-* „ *rie cantatum a Choro, si sedendum non sit* . . . „.

" XXXIII. Gavant. lit. l. (*Unus post alium, Diaco-* „ *nus super secundum gradum*). *Si tempore, quo in Choro* „ *cantatur Kyrie, Celebrans, et Ministri non sedeant, tunc* „ *stabunt ad Altare in cornu Epistolae, sicut ad Introi-* „ *tum; et in hoc casu, dum in Choro cantatur ultimum* „ *Kyrie, ibi in cornu Epistolae se sistant in recta linea* „ *unus post alium*... „ Haec sufficient quoad Auctores antiquiores, qui nobis clarissime demonstrant sensum tunc temporis receptum circa praesentem Rubricam. Videamus nunc nonnullos recentiores Auctores, ut sciamus in casu an eamdem teneant sententiam ac antiquiores. Igitur Cl. A Carpo P. II. *De Missa solemni*. Cap. IV. Art. II. *De Diacono*. n. 165 docet quod Diaconus, a dextris Celebrantis stans, ei assistit ad Introitum et Kyrie; deinde praelaudatus Auctor, quin nullum dicat verbum de aliqua loci mutatione, in casu, addit: " Dum „ a Choro ultimum decantatur Kyrie, Diaconus per „ eumdem incedens gradum, accedit ad Altaris me- „ dium „ Idem tradit in Art. IV eiusdem Cap. ubi loquitur de Subdiacono, sub. n. 184. Clmi Martinucci et Baldeschi eamdem tenent doctrinam hac in re, quod praesertim et patenter probatur ex praxi plurium Ecclesiarum bene constitutarum, quae omnino sequuntur regulas ab illis traditas, et quae se gerunt in casu, prouti contendimus.

Sed ne teramus inutiliter tempus in re satis clara, conficiemus nostram probationem uno verbo, dicendo huiusmodi praxim esse Ecclesiarum rite constitutarum Urbis, quae omnium Ecclesiarum Mater est, et Magistra; ac proinde praxis Urbis ipsa sola rem pos-

set ac deberet certiorem ac tutiorem reddere. Talis est unanimis doctrina Liturgistarum probatorum Urbis; ideoque praxis Romana non est nisi illorum sententiae probata ac legitima sequela (*Urbis, 6 Aug. 1831*).

V. *E Dioecesi Caietana.* **De Baldachino in processionibus.** Quaeritur, quibus in processionibus adhiberi possit aut debeat Baldachinum, et cuius coloris esse debeat? Item utrum processiones quovis anni tempore permittantur?

Resp. 1. Baldachinum adhiberi debet tantum in processionibus SS. Sacramenti, cui soli de iure competit: res certa est nulli difficultati obnoxia, et a probationibus abstinemus. Illius proinde color albus erit, qui solus Sacramenti est proprius.

Resp. 2. Adhiberi Baldachinum tantum potest, si deferendum in processione sit Instrumentum aliquod Passionis Christi, et maxime sanctum salutis nostrae Vexillum, seu vera Christi Crux. Ita ex Gen. Decreto S. R. Congregationis 27 Maii 1826, et aliis pluribus particularibus. Eoque in casu color, si fieri possit, erit rubeus, uti patet.

Resp. 3. Per se processiones nullo anni tempore prohibentur; sed ritus temporis vel festi, quod recolitur, citra controversiam servandus est. Hinc processio poenitentiae ex. gr. prohibita censenda est die solemni paschae, ritui namque opponitur temporis, qui laetitiae est: processionem Sacramenti feria VI in parasceve item prohibitam iudicamus ob eamdem rationem oppositam etc. etc. Notatum hic volumus, processiones ordinarias, quas nempe Rubricae exigunt, vel etiam probata consuetudo induxit, fieri posse sine nova saltem, licentia Episcopi; ceteras vero ab Episcopi auctoritate et indictione dependere plura Decreta S. R. C. docent.

VI. *E Melita.* **De Missa votiva Immac. Deiparae, aut** ***Rorate*** **in Sabbatis Adventus.** Anno currenti dies 23 Dec. est Sabbatum, liberum pro officio votivo Immaculatae, cum eiusmodi nos habeamus privilegium. At consuetudo quoque est, et Decreta permittunt, ut in novendiali ante Nativitatem Domini Missa votiva solemnis *Rorate* quotidie celebretur. Quaeritur, utrum, supposita officii votivi de Immaculata recitatione, Missa de eadem Immaculata dicenda sit, vel *Rorate* more solito?

Resp. Recens Decretum *Strigonien.* 30 Aug. 1892 ad IV, praefatam Missam *Rorate* in festo Immaculatae Conceptionis, et infra eius octavam, si de eadem fiat, interdicit. Nunc autem, quod praesens dubium spectat animadvertimus, de die infra octavam Immaculatae Conceptionis officium recoli ritu semiduplici: qui certe Missas votivas, seu extra officium permittit. Nihilominus, si aliae Missae votivae permittuntur, Missa *Rorate*, quae ad Deiparam pertinet, prohibetur. Qua de causa? Quia, cum Missa *Rorate* sit B. Mariae, et eiusdem sit quoque Missa officio recitato conformis, sapienter iudicavit S. R. C., magis in casu convenire, ut cum Missa Deiparae sit dicenda, illa recitetur, quae conformatur officio, potiusquam *Rorate*, quia licet eiusdem sit Deiparae, cum officio non concordat.

Iam nunc haec omnia optime ad casum nostrum applicari possunt. Dies 23 Dec. incidit necessario infra novendiale Nativitatis Christi, et privilegium speciale habetur de Missa *Rorate* quotidie solemniter celebranda. Sed in Sabbato recitatur officium votivum de Immaculata, quae *per se* Missas alias non conformes officio permittit, consequenter et Missam *Rorate*. Sed haec ultima de Deipara est; ergo, ut supra cum De-

creto *Strigonien.* concludimus, hanc Missam in tali Sabbato non posse dici, sed aliam dicendam, quae convenit cum officio.

VII. *Ex Gallia.* **De doxologia non mutanda in Vesperis ob festum solam habens commemorationem.** In quadam dioecesi, hoc anno, die 24 Februarii concurrebant II.ae Vesperae S. Mathiae Ap. cum I.is officii translati Lanceae et Clavorum D. N. I. C. Quaeritur ergo qualis esse debuit conclusio hymni *Exultet orbis gaudiis:* an *Patri simulque,* an *Clavis forato et Lancea?*

Resp. Ex Rubricis, S. Congr. Rituum decretis, et Auctoribus liturgicis, haec posse decerpi mihi videntur:

I. Rubricae generales (tit. 20 n. 4-8) de praesenti quaestione silent. — Rubrica apposita ad Officium B. M. Virg., in Sabbato, clarissima quidem enuntiatur relative ad hymnum Completorii feria VI recitandum. Ubi vero tractat de Vesperis festi hac eadem feria VI celebrati, praecipit quidem commemorationem de B. M. V. faciendam, silet autem de doxologia hymni in dictis Vesperis recitandi.

Unde concludi posse videtur: Deest in casu praesenti positivus Rubricarum textus, Doxologia mutationem praecipiens.

II. Decreta varia ab Auctoribus referuntur, quae S. Rituum Cong. hac de Doxologia edidit. Mihi autem, fateor, difficultatem enodare non videntur; alium enim casum respiciunt. Examini enim si subiiciantur ea, quae a clarissimi A Carpo et De Herdt citantur, en de quo tractant:

Decretum pro Sacerd. Congreg. SS. Sacramenti (Gardellini, n. 5476, ad 1) respicit hymnum Completorii. — Idem dicendum de Decreto in Baltimoren. (Gardell. n. 5256, ad 3), et de alio Decreto Clericor. Regularium SS. Crucis (apud Gardell. n. 5909, ad 2).

Decreta vero in Einsidlen. et Warmien. (apud Gardell. 4043, dubia addition. ad 12; et 4259, ad 2) respiciunt Doxologiam recitandam infra Octavam festosum B. M. V.

A fortiori concluderetur thesis ex Decreto in Salernitana (Gardell. n. 177); quod tamen abrogatum videtur ex subsequentibus aliis.

Quapropter, circa conclusionem ex variis hisce decretis examini subiectis eruendam, eadem esse videtur ac supra, quoad Rubricas ipsas: Desunt positiva decreta quibus casus praesens resolvi possit.

III. Auctores liturgici. — In duplicem sententiam abire visi sunt.

(*a*) Conclusionem *Clavis forato*, vel *Iesu tibi etc.* dicendam esse contendit A Carpo (Biblioth. part. 2, n. 21: " Conclusio propria usurpabitur in Vesperis etc. Completorio, dummodo Officium illud in iisdem Vesperis saltem commemorationem sibi vindicet „. Item De Herdt (tom. 2. num. 322), cuius verba claritate praefulgent: " Si in Vesperis duo officia concurrant, quorum alterutrum exigit mutationem conclusionis hymnorum ut Officium votivum Conceptionis B. M. V. aut SS. Sacramenti cum officio alicuius Sancti: tunc, modo officii, quod exigit conclusionem propriam, fiat commemoratio, hymni *in Vesperis* et completorio sunt variandi „.

Innititur De Herdt 1.° Rubricis ad Completorium in Officio B. M. V. in Sabbato. Sed supra vidimus Rubricas illas tacere de Doxologia ad Vesperas; — 2.° Decreto apud Gardellinium n. 5476; sed decretum illud nec facit ad rem, quatenus respiciens etiam hymnum Completorii. — Qualia igitur fundamenta opinionis Clarissimi Auctoris? — Idem porro quaerendum foret ab A Carpo; nam decreta quae allegat,

casum non respiciunt, ut vidimus; de Rubricis Fratribus Minoribus propriis silere debeo, utpote eas non valens pendere; tandem Gavantum invocat, qui potius aliam tuetur sententiam.

Fatebor denique, eamdem conclusionem *Clavis forato* patronos haud parvi momenti sibi vindicare inter sacerdotes dioecesis, ubi controversia orta est.

(*b*) Conclusionem vero *Patri simulque Filio* in casu dicendam contendunt: 1.° Ordo Romanus praesentis anni (non pro festo quidem S. Mathiae, cum casus non evenerit; sed videri potest ad 14 April. et ad 26 Octob. ubi annuntiatur mutationem Doxologiae *A Completorio* faciendam esse). — 2.° Auctor Ordinis Perpetui, anno 1891 Romae editi, cuius verba liceat referre luce clariora: Notae generales... ad 3 (b) Conclusio festorum Domini vel B. M. V. propria sumitur a 1 Vesp. si integrae vel a capitulo saltem dicantur; A Completorio vero, si de ipso festo fit commemoratio, nec officium praecedens habeat conclusionem propriam. — 3.° Quidam Redactores Ordinum dioecesanorum, quos legere hic potui. — 4.° Gavantus immerito sententia oppositae favere dicendus est; haec enim illius verba sunt: " Si fiat tantum B. Virginis commemoratio, adhuc illud dicitur in Completorio „. Etenim, ni fallor, textus hoc tantum significat: Si fiat tantum B. Virginis commemoratio, *hoc sufficit* ut inde obligatio oriatur dicendi in Completorio *Iesu tibi* etc. Nihil autem concludit praestantissimus Liturgista circa hymnum ipsarum Vesperarum, ante praefatam commemorationem recitatum.

Quapropter posteriori huic sententiae potius adhaerendum mihi videtur, reiecta priori, nisi tamen, ut patet, Supremae Auctoritatis interveniat decisio.

Animadvertimus, huiusque expositas, pro et contra, rationes, ad ipsummet adm. Rev. Dom. Sacerdotem pertinere, qui dubium proposuit. Non possumus, quin nobismetipsis gaudeamus, eidemque solutorî gratulemur, seu pro peritia rei liturgicae, quam demonstrat; seu pro perspicuitate et ordine momentorum, quae protulit, imo et pro solidis, quae in medium adducit, argumentis. His et nos libenter assentimur; namque cuncta ab eo exposita si apprime perpendantur veritati prorsus conformia sunt.

Sequentia addimus, ut magis perspicuum negotium fiat. Quaestio praesens ad hanc reducitur: Sola et simplex commemoratio in Vesperis ius ne tribuit festo commemorato, ut eius Doxologia propria in Vesperis dicatur, quae de alio festo actae sunt, quod communi gaudet Doxologia? — Negative respondendum iudicamus. Ratio est, quia tunc initium habet festi tantummodo in Vesperis commemorandi celebratio, cum illius fit commemoratio; atqui haec commemoratio incipit semper post iam recitatum hymnum; ergo ius non habet ad Doxologiam propriam, quia de eo non fit. Sicut ergo Doxologia propria in Vesperis dicenda non est de illo festo, cuius nec commemoratio recolitur, ita neque in casu dicenda, quando simpliciter commemoratur, ut in casu.

Notandum nihilominus, festum Doxologia propria gaudens, et praecedens esse posse et subsequens: in casu nostro subsequitur, et argumentum allatum optime procedere. Si tamen praecederet, casus alius esset; nam de praecedenti festo iam factum est officium, et continuatur: unde et commemoratio illius fieri debet in Vesperis. Iure ergo illius doxologia propria dicenda venit, si propria festum aliud, de quo fiunt Vesperae, non gaudeat. Sed in casu cum festum commemoran-

dum nondum inceperit, eius propriae Doxologiae dicendae deest ratio. Optimo tamen iure ad Completorium dicitur, quia, sicut in Vesperis locum habet, quando festum praecedit, ita et in Completorio, quia in utroque casu festum commemoratum initium habuit.

Cum itaque nullam afferant de opposita sententia rationem auctores citati, nisi et Rubricam et Decreta, haec autem nonnisi de Doxologia loquantur ad Completorium, non vero ad Vesperas, uti oculis nostris perspeximus; concludendum est, eosdem haud recte ad rem applicasse utrumque, ac proinde eorum sententiam non esse sequendam. Hinc eximio solutori adhaerentes, cum Gavanto docemus: " In officio semiduplici de B. Virgine, quod a Regularibus ex privilegio fit in Sabbato, si in primis Vesperis dicatur **saltem Capitulum** de B. Virgine, dicitur **in Vesperis et Completorio**, *Iesu Tibi sit gloria etc.* et item si fiat tantum Commemoratio, *adhuc* illud dicitur in **Completorio** etc. (*Sect. V, cap. VI, n. 15*) „. Ergo, hoc ultimo in casu non dicitur in Vesperis. Applica doctrinam ad casum nostrum de Doxologia *Lanceae et Clavorum*, eademque conclusio oritur, de qua superius.

VIII. *E Sardinia.* **De abruptione lectionis Martyrologii in Choro.** Toleranda ne est antiquissima consuetudo aliquid omittendi de Martyrologio, ad nutum superioris, in Choro, postquam festa vel officia diei commemorata sunt?

Resp. Negative; praefata namque consuetudo manifeste Martyrologii Rubricis opponitur praedicantibus: " *Lectio Martyrologii* recitatur quotidie in Choro etc.: legitur autem semper praecedenti die *lectio illa*, quae etc.: festa de quibus eo die fit Officium, semper *primo loco ponuntur* etc. „ At, quaeso, per *lectio*, quid potest intelligi nisi tota ac integra lectio? Per *ly primo loco*

ponuntur, nonne manifeste docemur, post officia diei, et alia legenda, quae secundum obtinent, tertium, quartum etc. locum? Quae autem sunt haec alia Officio, nisi in Martyrologio qualibet die descripta? Insuper et alio titulo consuetudinem praedictam reprobandam credimus. Finis enim ab Ecclesia in lectione Martyrologii praecipienda intentus, haud solum est, officia celebranda enunciare, verum etiam Sanctorum gestas admirationi divinis officiis adstantium atque imitationi proponere iuxta illud *Augustini:* " Solemnitates martyrum exortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat (*Serm. 47 de Sanct.*) „. Sed per consuetudinem de qua in dubio, finis iste sapientissimus, si non omnino, nonne saltem in parte inutilis evadit?

IX. *Ex eodem loco.* **De quadam concurrentia.** In concursu B. Mariae V. de Monte Carmelo (*die 16 Iulii*) dupl. mai. cum festo Triumphi S. Crucis (*die 17*) dupl. mai., quomodo ordinandae sunt Vesperae?

Resp. Responsio perspicua et facilis: Totum fiat de sequenti cum commemoratione praecedentis. Enimvero, etiam admissa distinctione, primaria inter et secundaria festa, nil ad rem illa prodest, cum agatur de duobus festis aeque secundariis. Recurrendum quapropter ad regulas a Rubricis Rubricarumque expositoribus traditas, inter quas habetur: In paritate ritus, cum inaequalitate dignitatis, Vesperae integrae fieri debent de festo digniori cum commemoratione alterius. Festa autem Domini digniora sunt prae reliquis Sanctorum, sicut etiam Deiparae.

X. *Ex eodem loco.* **De calice super altari praeparato ante Missam cantatam sine sacris ministris.** Toleranda ne est alia consuetudo, qua in Cathedrali Ecclesia et in aliis, in Missis cantatis sine sacris mi-

nistris, calix per sacristam defertur super altari, ibique relinquitur in medio cum bursa superposita?

Resp. Duplex obiectum in exposita consuetudine considerari potest: delatio calicis ad altare per sacristam, qui uti supponitur, nec clericali quidem tonsura initiatus est: vel modus ipsius calicis super mensa praeparandi. Si primum consuetudo tolerari potest. Quamvis enim ex Iure Ecclesiastico (*De consecr. cap.* **In Sancta**), ab omnibus et solis maioribus ministris calix vacuus vi ordinis tangi possit, ex consuetudine tamen nedum inferioribus ministris, verum et ipsis laicis aeditui munere fungentibus, nec non monialibus idem actu officium exercentibus permittitur exterius vasa sacra, cum veneratione tamen tangere. Si vero consideretur alterum, modus, scilicet, calicis praeparandi, tunc dicimus, consuetudinem saltem reformandam esse. Auctores enim liturgici omnes, ne uno quidem excepto, docent in Missis, de quibus est sermo, calicem eodem prorsus modo super altare ponendum, ac in Missis privatis, super corporale, scilicet, extensum et cum bursa haud quidem super calicem posita, sed prope candelabra ad gradus altaris in cornu Evangelii. Quod si incongruum appareat, uti revera et nobis, ut laicus explicet Corporale super mensa, id a ministro fiat in sacris constituto: quod procul dubio consultius est, et Rubricarum spiritui conformius. Haec quidem, nisi ipse Celebrans, antequam Missam incipiat, super altare ascendat, et calicem paret, quod etiam fieri potest, cum Missa sine sacris ministris, quamvis in cantu, minus sit solemnis quam quae cum sacris ministris solemniter canitur, neque Rubricae de illa loquantur, sed veluti tolerata aut potius permissa, habenda sit.

XI. *Ex eodem loco.* **De Symbolo dicendo, aut non, ratione concursus.** In nostra Cathedrali Ecclesia adest altare S. Ioanni Baptistae dicatum. Populus in eius die festo ad auditionem Missae concurrit, eodem fere numero ac diebus Dominicis. Sufficit ne talis concursus populi, ut in Missa solemni Symbolum cani possit?

Resp. Ex S. R. Congregationis responso (*in una Burgi S. Domnini dato sub die 1 Aprilis 1662*), videretur prima fronte *affirmative* proposito Dubio respondendum; ibi enim dicitur Symbolum licitum in Missa celebrata ad altare sub invocatione divi Antonii de Padua erectum, ob magnam devotionem populique concursum.

Sed penitius mentem Sacri Tribunalis perscrutanti, eiusdemque responsa inter se comparanti, haud difficile apparebit, *negative* potiusquam *affirmative* praedicto Dubio reponendum. Sacra namque Rituum Congregatio per populi concursum, qui ius ad Symbolum tribuat, intelligit *concursum* qui sit saltem *extraordinarius* uti videre fas est (*in una Mutinen. 22 Septembris 1837, ad XII, q. 4*).

XII. *E Nova Zelandia.* **De collecta imperata, ab ipsomet Episcopo in aliena dioecesi celebrante omittenda vel non.** Episcopus Missam privatam faciens extra dioecesim, potestne collectam a seipso in sua dioecesi imperatam recitare?

Resp. Si de simplici verba fiant Sacerdote, in aliena dioecesi celebrante, Cl. De Herdt tenet, eum non posse collectam in sua dioecesi imperatam in aliena recitare, sed potius illam recitare tenetur, quae in dioecesi, in qua celebrat, praescripta est. Ratio esse potest, quia Sacerdos in aliena dioecesi celebrans, subditus, pro tunc saltem, illius evadit: adeo ut, et celebrare nequeat, si loci Episcopus non consentiat, et eius, non

proprii Episcopi, nomen in Canone exprimere debeat. Cum itaque loci, in quo celebrat, Episcopus aliam praescripserit Orationem ab illa, quae in propria Sacerdotis Dioecesi imperata est, ad illam recitandam, non vero ad istam, ipsum teneri dicendum sit.

Sed eodem modo loqui non possumus de Episcopo in aliena dioecesi privatim celebrante; quia ipse non fit loci Episcopi subditus, ad hoc quod spectat negotium. Namque independenter ab illo potest Missam privatim facere; imo nec necessitatem habet ecclesias vel Oratoria loci adeundi, cum altaris portatilis privilegio gaudeat pro Missa facienda, nec Episcopum loci debet in Canone nominare sed seipsum. Ex quibus videtur concludi posse, Episcopum ad alterius Episcopi praeceptum non posse per se obligari. Dicimus *per se*, quia ratione uniformitatis vel alia de causa ad id teneri quandoque posset. Addas velim, indecorum et deprimens videri, ut Episcopus Dioecesanus ad praeceptum alterius Dioecesani adimplendum teneatur, cui non est subiectus. Itaque Episcopus videtur nobis non obligari ad collectam ab Episcopo loci imperatam quando privatim celebrat.

Obiici nihilominus potest praeceptum collectae totam Dioecesim afficere, ut etiam Episcopus, si in loco degat, ad eam teneatur. Sed respondemus, potius verum esse, afficere illud praeceptum omnes Sacerdotes qui in Dioecesi morantur, qui aut sunt aut fiunt subditi: inter quos non potest Episcopus alienae dioecesis recenseri, quamvis in illa degat, quia pro casu non fit subditus. Ita salvo meliori iudicio.

XIII. *Ex Austria.* **De benedictionibus.** Quaeritur: utrum nonnullae benedictiones quae prostant in Rituali Romano pro aliquibus rebus, adhiberi possint pro rebus similibus loco, utendi aliis formulis, quae

sunt propriae loci, et in particulari Rituali inscribuntur?

Resp. Affirmative. Recentius Decretum *Strigonien.* ad Dub. X. (*V. Ephem. praesent. an. n. 1. pag. 9 et 13*) ad rem inquirit: " Rituale Romanum licetne ubique adhibere et in quibuscumque functionibus, etiamsi proprium Rituale Dioecesanum in nonnullis tantum discrepans habeatur? „ Porro S. R. C. respondet: " Affirmative (*30 Aug. 1892*) „. Namque, uti animadvertit Caeremoniarum magister in Voto super eodem Decreto (*Vol. VI. Ephem. pag. 589 ad 10*), Rituale Romanum principem locum obtinet super omnia Ritualia Ecclesiarum particularium: quapropter optime potest Rituale particulare relinqui et Romanum adhiberi.

Inferes, nihil obstare quominus pro benedictione panis, salis et aquae in festo S. Agathae, adhibeatur Benedictio panis, benedictio salis, sicut et aquae, quae in Rituali Romano habentur: idem dicendum de aliis benedictionibus, quas Rev. Inquirens recenset. Quod si benedictio Ritualis particularis, aliquid specialis habeat in honorem Sancti, cuius memoria agitur, suppleri optime potest cum oratione approbata, dummodo inspectis omnibus rei respondeat, quae vel propria sit vel de communi; sicque integer et absolutus obtineatur benedictionis finis.

Humanissimos Consociatos nostros enixe rogamus ut quaedam typographica menda in ultimis Ephemeridum fasciculis irrepta emendare velint. Sunt autem: In ultimo numero, in Appendice (*pag. 254*), loco, Negative et amplius, pone, *Affirmative et amplius.* In se-

cundo fasciculo (*pag. 77, lin. 6*), loco, Thus imponendum et benedicendum in thuribulo, pone, *Thus imponendum, et non benedicendum, in thuribulo.*

Tandem iidem humanissimi Consociati corrigant quod noster Dubiorum solutor, facti haud fretus veritate, in ultimo Ephemeridum numero (*pag. 208, dub. VIII, lit. d*) scripsit nempe: omnia quae apparent in habitu praelatitio, violacei esse coloris: quaedam enim uti fibulae fissurarumque orae coccinei sunt. Hinc et consequens derivat, vi cuius, sicut ornatus vestis talaris, ita et resticula in bireto pro Episcopis, rubei coloris iure esse potest.

APPENDIX

I.

Beatissime Pater

P. Caietanus Pizzighella e Congregatione Presbyterorum a sacris Stigmatibus D. N. I. C. Sacellum, Ecclesiae Domus Matris Veronae existentis adnexum, de consensu Ordinarii accomodatum atque destinatum habuit (nulla tamen facta liturgica dedicatione) Cultui Vultus D. N. I. C. cuius Imago in unico Altari posita, magnam excitat venerationem.

Praeterea apud eamdem Ecclesiam erecta est de consensu eiusdem Ordinarii, Confraternitas, Arciconfraternitati Turonensi eiusdem S. Vultus affiliata cui iam fere quatuor millia hominum nomen dedere.

Nunc vero, cognitis, per publicas Ephemerides, decretis ab ista S. Congregatione S. O. statutis, quoad cultum S. Imagini Vultus D. N. I. C. exhibendum, orta est aliqua confusio et per-

turbatio, mirantibus non paucis ac dictitantibus ab hac devotione omnino cessandum esse, ut obsequium auctoritati S. Congregationis S. O. praestetur.

Quibus de causis idem Orator ut quieti suae et coeterorum Confraternitati adscriptorum consulat, humillime petit:

An cauto sub directione ac dependentia Ordinarii ne sit in Oratorio et in piis exercitiis publice peragendis aliquid quod sapiat cultum directum et specialem, omnibusque iuxta cultum Romae traditionalem conformatis, subsistere possit, dictum Sacellum et Confraternitas cum Indulgentiis ei concessis.

Et Deus etc.

Visum: commendantur preces humillimi Oratoris.

In q. f.

Datum Veronae ex Curia Episcopali die 25 Ianuarii 1893.

AL. CARD. DE CANOSSA, *Episcopus*

Responsum Sacrae Congregationis S. O.

Fer. IV die 8 Martii 1893

In Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis proposita suprascripta Instantia, Emi ai Rmi Dñi Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum decreverunt: *Prout exponitur, adfirmative.*

Eadem vero die, Emus Cardinalis eiusdem S. Inquisitionis Secretarius, facultatibus a SSmo Dño Nostro sibi tributis Emorum Patrum resolutionem, adprobare dignatus est.

I. MANCINI S. R. et U. I. *Notar.*

II.

Ex decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, edito sub die 21 Septembris 1889, SSmus Doñus Noster Leo PP. XIII Indulgentiarum thesauro benigne ditavit singulare pietatis obsequium quod Christifideles tribuunt Beatae Mariae Virgini sub titulo SSmi Rosarii quindecim Sabbatis haud interruptis vel immediate ante festum eiusdem B. Mariae Virginis

sub memorata invocatione, vel etiam quovis anni tempore. Verum experientia compertum est plerosque inter fideles, ii potissimum qui ad classem operariorum pertinent, feriatis diebus admodum difficile huiusmodi pium exercitium in honorem Deiparae Virginis praestare posse, proindeque Indulgentiis eidem adnexis omnino privari. Quae SSmo Dño Nostro preces admotae sunt, ut quoties Christifideles legitimo impedimento detineantur quominus praefatum pium exercitium die Sabbati peragere valeant, eis daretur absque Indulgentiarum iactura illud explere die Dominica. Has porro preces relatas in audientia habita die 17 Septembris 1892 ab infrascripto Secretario eiusdem Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, idem SSmus peramanter excipiens, pro gratia annuere dignatus est: aliis ceteroquin servatis conditionibus in supradicto Decreto iam praescriptis pro Indulgentiis assequendis eidem pio exercitio attributis. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Septembris 1892.

Fr. A. Card. SEPIACCI *Praef.*

L. ✠ S.

† Alex. Archiep. Nicop. *Secretarius.*

DECRETUM

Tertii ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia, quae Tertiarios Saeculares S. Francisci Assisiensis aliorumque Ordinum respiciunt, dirimenda sunt proposita:

I. An Tertius Ordo Saecularis S. Francisci teneatur lege illa a Clemente Papa VIII in Constitutione « *Quaeritur* » d. d. 7 Decembris 1604 statuta, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis?

II. Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in Ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci?

III. Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis?

IV. An religiosi, qui sua iam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede, vel ab Ordinario loci, ante decretum in una Veronensi editum sub die 16 Iulii 1886 et iam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum adhuc pergant ad eumdem Tertium Ordinem pertinere eiusque gratiis et privilegiis gaudere?

V. An saeculares Tertiarii Franciscales ingredientes religiosum aliquod institutum, etiam ante religiosam professionem teneantur dimittere habitum Tertii Ordinis, et hoc ipso non amplius perfruantur eiusdem gratiis et privilegiis?

VI. An idem Veronense Decretum vim legis habeat etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SSmae Trinitatis etc.?

VII. Possunt ne fideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin Indulgentias et Privilegia amittant?

VIII. An Tertiarius Franciscalis possit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae ex. gr. ad illum S. Dominici etc. et vicissim?

IX. An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SSmae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit Tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SSmae Trinitatis, Ordinis Carmelitici, et ita porro?

X. An expediat concedere omnia privilegia, gratias et indulgentias a Summis Pontificibus directe et speciatim primo et secundo Ordini S. Francisci concessa extendi etiam ad omnes qui Tertio Ordini saeculari nomen dederunt?

XI. An expediat concedere Indulgentiam *Portiunculae* nuncupatam, ab omnibus fidelibus toties die 2 Augusti lucrandam, quoties quamcumque visitent ecclesiam, in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci?

XII. An expediat concedere Tertiariis saecularibus S. Francisci ut lucrari valeant Indulgentias tam omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus concessas, quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque Ecclesiae

Franciscales primi, secundi aut tertii Ordinis regularis, neque Oratoria publica tertii Ordinis saecularis aut alia Ecclesia in qua canonice erecta sit Congregatio tertii Ordinis saecularis existant?

XIII. An tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam a quocumque sacerdote, eo quod vel nequeat accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum in quo a sacerdotibus debita facultate munitis praefatae benedictiones impertiuntur?

XIV. An saltem expediat praedictis Tertiariis Franciscalibus saecularibus, bis in anno, loco Benedictiones nomine Summi Pontificis recipiendae, duas alias Absolutiones seu Benedictiones concedere cum adnexa plenaria Indulgentia?

XV. Ex Constitutione « *Misericors Dei Filius* » Tertiarii Franciscales gaudent Indulgentiis Stationum Urbis. Iam vero ex opere cui titulus « *Raccolta di Orazioni e pie opere ecc.* » ad acquirendas Indulgentias stationales praeter conditiones consuetas sincerae contritionis, confessionis et communionis « *a seconda della Indulgenza da lucrarsi* » sufficit visitatio solius ecclesiae ubi est, vel supponitur esse Statio. Quaeritur utrum hoc etiam valeat pro Indulgentiis Stationum, quae in supradicta Constitutione Tertiariis conceduntur, ita ut a Tertiariis sit peragenda Confessio et Communio suscipienda eo tantum in casu, quo concessa est indulgentia plenaria, non vero quando concessa est partialis?

XVI. Utrum, demptis Tertiariis saecularibus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem « *Misericors Dei Filius* » et Rescriptum diei 15 Decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione Indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus?

XVII. Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur?

XVIII. Utrum Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis Indulgentiis tantum gaudeant, quae sibi directe concessae fuerunt, vel

aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocatae?

Et Emi ac Rmi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis rescripserunt die 10 Ianuarii 1893.

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant negative, in reliquis affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative ante professionem.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative ex rationabili causa.

Ad VIII. Generatim negative.

Ad IX. Negative.

Ad X. Negative.

Ad XI. Negative.

Ad XII. Supplicandum SSmo pro gratia.

Ad XIII. Negative.

Ad XIV. Supplicandum SSmo pro gratia

Ad XV. Affirmative.

Ad XVI. Negative, nisi constet de speciali Indulto.

Ad XVII. Negative, imo falsa.

Ad XIII. Affirmative.

Factaque de iis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione in Audientia habita die 31 Ian. 1893 a me infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, et petitas gratias in perpetuum benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 31 Ianuarii 1893.

Fr. A. Card. SEPIACCI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Alexander Archiep. Nicopolitanus, *Secret.*

LAUDEN. Decretum.

Episcopus Laudensis sequentia dubia solvenda proposuit huic Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae,

quae respiciunt legem distantiae in erigendis et aggregandis Confraternitatibus servandam.

I. An adhuc vigeat Constitutio Clementis VIII, qua statuitur ut Archiconfraternitates et Congregationes primariae in singulis civitatibus, oppidis vel locis unam tantum Confraternitatem et Congregationem sibi adiungere et aggregare possint?

II. Utrum aliqua sit lex prohibens ne plures, licet in diversis locis, eiusdem nominis Confraternitates canonice erigantur et Archiconfraternitati aggregentur, nisi certa inter eas intercedat loci distantia?

III. Utrum legis ordinatio de una tantum in singulis civitatibus etc. Confraternitate Archiconfraternitati aggreganda deque certa inter ipsas Confraternitates loci distantia servanda similiter valeat pro Confraternitate aliqua SSmi Sacramenti, quae Archiconfraternitati in Urbe apud S. Mariam supra Minervam erectae aggregari velit? Pro negativa sententia haec adduci potest ratio: compluribus in locis huiusmodi Confraternitates SSmi Sacramenti in singulis ac vicinissimis paroeciis institutas esse, privilegiisque ac indulgentiis Archiconfraternitatis gaudere absque ulla aggregatione, sed virtute solius decreti canonicae erectionis.

IV. Utrum denique concessio pontificia statuens Sodalitia Filiarum Mariae ubique locorum erigi ac Sodalitati primariae in Basilica S. Agnetis extra moenia Urbis existenti aggregari posse, sit extendenda ad alias quoque Confraternitates et Congregationes, ea praesertim de causa quod hisce nostris temporibus maxime optandum sit, ut ubique locorum Confraternitatum ac Congregationum multiplicetur erectio, quam etiam Apostolica Sedes iterum atque iterum commendavit?

Et Emi Patres in Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 10 Ian. 1893 propositis dubiis responderunt:

Ad I. Affirmative nisi speciali S. Sedis indulto aliae fuerint canonice erectae.

Ad II. Ex praxi existente in erigendis Confraternitatibus et in aggregandis distantiam unius leucae esse servandam.

Ad III. Dentur Decreta diei 23 Apr. 1676, et 22 Apr. 1752.

Ad IV. Negative, et consulendum SSmo ut dignetur extendere praefatam concessionem pro Confraternitatibus erigendis in locis distinctis, id est in distinctis dioecesibus vel communitatibus.

In Audientia vero habita die 31 Ianuarii 1893 a me infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, facta de iis omnibus relatione, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum confirmavit simulque petitam gratiam, de qua in dubio IV, benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 31 Ianuarii 1893.

Fr. ALOISIUS Card. SEPIACCI *Praefectus*

L. ✠ S.

† Alex. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

BIBLIOGRAPHIA

Iam alibi laudavimus opus liturgicum cui titulus: Essais Liturgiques *sur la disposition intérieure et l'ornementation des Églises, par le R. P. François-Xavier Rio Missionnaire de la Compagnie de Marie.*

Quin alia plura dicamus, quae in eiusdem voluminis laudem depromi possent, satis erit insequentem epistolam, qua a Rmo D. D. Ioanne Ponzi S. R. C. Substituto illius auctor donatus est, hic referre:

Reverendissime Pater,

Utile sane futurum arbitror sacrae liturgiae studiis opus, cui titulus *Essais liturgiques*, a te nuper editum in quo historicas notiones, ecclesiasticas leges atque doctorum praeceptiones ad rem spectantes multa eruditione ac perspicuitate exposuisti. Gratulor itaque Tibi

de eiusmodi opere tam scite exarato simulque te adhortor ut alia quoque istius praenobilis scientiae partes tuis elucubrationibus illustrare pergas.

Et cuncta a Domino Tibi fausta ac felicia adprecans, ut me ex corde habeas opto.

Romae, die 25 Aprilis 1893.

Tui addictiss.
IOANNES PONZI.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

IMOLEN.

Rm̃us Dñus Aloisius Tesorieri Episcopus Imolensis, Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: In Ecclesia Cathedrali civitatis Imolensis adest altare maius, quod tamquam fixum habetur, maxime ex eo quod in posteriori eius parte insculpta legantur haec verba " Card. Antonius Rusconius Episcopus Imolensis aedificavit et consecravit hoc altare ".

Verum de eius valida consecratione subortum est dubium ex eo quod, licet mensa constet ex lapide; huic tamen in suis extremitatibus adnexa quaqueversus et coniuncta fuit (ante vel post consecrationem ignoratur) corona ex marmore: quo fit ut mensa non sit revera ex unico lapide, uti praescriptum est pro altaribus fixis. Cui dubio vis accedit etiam ex responsione Sacrorum Rituum Congregationis sub die 29 Augusti 1885 in Eugubina. Hinc quaeritur: debet ne hoc altare haberi tamquam fixum et consecratum; et quatenus negative, potest ne haberi tamquam altare portatile?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propo-

sito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Sanato quovis defectu, Altare fixum consecratum haberi debet.* Atque ita rescripsit die 23 Aprilis 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.
VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

II.

SENOGALLIEN.

De mandato sui Rm̃i Episcopi, hodiernus Caeremoniarum Magister in Cathedrali Ecclesia Senogalliensi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dub. I. Quotiescumque expleto Completorio, solemnis benedictio cum SSm̃o Eucharistiae Sacramento adstantibus christifidelibus in Ecclesia Cathedrali impertitur, sacri Ministri pro Dalmatica et Tunicella supra Albam, possunt ne supra rochettum vel superpelliceum tantum induere Pluviale? Canonicus vero celebrans potestne adhibere tantum Amictum, Stolam et Pluviale, Alba omissa?

Dub. II. In eiusmodi Benedictione quae immediate datur post Completorium, sacri Ministri indui ne possunt iisdem cuiusvis coloris paramentis, quibus antea usi sunt ad Vesperas?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Sacri Ministri in casu induantur Dalmatica et Tunicella, et Sacerdos celebrans Albam deferat sub Pluviali.

Ad II. Utendum paramentis nonnisi coloris albi. Atque ita rescripsit et servari mandavit die 12 Maii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

III.

His addendum est aliud quaesitum, ab eodem Caeremoniarium Magistro S. R. Congregationi propositum, nimirum: An tolerari possit quod Canonicus post pontificalem benedictionem indulgentias publicans, ad nomen Episcopi titulum Comitis adiungat; quamquam ex liturgicis legibus absolute prohibitum sit quocumque modo immutare formulas Caeremonialis Episcoporum ac Pontificalis Romani?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, suprascripto Dubio rescribendum censuit: *Negative.* Die 12 Maii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

DE ANTIPHONARUM ET PSALMORUM INTONATIONE IN MATUTINIS TENEBRARUM.

In quadam Collegiata ecclesia Caius caeremoniarum magister saepe conqueritur apud illius Archipresbyterum, quod permittat, duos clericos superpelliceo indutos, more solito ad Canonicos accedere in Matutinis Tenebrarum, iisque antiphonas praeintonare, qui proinde eas intonant, cantorum prosequente schola. Aegre insuper fert Caius iste, eosdem clericos, post absoluta antiphona, haud praescripta sub intonatione cantum psalmorum incipere, sed omnino ad libitum, prout illis ingenium dictat. Quae dum nititur caeremoniarum magister ostendere Archipresbytero opposita esse seu Caeremoniali Episcoporum, seu Directorio chori, dolenter illum audit respondentem, se eiusmodi consuetudines abolere non posse, quippe quae sunt prorsus inveteratae. Cui momento inveteratae consuetudinis minime acquiescens Caius, peritiorum expetit iudicium, inquirens:

1. *Quando inceperit antiphonae intonandae et praeintonandae usus, quibusque de causis? Et quaenam inter antiphonam et consequentem psalmum relationes?*

2. *Quid Codices liturgici praescribant, seu circa antiphonarum intonationem, seu circa psalmorum initii cantum in Matutinis Tenebrarum?*

3. *Quid de consuetudinibus, ut in casu, iudicandum?*

SOLUTIO.

Ex Dissertatione Rev. Dom. Iosephi Gasperini e Pontif. Seminario Pio, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 23 Martii 1892: acta Epitoma a Rmo Dom. Dom. Io: Baptista Menghini ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

I. Primo inquiritur quid sit dicendum de antiquitate usus, et causis, antiphonas intonandi: haec prima quaesiti pars.

Cum duplici gaudeat antiphona sensu, praemittendum ante omnia, quid pro hac voce impraesenti intelligi debeat. Namque Socrates antiphonas vocat hymnos, quos Ariani composuerunt et alterne canebant (*Hist. Eccles. Lib. 6, cap. 8*). De S. Caelestino Pontifice legimus, eum constituisse: ut psalmi David CL ante sacrificium antiphonatim psallerentur, *quod antea non fiebat* (*Lib. Pontif. Edit. crit. Duschesne, Tom. I, pag. 230*). Ex quibus auctoribus, aliisque pluribus, quos in medium afferre supervacaneum ducimus, cantum antiphonum idem fuisse pro antiquis atque alternum cantum. Quod ceterum ex ipsa vocabuli *antiphonae* etymologia demonstratur, quippe quae ab ἀντὶ *contra* et φωνὴ vox derivat, unde verbum ἀντιφωνεῖν, id est alterne loqui. Hinc Isidorus ait: " Antiphona ex graeco interpretatur vox reciproca duobus scilicet choris alternatim psallentibus (*Lib. VI, cap. 9,*

Origin.) „. Haec prima antiphonae significatio cuius origo in tenebris antiquitatis absconditur (1).

---

(1) Auctores fere omnes alternam cantus modulandi rationem divo Ignatio Antiocheno tribuunt ex narratiuncula, ait Battifol (*Hist. du Bréviaire Romain, pag. 26*), quod a Martene fortasse desumpsit (*Lib. I, c. II, n. 44*), quam collegit Socrates sub fine saeculi V, Ignatium scilicet Angelos audisse alterne cantantes, ex quo usus huiusce cantus. Ex Ecclesia Orientali in Ambrosianam, inde in alias Occidentales Ecclesias: ita communiter. De hac nihilominus alterni cantus origine grave nobis id considerantibus suboritur dubium ob ea quae dicturi sumus. Nonne pluries innuitur alternus Hebraeorum cantus psalmorum, hymnorum, canticorum in Sacris Litteris? Lege Exodum (*Cap. XV, v. 20 et 21*), audiesque Mariam sororem Auronis praecinentem, et mulierum choros respondentes. Lege Deuteronomium (*Cap. XXVII*), et videbis duos choros e regione positos, canentes et respondentes, ipsumque populum alternis vicibus conclamantem, *Amen*. Idem fortasse chori significant, de quibus in Libro II Esdrae (*Cap. XII*), ex adverso siti, etc. etc. Hinc quod cl. Cari (*Antiq. Lib. Miss.*) notat ad Introitum Missae, nempe: « Antiphona.... accipitur pro ea reciproca laudis confessione, quam saepius canenti choro Levitarum, coetus plebis succinebat, dicens: *Quoniam in saeculum misericordia eius*. Cl. Martini (*Prefaz. al lib. dei salmi*) sapienter notat, cognitionem quidem non esse nobis Hebraeorum musicae, sed indubium esse in sacris conventibus concentos ab illis fuisse psalmos musice et instrumentorum sonitu. Psalmos autem, exactae seu metricae fuisse mensurae cum omnibus ille notat, quamvis ad nos variis de causis mensura non pervenerit. Metricos autem cantus alterne canere, adeo naturale est homini, ut contrarium agere naturae ipsi propemodum repugnare videatur. Idem a fortiori dicas de canticis et hymnis. Hunc autem morem latere non poterat Apostolos, neque plures inter Hebraeos, qui ab initio donum receperunt fidei. Quo ergo innixi fundamento asserere possumus, ignotum primis Christi asseclis fuisse alternum cantum, ut ab orientalibus ipsi ex necessitate didicerint? Psalmis, hymnis et canticis modulandis semper in eorum sacris conventibus dedisse operam fideles ab ipso Apostolorum aevo, vix est qui ambigat. Divus Paulus ad Ephesios (*Cap. V, v. 19*), sicut ad Colossenses

Serius initium habuit consuetudo antiphonas appellandi illas sententias plus minusve breves, psalmo antepositas et postpositas. Duplicem de hoc cl. Martene rationem tradit, hoc est: " Sive quia ad earum tonum psalmi alternis versibus concinantur: sive quia earum pars ab uno choro decantaretur, alia ab altero

---

(*Cap. III, v. 16*) atque ad Corinthios (*Cap. XIV, v. 26*) non obscure id docet, et hoc sensu communiter illius verba accipiuntur. Quare ergo etiam alternus cantus non admittitur eodem tempore? Beryerlinck (*Theatr. vitae humanae, verb.* psalm.) id probabile putat; sed parum id nobis apparet, qui facilius iudicamus cantum alternum a Synagoga per primos credentes in sacros conventus translatum fuisse, quam initium accepisse a divo Ignatio Antiocheno antistite. Plinius iunior Episcopi Ignatii coaevus (*an. 62-115*) de consuetudine alterne canendi palam loquitur: quod, ni fallimur, ante S. Ignatium illam extitisse demonstrat: « Soliti (*fideles*) stato die ante lucem convenire, CARMENQUE Christo quasi Deo DICERE SECUM INVICEM (*Epist. 97 Lib. X ad Traianum Imper.*) ». Ceterum ut praefatum cantandi modum induceret Ignatius in Ecclesiam suam, opus profecto non erat, ut ab angelorum visione acciperet, quippe qui nescire non poterat Isaiam dicentem de iisdem angelis: « Clamabat alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus etc. (*Cap. VI, n. 3*) ». Nec silendum, ipsas psalmorum modulationes ab Apostolis, hinc ab Hebraeis, a quibus illi eas didicerant, nobis derivasse, multorum opinionem esse: cui robur accedit maximum ex similitudine cantilenae, quam aliqui toni peculiariter habent, ut nostri antiquis Hebraeorum singularem relationem dicant. Haec satis sint, ut dicta, licet communis, opinio haud tanta dicenda sit evidentia freta, quod hic exposita gravioribus defendi momentis nequeat. Induxerit ergo alterne canendi consuetudinem Ignatius in antiochenam Ecclesiam, nihil obstat: imitatus eamdem sit Ambrosius in mediolanensi, et id concedimus: nonnullae aliae occidentales Ecclesiae ab illa eamdem quoque receperint consuetudinem, concedi et poterit: sed de omnibus et peculiariter de Romana id esse comprobatum, qui potest, credat: quantum nos videmus, ad hoc inducere animum non possumus.

(*Lib. I, cap. II, n. LIII*) „. Quidquid de hoc duplici momento dicendum sit, indubia res est, impraesenti antiphonae nomen diversa ab antiqua significatione gaudere: quod notatu dignum judicavimus, ut status quaestionis apprime dignoscatur. Itaque de antiphonis hac ultima significatione acceptis nobis disserendum est, antiqua significatione relicta, quae ad nos impraesentiarum non pertinet. Quid ergo de antiphonas intonandi usu dicendum? Fatendum nobis imprimis, auctores ferme omnes altum super hoc servare silentium, uti Ven. Beda, Grancolas, Cavalerium, multoque magis recentiores, uti A Carpo, De Herdt, docere contentos, eiusmodi usum suam antiquitatem praeseferre. Qualis autem ista sit antiquitas, non referunt. Unum invenimus aliquod subministrantem documentum antiquitatis, cl. Martene. Hic, postquam de hac altera antiphonae significatione lectores monuit, Regulam citat Pauli et Stephani (*cap. 14*) in qua edicitur, nemini praesumendum, antiphonas canere, nisi ex Sacra Scriptura desumptas. Aurelianum citat, cuius regula iubet: “ Perdictis psalmis, kyrie eleison, et antiphonas sex etc. „ ubi, sicuti patet, antiphonae distinguuntur a psalmis. Praeterea animadvertens, varium esse modum eiusmodi antiphonas concinendi, verba refert Regulae Cassiani (*Lib. I, cap. 8*), quae sic sonat: “ Cum stantes antiphonas tres concinuerunt, insidentes tres psalmos, uno modulante respondent (*De Antiq. Eccl. ritib. Tom. IV, Lib. I, cap. II, n. LIII*) „. Iam nunc, cum Cassianus iste, de quo cl. Martene, antiquus ille profecto sit monachorum Pater, qui circa saeculi quarti dimidium exortus maxime in quinto floruit, concludendum certo est, ante hanc aetatem usum incepisse vel in eadem, saltem apud monachos, intonandi antiphonas. Equidem ex relatis auctoritatibus de into-

natione aperte non constat: sed notandum, consuetudinem, ut unus praecinat, alii sequantur, quidquid canendum sit, semper extitisse, ut cantus beneverteret. Praeterea in Regula Magistri, uti supercitatus Martene docet (*Loc. cit. n. LIV*) legitur: " Post Abbatem Praepositi vicibus cum iussu ipsius imponant antiphonas (*cap. 46*) „. Imponere autem apud antiquos, sicut *levare*, *annuntiare*, idem est atque *incipere*, seu quod impraesenti dicimus *intonare*. Ab intonationis autem usu facile postea derivavit ipsa praeintonatio, cui fortasse naturalis primum causa initium dedit, maior dein solemnitas. Ait opportune Grancolas: " Antiphonae annuntiabantur, quia sine libro canebantur (*Comment. in Brev. Rom. Lib. I, cap. 30*) „. Addit autem: " Annuntiabantur vero illis, qui libro carebant; frustra siquidem illis annuntiarentur, qui antiphonarium prae oculis haberent „. Haec quidem naturalis causa; unus enim fortasse codex erat, in quo a cantoribus legebantur et canebantur antiphonae, quod certe Gregorii Papae aetate factum agnoscimus. Hinc qui peritiores erant, memoriter acceptam, nisi forte ex ipso antiphonario lectam, intonabant, quam monachus, deinceps Canonicus repetebat. Successu vero temporis factum est, ut initia antiphonarum in manualibus transcriberentur libris pro intonantibus; et usus praeintonationis, amplius licet non necessariae, adhuc perduraret, et ad usque aetatem praesentem perveniret.

Naturali causae successit ratio solemnitatis, quae effecit, ut in maioribus saltem festis nunquam praeintonatio deesset, quam demum ipsum Caeremoniale Episcoporum praescripsit. Cl. De Herdt huiusmodi causam explicite ponit, dicens: " Praeintonabantur antiphonae ad maiorem solemnitatem (*Prax. Pontif.*

Lib. II, n. 8) „. Et revera inficiandum non est, solemniorem haberi et esse rationem antiphonae a schola cantorum canendae, si prius praeintonetur atque intonetur, quam si cantores totam per seipsos exequerentur. Quod etiam luculentius apparet si tota caeremoniarum series perpendatur, quae ex praeintonatione et intonatione oritur.

Alia denique esse causa potuit, ut secura, quantum fieri posset, redderetur antiphonae intonatio, quam prosequi postea debebat cantorum schola. Uti enim falsum, seu extra tonum, antiphonae initium gravibus dare locum potest incommodis, ita intonationis securitas ad felicem totius antiphonae cantus exitum plurimum confert. Hinc concludi potest, praeintonationem et intonationem antiphonarum, functionis sacrae et cantus liturgici maiestatem augere.

Sed idem denique quaesitum petit, quaenam sint inter antiphonas et consequentes psalmos relationes. Profecto inter antiphonam et psalmum illi coniunctum maximum intercedere nexum, nemo ex peritis est qui nesciat. Est autem duplex, altera liturgica ista relatio, musicalis altera. Illa in eo consistit, quod antiphonae et psalmi conceptus ad festi quod attinet celebrationem, idem est (1). Quinimo saepe accidit, ut ex versu aliquo psalmi subsequentis antiphona constituatur. Recordatione dignum est quod Magnus Gre-

(1) Quemdam principaliter unamquamque antiphonam et psalmum respectivum conceptum prae aliis exprimere, notissimum est. Hinc norma, quae pro singulis ex octo liturgici cantus tonis assignatur: Primus *hilaris et suavis*, secundus *flebilis et aerumnosus*, tertius *acerrimus et severus*), quartus *amorosus et blandus*, quintus *iucundus et delectabilis*, sextus *pius et devotus*, septimus *querimoniosus*, octavus *magnanimus et felix*.

gorius de quodam monacho refert (*Dial. IV, c. 34*), hunc scilicet praecepisse morientem, ut confratres psallerent coram se, praecedentem nihilominus antiphonam ipsemet per se est executus, canens: Aperite mihi portas iustitiae, et ingressus in eas confitebor Domino: haec porta Domini, iusti intrabunt in eam (*psal. 117, v. 19*). Voluit ergo felix ille monachus laetitiae sensus cum psalmi cantu exprimi, et ab antiphona incepit.

Altera relatio quae musicalis dicitur, sita est in tono, qui, seu in antiphona seu in psalmo, idem esse debet: ut consequenter quaedam inter antiphonam et psalmum melodiae conformitas non desit, illiusque melodia ab huius dependeat. Ita ex. gr. finalis nota antiphonae cum initialibus psalmi connectitur (1): ut difficilioris intonationis sit psalmus, satisque auribus molestae, si eius initium aliud sit ab illo, quod antiphonae finalis nota exigit. Intervalla antiphonae cuiusque propria, cum tono respectivo connectuntur, in quo canendus est psalmus sequens. Saepius initialis nota psalmi eadem est cum ipsa initiali antiphonae, vel semper altera in relatione est cum altera. Ex qui-

---

(1) Psalmi uniuscuiusque initium in illis habetur versibus exametris, satis superque notis liturgici cantus peritis, quos referre iuvet:

Primus cum *sexto* Fa Sol La semper habetur:
La Sol La *quartus*: Fa La Do sit tibi *quintus*:
Tertius, octavus Sol La Do: sitque *secundus*
Do Re Fa: Do Si Do Re tibi *septimus* esto.

Finales autem notae antiphonarum, sequentes sunt: primi et secundi toni, Re: tertii et quarti, Mi: quinti et sexti, Fa: septimi et octavi, Sol.

bus omnibus maxima resultat inter psalmum et antiphonam conformitas, et quodammodo melodiae unitas. Hinc iure merito appellatur antiphona *praeludium ad cantum:* quanta autem esse relatio debeat inter praeludium rei alicuius, eamdemque rem, unicuique patet.

II. Quaeritur secundo, quid seu circa antiphonarum intonationem, seu circa initium cantus psalmorum, in Matutinis Tenebrarum, liturgici codices praescribant.

Codices liturgici ad rem facientes, tres sunt: Caeremoniale Episcoporum, Directorium chori, et Vesperale: primus codex antiphonas intonandas respicit, alii duo antiphonas et psalmos. Ad primum quod spectat; ita se exprimit (*Lib. II, cap. 22, n. 3*): " Episcopus.... dicit.... *Pater noster*, *Ave Maria* et *Credo*.... tum ipse sibi caput tegit eodem caputio, et sic stat quousque ad eius nutum chorus dixerit antiphonam *Zelus domus tuae etc.* qua finita, et incepto psalmo, sedet „. Nunc quaerimus: vi huiusce verborum legis antiphona *Zelus domus tuae* debetne intonari? An a se intonat ipsa schola cantorum, seu moderator cantus? Hoc alterum nobis certum videtur. Namque si ab alio haec antiphona intonanda esset, quam a schola cantorum, ab Episcopo, citra dubium, cum primus sit, intonanda foret. Atqui lex tantum dicit, Episcopum nutum facere, ut chorus dicat antiphonam, qua finita, illi sedendum; ergo vi legis excluditur intonatio. Hinc cl. De Herdt iure merito animadvertit, iuxta Caeremoniale, Episcopum in Laudibus surgere tantum ad *Benedictus;* ergo antiphonam intonare non debet, in qua illi surgendum quoque esset (*Prax. Pontif. Tom. III, cap. 22, n. 6, lit. d*). Conclusionis huiusce aequitas confirmationem recipit a Caeremoniali S. R. Ecclesiae (*Lib. 2, cap. 42, § 3 et cap. 43*), quod praelaudatus

De Herdt citat (*Loc. cit.*) et cuius sequentia verba sunt: " Cum Papa pervenerit, etc. dicit secreto *Pater noster:* quo completo, caput sibi ipsi cooperit, et cantores incipiunt pro Matutinis, Zelus domus tuae „. Eadem ferme ibi leguntur verba pro Matutinis, absente Pontifice, in sequenti capite. Accedit alia similitudinis ratio, quae in modo servando consistit, quem idem Caeremoniale Episcoporum praescribit in Vesperis defunctorum. Ibi namque ait Rubrica: " Chorus incipit antiphonam *Placebo Domino etc.* illam integre recitando (*Lib. II, cap. 10, n. 3*) „. S. R. C. insuper servandum iubet in casu ritum Caeremonialis Romani: qui profecto est, antiphonam a schola cantorum, ut vidimus, incipiendam (*Maioricen. 6 Maii 1679 ad 10*). Addas, Rubricam, quando antiphonas intonandas praescribit, longe aliter se exprimere, uti ex pluribus locis Caeremonialis apertissime constat. In initio Vesperarum Pontificalium, ex. gr. ait: " Subdiaconus praeintonat primam antiphonam, et stat donec per Episcopum non fuerit praeintonatio repetita (*Lib. II, cap. 1, n. 7*) „. Ad Magnificat, ait: " Subdiaconus, seu alter etc. praeintonat antiphonam, qua repetita, Episcopus sedet (*Loc. cit. n. 12*) „ Ita et alibi passim. Auctoritas non deest cl. Martinucci, de Matutinis Tenebrarum ita scribentis: " Caeremoniarius... postquam dictum est *Pater*, *Ave* et *Credo*, innuet cantoribus, ut statim primam antiphonam primi Nocturni cantare incipiant (*Vol. II, cap. XXIV, n. 7*) „.

Equidem non diffitemur, aliquos esse auctores, qui praeintonationem in his etiam Matutinis exigunt, uti Meratus (*Sect. 6, cap. 13, n. 2*), Bauldrius (*pars 4, cap. 8, n. 9 et 10*), Castaldus (*Lib. 3, sect. 6, cap. 1, n. 6*), quos De Herdt citat, et fortasse alii. Verumtamen hi quidem affirmant, sed nihil probant; cumque

legem viderimus manifesto excludentem intonationem antiphonarum in casu, liceat cum bona eorum venia sententiam sustinere oppositam, aliamque ab iis defensam reiicere, utpote nulli legis fundamento innixam (1).

Transeamus ad aliam quaesiti partem, ut videamus, quid codices liturgici statuant circa psalmorum intonationes, qui sequuntur antiphonarum cantum. Animadvertendum imprimis, ad hoc quod pertinet negotium, inter psalmorum intonationes quae faciendae sunt in Matutinis Tenebrarum, et quae in aliis eiusdem naturae functionibus praescribuntur, nullum discrimen intercedere, ut eaedem in omnibus, si dentur, normae, servandae sint. Iam nunc indubium est, psalmos post antiphonas non esse intonandos ex cantorum arbitrio vel placito, sed prouti in liturgicis codicibus indicatur. Sane *Vesperale Romanum* dicit: " Psalmi decantari debent a choro et ab ipsis Canonicis et Beneficiatis, aliisque de Capitulo, in tono et cantu Gregoriano „. Directorium chori habet: " Ad Matutinum... psalmus intonari debet uti in Directorio ponitur post principium (2) cuiuslibet antiphonae „. Aut ergo Vesperae, vel etiam Matutini musica figurata concinuntur, aut cantu liturgico: si primum, Directorii nor-

(1) Emus Parocchi Academiae Praeses discussioni aderat, et sententiam dictam, legi apprime conformem approbavit; immo contrariam in Ecclesia S. Apollinaris, quae Seminarii Romani est, consuetudinem sua auctoritate eodem anno, Tenebrarum Matutinis recurrentibus, reformatam de facto voluit.

(2) *Post principium* ponitur, quia Directorium chori solas antiphonarum initiales fert notas, quae in illis intonandis cantari debent: post intonationem vero cantorum schola totam prosequitur antiphonam, quam sequitur intonatio psalmi.

mae locum quidem habere possent, sed cum alius sit cantus a liturgico, Directorium non tenet: si vero alterum, Directorii regulae sequendae sunt, ut incommoda vitentur, de quibus superius dictum est. Haec enim ratio, ob quam maxima cum perspicuitate et codices inscribuntur et normae traduntur. Ceterum supponere in cantoribus libertatem, proprio marte canendi, et alios quam inscriptos modulandi tonos, id profecto esset normas invertere statutas in codicibus, gravibusque cantum inordinationibus pessundare cum maximo liturgicarum functionum dedecore (1).

III. Quaeritur tertio, quid de consuetudinibus, prout in casu, iudicari debeat.

Reponendum ante omnia, cantores, qui ad psal-

---

(1) Primi ac secundi Modi antiphonae cum Re finiunt, a quo pro primi Modi psalmi intonatione ad Fa Sol La scanditur: pro alterius vero descenditur ad Do, inde iterum ascenditur ad Re Fa. Melodiae tertii ac quarti Modi finem habent in Mi, a qua pro tertii Modi intonando psalmo ascenditur ad Sol La Do: pro intonando autem quarti Modi psalmo scanditur ad La Sol La. Antiphonae quinti ac sexti Modi terminant in Fa; utriusque autem Modi intonatio ab ipsa incipit finali Fa, caniturque quintus Fa La Do, sextus vero Fa Sol La. Septimus octavusque Modus habent pro finali Sol: psalmi vero intonatio pro septimo ascendit ad Do Si Do Re, pro octavo vero manet in ipsa finali Sol, dicitque Sol La Do, sicut tertius. Ut autem uniformis in cunctis, seu Vesperarum, seu Matutini psalmis cantus haberi possit, quamvis diversae sint melodiae, antiqui hanc nobis tradiderunt normam: Psalmi qui canitur tonus, seu elatio vocis, quae ab uniuscuiusque psalmi *Dominante* nota dimetitur, retineatur immutata in psalmo sequenti, qui canendus est, sicut in reliquis. Ab unius tamen Modi nota *Dominante* fiat ad sequentis psalmi *Dominantem* transitus, solo *Dominantis* antecedentis psalmi nomine in sequentem mutato. *Dominantes* autem notae cuiusque Modi sunt ut sequitur: pro primo La, pro secundo Fa, pro tertio Do, pro quarto La, pro quinto Do, pro sexto La, pro septimo Re, pro octavo Sol.

mos intonandos destinati sunt, excusari non posse, nisi ex imperitia, quae in casu nihilominus maximae gravitatis incusatio foret. Psalmos enim haud iuxta normas in codicibus traditas, sed ex arbitro, commentitiaque ratione intonant, quod est omnino contra legem. Hinc consuetudo, quae invocatur, esto inveterata, abusus et corruptela tantum appellari potest, quae abolenda est. Namque tribus, quae requiruntur, conditionibus, ut servari aliqua consuetudo queat, illa de qua in casu, prorsus destituitur. Sane, defendi primo certe non potest, cum aperte praescriptionibus Vesperalis, chorique Directorii ipsa repugnet; consuetudines autem, seu abusus id genus, vi Decretorum, servari nunquam possunt. Secundo laudabilis esse nequit, non solum quia Rubricis opposita, sed etiam quia nullum venerationis augmentum affert sacris Ritibus, vel divino cultui, immo eisdem Ritibus Deique cultui iniuriam infert. Liturgicas enim functiones pessumdat, earumque maiestatem, quae ex liturgicis modulationibus maxime derivat, minuit et labefactat. Tertio, nihil obstat, si inveterata eiusmodi consuetudo dicitur, ex iis quae iam exposuimus; et etiam quia originem nonnisi ex negligentia, inertia, et imperitia trahit.

Quid autem de alia consuetudine, vi cuius antiphonae intonantur, cum lex hanc intonationem excludat? Quae de prima diximus, dici profecto de ista nequeunt. Si legi Caeremoniali ad apicem iuris inhaerere velimus, intonatio citra dubium omittenda. Idem concludendum, si in adductis in medium rationibus ad secundam responsionem velimus insistere. Nihilominus, cum plures omnique reverentia dignae non desint Ecclesiae, etiam in Urbe, contrariam tenentes consuetudinem, quae satis longaeva est, laude *per se* digna,

et Rubricae Caeremonialis Episcoporum *aperte* non repugnans, damnanda, severius loquentes, ipsa non videtur.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. n. 4, pag. 230.*)

§ 2.

DE RITIBUS IN CELEBRANDO MATRIMONIO.

Quaeres 1. Quinam sint ritus quibus Matrimonii Sacramentum celebratur?

Resp. 1. Ex parte Sacerdotis aliqui explendi sunt ritus, alii ex parte contrahentium. Ille superpelliceo et stola alba induitur: si vero danda sit benedictio nuptiarum, paramenta, manipulo excepto, pro Missa, assumit: exquirit, sub praescripta in Rituali formula, consensum a sponsis: manu eos benedicit notam formulam proferens, et annuli, quem sponso deinde tradit, benedictionem peragit: recitat reliquas preces, quas post eam Rituale habet.

2. Ex parte contrahentium: decenter vestiti, dant consensum apud gradus altaris, dexteras invicem iungunt, sponsus recipit benedictum annulum de manu Sacerdotis, et annulari sponsae digito imponit.

Quaeres 2. Quonam idiomate interrogandi sint sponsi?

Resp. Rituale Romanum explicite docet, eos esse interrogandos vulgari sermone (*Tit. VII, cap. 2, n. 1*). Ratio est quia maxime interest, ut intelligant quae audiunt ab interrogante, uti et intelligant, seu inter-

rogationes seu responsiones, praesentes, qui esse debent, testes. Hinc exceptio huiusmodi in aliis locum non habet Sacramentis, in quibus liturgicum idioma Rituale praecipit.

Quaeres 3. Utrum latine interrogari possint sponsi?

Resp. Baruffaldus affirmative respondet, si linguam Latii sponsi callerent (*Tit. 42*, § *1*, *n. 11*). Sed in re tanti momenti nil consultius, quam Rituali adhaerere, iubenti, sponsos vulgari sermone esse interrogandos (*Loc. cit. n. 1*).

Quaeres 4. Utrum nomine et cognomine sponsi interrogari valeant?

Resp. Affirmative, cum nihil obstet. Rituale quidem de solo nomine loquitur; sed ad abundantiam et cognomen nominari potest, ait Baruffaldus, ut omnis amoveatur circa personam error.

Quaeres 5. Utrum uterque sponsus interrogandus sit de consensu?

Resp. Affirmative, idque explicite praescribit Rituale Romanum (*Loc. cit. n. 2*); cum enim sit Matrimonium contractus obligatorius, necessum est, ut utraque pars contrahens expetatur, detque consensum ad contractum magis magisque firmandum.

Quaeres 6. Quid per utriusque dexterae iunctionem significetur?

Resp. Dexteras sponsi iungunt ad mutuam exprimendam fidem: externum enim eiusmodi signum ad id ostendendum communiter adhibetur, ad Tobiae exemplum et Sarae, quorum dexteras Sacerdos iunxit (*Cap. VIII, ver. 15*). Ad fidem autem securius ad invicem obtinendam, iunctis dexteris, Parochus nota verba pronuntiat: *Ego coniungo vos,* etc. sponsos benedicens et aqua lustrali deinde aspergens.

Quaeres 7. Quid annulus significet?

Resp. Signum est fidei annulus et unionis, ut in fidei signum sponsae tradatur. S. Isidorus ait: " Illud vero quod imprimis annulus a sponso sponsae datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuae fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda iungantur (*Lib. de Eccl. Off. cap. 19*) „. Sponsae autem datur, utpote magis fragili viro.

Quaeres 8. Ex quanam materia annulus esse possit?

Resp. Cum ex Rituali annuli materia non sit determinata, libera est, et quaecumque esse potest, sive ex auro, sive ex argento, sive ex aurichalco, vel etiam ligno, absolute loquendo, prout facultas sponsorum sinit; utcumque enim sit, id valet significare, ad quod adhibetur.

Quaeres 9. Utrum ritus benedicendi annuli servandus semper sit in celebratione huius Sacramenti?

Resp. Affirmative. Id enim ex S. R. Congñe apprime constat, sive in *Rhedonen.* (*3 Aug. 1836, ad 2*), sive in *Barcinonen.* ad III: quibus declarat, ut posita sponsorum paupertate, aut Parochus aliquem annulum semper in promptu benedicendum habeat, aut ex infimo metallo sponsi aliquem sibi provideant (*4 Maii 1882*).

Inferes eumdem annulum pluries posse, non tamen in eodem Matrimonio, benedici, sed benedictionis huiusce ritum non esse omittendum. Quem ritum, licet ultimae preces non constituant *Confirma*, etc. nihilominus omittendae nunquam sunt.

Quaeres 10. Utrum praeter ritus, quos habet Rituale Romanum, alii adhiberi licite in hoc Sacramento valeant?

Resp. Affirmative. Namque cum Tridentino Rituale Romanum optat, ut si ultra praedictas aliae lauda-

biles in locis vigeant caeremoniae et consuetudines, retineantur (*Loc. cit. n. 5*). Utrum autem hae in locis sint nec ne laudabiles, nemo iudex quam Episcopus Ordinarius, aptior, nisi eadem interpelletur S. R. C.

§ 3.

DE NUPTIARUM BENEDICTIONE.

Quaeres 1. Quid sub Nuptiarum benedictione veniat?

Resp. Benedictio Nuptiarum: " consistit in Orationibus, quae habentur in Missali, *Propitiare, Domine,* etc. et *Deus qui potestate,* etc. dicendae ante *Libera nos,* etc. nec non in tertia *Deus Abraham,* dicenda ante benedictionem (*S. R. C. 3 Dec. 1892 ad 1*) ".

Quaeres 2. Utrum Nuptiae semper, aut quaenam, benedicendae?

Resp. 1. Negative, cum Rituale Romanum supponat, eas non esse aliquando benedicendas, dicens: " Si benedicendae sint nuptiae (*Loc. cit. n. 4*) ". Patet ceterum, praeter alia momenta, ex quovis tempore, quo nuptiae celebrari possunt, cum nihilominus, haud omni tempore, benedici queant. Optima ratio sapientissime favet dispositioni Ecclesiae; cum dentur nuptiae, in quibus plena significatio deficit, quae in unione consistit Christi cum Ecclesia, haec autem unica fuit. Illas autem nuptias non consuevit Ecclesia benedicere.

Resp. 2. Cum nuptiarum benedictio mulierem peculiariter respiciat, uti constat ex Orationibus, ex quibus constituitur, eae tantum nuptiae benedici possunt, quas prima vice mulier contrahit, vel tantum secundae, si in primis benedictio omissa fuit. Imo ipsas

primas mulieris nuptias, si secundae sint ex parte viri, benedicendas non esse praecipit Rituale Romanum, nisi consuetudo id agendi in loco vigeat (*Tit. VII, cap. 1, n. 15*). Quam tamen conditionem abstulit Decretum S. R. Inquisitionis, d. d. 31 Aug. 1881: ut quoties mulier benedicta non fuerit, semper sit benedicenda in secundis vel etiam tertiis nuptiis, post Matrimonium rite celebratum.

Quod pia mater Ecclesia indulget, forte ut fragilitati humanae consulat, ne mulier benedictione privetur ex qua tanta ei vis derivat ad laqueos Satanae vitandos, Evaeque maledictionis effectus removendos. Hinc et in eodem decreto statuitur, ut non denegetur benedictio nuptiarum, quamvis mulier iam cum viro suo post Matrimonium cohabitaverit: licet Rituale Romanum Parochum doceat, monendos ei esse coniuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent (*Tit. VII, cap. 1, n. 14*).

Quaeres 3. Quibus in rerum adiunctis benedictionis nuptialis dari possit?

Resp. Nuptiae benedici nequeunt, nisi infra Missam per Orationes, quas superius innuimus, prouti habet Missale Romanum. Constat ex Decreto S. R. Inquisitionis superius citato, quod dicit: " Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum, in Missa pro sponso et sponsa impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra Missae celebrationem iuxta Rubricas „. Recentius S. R. Congregationis decretum, superius relatum id confirmat (*ad 2*); ad Dubium enim, utrum benedictio nuptialis possit separari *a Missa, ita ut extra hanc impertiri possit*, respondet: " Negative „. Quae Ritualis manifeste confirmant legem (*Tit. VII, cap. 3, n. 4*).

Quaeres 4. Utrum repeti benedictio debeat, positis nuptiis invalidis?

Resp. Probabilius negative, haec enim benedictio, non ad nuptias sed ad personas fertur, ait Quartus (*Tom. IV, cap. XV, n. 4*), cum eoque concordat De Herdt (*pars 4, n. 277*); hinc, positis etiam invalidis nuptiis, mulier fuit et manet benedicta.

Quaeres 5. Quinam dare huiusmodi benedictionem valeat?

Resp. Solus sponsorum Parochus, qui huiusce benedictionis nuptialis est minister: alius autem Sacerdos nonnisi de Parochi vel Ordinarii venia. Ita post Tridentinam Synodum Rituale Romanum (*Tit. VII, cap. 1, n. 5*).

Quaeres 6. Utrum benedictio nuptiarum a Celebrante dari possit, qui Matrimonium non benedixit?

Resp. Non videtur dubitandum, quia duo sunt ita prorsus distincta, ut nihil obstet, quominus alter consensum audiat superpelliceo tamen et stola indutus, alter Missam postea faciat, modo iure id possit, et benedictionem impertiat. Ita Cavalerius (*Tom. IV, cap. XV, num. 5*).

Quaeres 7. Quid Parocho agendum, si sponsi tempore clauso Matrimonium celebrent?

Resp. Cum tempore clauso benedictio nuptiarum sit prohibita, curandum est Parocho, ut illo elapso, coniuges ad templum redeant benedictionem recepturi. Quod etiam faciet, si domi Sacramentum sponsi celebraverint, cum benedictioniis nuptiarum locus, sit Ecclesia (*Rit. Rom. Loc. cit. n. 16, et Decr. super. cit. S. U. Inquis.*).

SPECIMEN KALENDARII
UNIVERSALIS ECCLESIAE
PRO ANNO 1894.

in quo PASCHA contingit die 25 Martii.

Tabella Temporaria

Littera Dominicalis.	G.
Aureus Numerus	14.
Epacta.	XXIII.
Littera Martyrologii (*magna*)	D.
Indictio Romana	VII.
Dominicae post Epiphaniam	N. 2.

Festa Mobilia

Septuagesima.	21 Jan.
Dies Cinerum.	7 Febr.
Pascha Resurrectionis. . .	25 Mart.
Rogationes . . 30 Apr.	1, 2 Maii.
Ascensio Domini	3 Maii.
Pentecostes	13 Maii.
Corpus Christi	24 Maii.
Dominicae post Pentecosten	N. 28.
Dominica 1. Adventus .	2 Decem.

Quatuor Anni Tempora

In vere.	14, 16, 17 Febr.
In aestate	16, 18, 19 Maii.
In autumno . .	19, 21, 22 Sept.
In hyeme	19, 21, 22 Decem.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT.

A die 7 Ianuarii usque ad diem 6 Februarii inclusive et a die 2 Aprilis usque ad diem 1 Decembris pariter inclusive.

JANUARIUS.

✠ 1. F. 2. CIRCUMC. D.NI *d. 2. cl.*
2. F. 3. Oct. Stephani *dup.* com. octavar.
3. F. 4. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4. F. 5. Oct. Innoc. *d.*
5. F. 6. Vig. Epiph. *sem.* c. Telesphori.

✠ 6. S. **Epiphania D.ni** *dup. 1. cl. cum oct. priv.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

✠ 7. D. infra oct. *sem. Inc. Ep. I. ad Corinth.*
8. F. 2. De 2. die infra oct. *sem.*
9. F. 3. De 3. die infra oct. *sem.*
10. F. 4. De 4. die infra oct. *sem.*
11. F. 5. De 5. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
12. F. 6. De 6. die infra oct. *sem.*
13. S. Oct. Epiph. *d.*

✠ 14. D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Felicis in Laud. et Miss. priv.)
15. F. 2. Pauli 1. Er. *d. Inc. Ep. II. ad Corinth.* (ex Dom. praec.) c. Mauri.
16. F. 3. Marcelli I. *sem.* — *Resumuntur Suffragia.*
17. F. 4. Antonii *d.*
18. F. 5. Cathedra Rom. *d. m.* c. Pauli et Priscae.
19. F. 6. Canuti *sem. ad lib.* c. Marii et Soc.
20. S. Fabiani et Sebastiani *d.*

✠ 21. D. SEPTUAGESIMAE *2. cl. sem.* c. Agnetis.
22. F. 2. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*)
23. F. 3. Raymundi *sem.* c. Eme-

rentianae. — *aliq. locis* Orationis Dñi *d. m.* c. (Raymundi et) Emerentianae.
24. F. 4. Timothei *d.*
25. F. 5. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri.
26. F. 6. Polycarpi *d.*
27. S. Io. Chrysostomi *d.*
✠ 28. D. Sexagesimae *2. cl. sem.* c. Agnetis.
29. F. 2. Francisci Salesii *d.*
30. F. 3. Martinae *sem.* (Romae *d.*) — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* c. Martinae.
31. F. 4. Petri Nolasco *d.*

FEBRUARIUS.

1. F. 5. Ignatii *d.*
✠ 2. F. 6. Purificatio B. M. V. *d. 2. cl.*
3. S. Hilarii *d.* (*f. 14 Jan.*) c. Blasii. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Desponsatio B. M. V. *d. m.* (*f. 23 Ian.*) c. Ioseph et Blasii.
✠ 4. D. Quinquagesimae *2. cl. sem.* c. Andreae Corsini.
5. F. 2. Agathae *d.*
6. F. 3. Titi *d.* c. Dorotheae. — *In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.* c. Dorotheae.

Cras claudunturv nuptiae.

7. F. 4. Cinerum *simp.* c. Romualdi.
8. F. 5. Ioannis de Matha *d*· (per tot. Quadr. in off. de Ss· dicitur IX. lectio et fit com· feriae).
9. F. 6. Cyrilli Alexandr. *d.* c. Apolloniae. — *In Stat. Eccl.* Titi *d.* (*ass. ex 6 huj.*) c. Apolloniae. — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.* c. (Titi et) Apolloniae.
10. S. Scholasticae *d.*

Incipit pars verna breviarii.

✠ 11. D. 1. Quadrag. *1. cl. sem.* c. VII Fundatorum.
12. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *In Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandr. *d.* (*ass. ex 9 huj.*) — *aliq. loc.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*)
13. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. *In Stat. Eccl.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*) — *aliq. loc.* Hilarii *d.* (*f. 14 Ian.*)
14. F. 4. Quat. Temp. De ea — *vel* Vot. Ioseph c. Valentini — *In Stat. Eccl.* Hilarii *d.* (*f. 14 Ian.*) c. Valentini — *aliq. loc.* Cyrilli Alexandr. *d.* (*f. 9 hui.*) c. Valentini.
15. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti c. Faustini et Iovitae.
16. F. 6. Quat. Temp. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor. *d. m.*
17. S. Quat. Temp. De eo — *vel* Vot. Immac. Concept.
✠ 18. D. 2. Quadrag. *2. cl. sem.* c. Simeonis.
19. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
20. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
21. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
22. F. 5. Cathedra Antioch. *d. m.* c. Pauli.
23. F. 6. Vig. Petri Damiani *d.* (c. Vig. in Miss. tant.) *aliq. loc.* Sindonis Dñi *d. m.* (c. Vig.)
† 24. S. Mathiae *d. 2. cl.*
✠ 25. D. 3. Quadrag. *2. cl. sem.* — *In Italia et aliq. loc.* c. Margaritae Corton.
26. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

— *aliq. loc.* Petri Damiani *d.* (*f. 23 huj.*)
27. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apostol.
28. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

MARTIUS

1. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
2. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Quinque Vulner. Dñi *d. m.*
3. S. De eo — *vel* Vot. Immacul. Concept.
✠ 4. D. 4. QUADRAG. *2. cl. sem.* c. Casimiri et Lucii I.
5. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
6. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
7. F. 4. Thomae Aquinatis *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.
8. F. 5. Ioannis de Deo *d.*
9. F. 6. Franciscae Rom. *d.* — *aliq. loc.* Pretios. Sanguinis Dñi *d. m.* c. Franciscae Rom.
10. S. Quadraginta Mm. *sem.*
✠ 11. D. PASSIONIS *1. cl. sem.* « Cessant Suffragia et Off. vot. »
12. F. 2. Gregorii I. *d.*
13. F. 3. De ea.
14. F. 4. De ea.
15. F. 5. De ea.
16. F. 6. Septem dolorum B. M. V. *d. m.*
17. S. Patritii *d.*
✠ 18. D. PALMARUM *1. cl. sem.*
✠ 19. F. 2. maj. hebd. De ea.
20. F. 3. maj. hebd. De ea.
21. F. 4. maj. hebd. De ea.
22. F. 5. in COENA DOMINI *d. 1. cl.* (*In Italia* nihil de Catharina Flisca Adurna).
23. F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.*
24. SAB. SANCTUM *d. 1. cl.*
✠ 25. D. **Pascha Resurr.** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 26. F. 2. DE EA *d. 1. cl.*
† 27. F. 3. DE EA *d. 1. cl.*
28. F. 4. De ea *sem.* c. Ioannis a Capistrano.
29. F. 5. De ea *sem.*
30. F. 6. De ea *sem.*
31. S. De eo *sem.*

APRILIS.

✠ 1. D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *dup.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

2. F. 2. ANNUNTIATIO B. M. V. *d. 2. cl.* (*f. 25 Mart.*) c. Francisci a Paula.
3. F. 3. Benedicti *d. m.* (*f. 21. Mart.*) — *aliq. loc.* Gabrielis Archang. *d. m.* (*f. 18 Mart.*)
4. F. 4. IOSEPH *d. 1. cl.* (*f. 19 Mart.*)
5. F. 5. Vincentii Ferrerii *d.* *Inc. lib. Act. Ap.* (ex fer. 2. praec.)
6. F. 6. Cyrilli Hieros. *d.* (*f. 18 Mart.*) — *aliq. loc.* Benedicti *d. m.* (*f. 21 Mart.*)
7. S. Ioannis Damasceni *d.* (*f. 27 Mart.*) — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *d.* (*f. 20 Mart. ass. ex 18*)
✠ 8. D. 2. p. Pascha. De ea *sem.*
9. F. 2. Isidori *d.* (*f. 4 huius*) — *aliq. loc.* Ioannis Damasceni *d.* (*f. 27 Mart.*)
10. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apostol. — *aliq. loc.* Isidori *d.* (*f. 4 huius*)
11. F. 4. Leonis I. *d.*
12. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
13. F. 6. Hermenegildi *sem.*
14. S. Iustini *d.* c. Tiburtii et Soc.

✠ 15. D. 3. p. Pascha. PATROCINIUM IOSEPH *d. 2. cl.* c. Dom.
16. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. *Inc. lib. Apocal.* (ex Dom. praec.)
17. F. 3. Aniceti *simpl.*— *vel* Vot. Apost. c. Aniceti.
18. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
19. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
20. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
21. S. Anselmi *d.*
✠ 22. D. 4. p. Pascha. De ea *sem. Inc. Ep. Iacobi* — c. Soteris et Caji.
23. F. 2. Georgii *sem.*
24. F. 3. Fidelis a Sigm. *d.*
25. F. 4. MARCI *d. 2. cl.*
26. F. 5. Cleti et Marcellini *sem.* — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.*
27. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini *sem.* (*assign. ex heri*).
28. S. Pauli a Cruce *d.* c. Vitalis.
✠ 29. D. 5. p. Pascha. Petri M. *d. Incip. Ep. I. Petri* c. Dom.
30. F. 2. ROGAT. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*) c. fer.

MAIUS.

† 1. F. 3. ROGAT. PHILIPPI ET IACOBI *d. 2. cl.* (c. fer. in Miss. tant.)
2. F. 4. ROGAT. Vig. Ascens. Athanasii *d.* c. Vig. (In Miss. 3. or. fer.)
✠ 3. F. 5. **Ascensio D.ni** *d. 1. cl. cum oct.* (nihil de Alexandro I. et Soc.)
4. F. 6. Monicae *d. Inc. Ep. II. Petri* c. oct.
5. S. Pii V. *d.* c. oct.
✠ 6. D. infra oct. Ioannis ante P. L. *d. m. Inc. Ep. I. Ioannis* c. Dom. et oct.
7. F. 2. Stanislai *d.* c. oct.
8. F. 3. Appar. Michaelis Arch. *d. m.* c. oct.
9. F. 4. Gregorii Nazianzeni *d. Inc. Ep. II. Ioannis* c. oct.
10. F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Antonini ac Gordiani et Epimachi.
11. F. 6. INVENTIO CRUCIS *d. 2. cl.* (*f. 3 huius*)
12. S. Vig. Pentec. De ea *sem.* lect. I. Noct. 1. *Inc. Ep. III. Ioannis* (ex fer. 6. praec.) 2. et 3. *Inc. Ep. Iudae* (ex Sabb. curr.) c. Nerei et Soc. in Off. tant. « Cessant Octavae ».
✠ 13. D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 14. F. 2. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Bonifacio).
† 15. F. 3. DE EA *d. 1. cl.* (*aliq. loc.* nihil de Isidoro Agric.)
16. F. 4. QUAT. TEMP. De ea *sem.* c. Ubaldi — *aliq. loc.* loco Ubaldi c. Ioan. Nepomuceni.
17. F. 5. De ea *sem.* c. Paschalis Baylon.
18. F. 6. QUAT. TEMP. De ea *sem.* c. Venantii.
19. S. QUAT. TEMP. De eo *sem.* c. Petri Caelestini et Pudentianae. « Explicit tempus Paschale ».

INCIPIT PARS AESTIVA BREVIARII.

✠ 20. D. TRINITATIS *d. 2. cl.* c. Dom. et Bernardini.
21. F. 2. De ea, *vel* Vot. Angel. *Inc. lib. 1. Reg.* « Resumuntur Suffragia » *In Italia* Felicis a Cantalicio *sem.* —

aliq. loc. Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 huius*)

22. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Italia* Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 hui.*)

23. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

✠ 24. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. priv. – aliq. loc. cum oct. priv. ut Epiph.*

25. F. 6. Gregorii VII. *d.* c. oct. et Urbani I.

26. S. Philippi Nerii *d.* c. oct. et Eleutherii. — Romae ✠ *et d. 2. cl.* c. oct. (ac Eleutherii in Laud. et Miss. priv.)

✠ 27. D. infra oct. De ea *sem.* c. oct., M. Magdalenae de Pazzis et Ioannis I. — *In Italia* M. Magdalenae de Pazzis *d.* c. Dom., oct. et Ioannis I.

28. F. 2. Augustini Cantuar. *d.* c. oct

29. F. 3. De oct. *sem.*

30. F. 4. De oct. *sem.* c. Felicis I. — *In Stat. Eccl.* c. Ferdinandi *sem.* et Felicis I.

31. F. 5. Oct. Corporis Chr. *d.* c. Angelae Merici et Petronillae.

IUNIUS.

1. F. 6. **Cordis Iesu** *d. 1. cl.*

2. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Immac. Concept. c. Marcellini et Soc. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* B.M.V. Auxilium Christ. *d. m.* (*f. 24 Mai.*) c. Marcellini et Soc.

✠ 3. D. 3. p. Pentec. De ea *sem.*

4. F. 2. Francisci Caracciolo *d.*

5. F. 3. Bonifacii *d.*

6. F. 4. Norberti *d.*

7. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.

8. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion.

9. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Primi et Feliciani.

✠ 10. D. 4. p. Pent. De ea *sem.* c. Margaritae Regin.

11. F. 2. Barnabae *d. m.*

12. F. 3. Ioannis a S. Fac. *d.* c. Basilidis et Soc.

13. F. 4. Antonii a Padua *d.*

14. F. 5. Basilii *d.*

15. F. 6. Viti et Soc. *simp.* — *vel* Vot. Passionis c. Viti et Soc.

16. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 17. D. 5. p. Pent. De ea *sem.* *Inc. lib. II. Reg.*

18. F. 2. Marci et Marcelliani *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Marci et Marcelliani.

19. F. 3. Julianae de Falcon. *d.* c. Gervasii et Protasii.

20. F. 4. Silverii *simp.* — *vel* Vot. Ioseph c. Silverii.

21. F. 5. Aloisii *d.*

22. F. 6. Paulini *simp.* — *vel* Vot. Passionis c. Paulini.

23. S. Vigilia. De ea — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil.

✠ 24. D. 6. p. Pent. **Ioannis Baptistae** *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.

25. F. 2. Gulielmi *d.* c. oct.

26. F. 3. Ioan. et Pauli *d.* c. oct.

27. F. 4. De oct. *sem.*

28. F. 5. Vig. Leonis II. *sem.* c. oct. et Vig.

✠ 29. F. 6. **Petri et Pauli** App. *d. 1. cl. cum oct. — aliq. loc.* c. omn. App.

30. S. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri et oct. Ioann.

IULIUS.

✠ 1. D. 7. p. Pent. Pretios. Sanguinis Dñi *d. 2. cl.* c. diei oct. Ioann. et Dom. (Romae addit. etiam com. oct. Ss. Ap. *et ita die seq. ante com. simpl.*)

2. F. 2. VISITATIO B. M. V. *d. 2. cl.* c. Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.

3. F. 3. De oct. *sem. Inc. lib. III. Reg.* (ex Dom. praec.)

4. F. 4. De oct. *sem.*

5. F. 5. Cyrilli et Methodii *d.* c. oct.

6. F. 6. Oct. App. *d.*

7. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 8. D. 8. p. Pent. De ea *sem.* c. Elisabeth Portug.

9. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *Romae* Prodigior. B. M. V. *d. m.* — *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*

10. F. 3. Septem Fratrum et Soc. *sem.*

11. F. 4. Pii I. *simp.* — *vel* Vot. Ioseph c. Pii I. — *Romae* Veronicae de Iulianis *d.* (*ass. ex 9 hui.*) c. Pii I.

12. F. 5. Io. Gualberti *d.* c. Naboris et Felicis.

13. F. 6. Anacleti *sem.*

14. S. Bonaventurae *d.*

✠ 15. D. 9. p. Pent. De ea *sem. Inc. lib. IV. Reg.* c. Henrici.

16. F. 2. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*

17. F. 3. Alexii *sem.* (Romae *d.*)

18. F. 4. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filior.

19. F. 5. Vincentii a Paulo *d.*

20. F. 6. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.

21. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Praxedis.

✠ 22. D. 10. p. Pent. M. Magdalenae *d.* c. Dom.

23. F. 2. Apollinaris *d.* c. Liborii.

24. F. 3. Vigil. De ea c. Christinae — *vel* Vot. Apost. c. Vig. et Christinae.

† 25. F. 4. IACOBI *d. 2. cl.* c. Christophori.

† 26. F. 5. ANNAE *d. 2. cl.*

27. F. 6. Pantaleonis *simp.* — *vel* Vot. Passionis c. Pantaleonis.

28. S. Nazarii et Soc. *sem.*

✠ 29. D. 11. p. Pent. 1. Aug. De ea *sem. Inc. Parab. Salom.* c. Marthae ac Felicis II. et Soc.

30. F. 2. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Angelor. c. Abdon et Sennen.

31. F. 3. Ignatii *d.*

AUGUSTUS.

1. F. 4. Petri ad Vinc. *d. m.* c. Pauli et Machab.

2. F. 5. Alphonsi *d.* c. Steph. I.

3. F. 6. Inventio Stephani *sem.*

4. S. Dominici *d. m.*

✠ 5. D. 12. p. Pent. 2. Aug. B. M. ad Nives *d. m.* c. Dom.

6. F. 2. Transfiguratio Dñi *d. m.* c. Xysti II. et Soc.

7. F. 3. Caietani *d. Inc. lib. Ecclesiastes* (ex Dom. praec.) c. Donati.

8. F. 4. Cyriaci et Soc. *sem.*

9. F. 5. Vig. De ea c. Romani — *vel* Vot. Sacramenti c. Vigil. et Romani.

† 10. F. 6. LAURENTII *d. 2. cl. cum oct.*

11. S. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Susannae.

✠ 12. D. 13. p. Pent. 3. Aug. Clarae *d. Inc. lib. Sapientiae*, c. Dom. et oct.

13. F. 2. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.

14. F. 3. Vigil. De oct. *sem.* c. Vig. et Eusebii. Miss. de Vig. c. oct. et Eusebii.

✠ 15. F. 4. **Assumptio B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*

16. F. 5. Hyacinthi *d.* c. octavar. — *aliq. loc.* Rochi c. octavar.

17. F. 6. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt.

18. S. De oct. *sem.* c. Agapiti — — *aliq. loc.* Hyacinthi *d.* (*ass. ex 16 hui.*) c. oct. et Agapiti.

✠ 19. D. 14. p. P. 4. Aug. IOACHIM *d. 2. cl.* c. Dom.

20. F. 2. Bernardi *d.* — *Inc. lib. Ecclesiastici* (ex Dom. praec.) c. oct.

21. F. 3. Ioan. Franc. Fremiot *d.* c. oct.

22. F. 4. Oct. Assumpt. *d.* c. Timothei et Soc.

23. F. 5. Vigil. Philippi Benitii *d.* c. Vig. (except. Romae).

† 24. F. 6. BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.* — *Romae* Vigil. De ea — *vel* Vot. Passionis c. Vig.

25. S. Ludovici *sem.* (in Gallia *d.*) — *Romae* BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.*

✠ 26. D. 15. p. Pent. 5. Aug. De ea c. Zephyrini — *Romae* c. Ludovici et Zephyrini — *aliq. loc.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Dom. ac (Ludovici et) Zephyrini.

27. F. 2. Ioseph Calasanct. *d.*

28. F. 3. Augustini *d.* c. Hermet.

29. F. 4. Decollat. Ioannis *d. m.* c. Sabinae.

30. F. 5. Rosae Lim. *d.* c. Felicis et Adaucti.

31. F. 6. Raymundi Nonnati *d.*

SEPTEMBER.

1. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Aegidii et XII. Fratr.

INCIPIT PARS AUTUMN. BREV.

✠ 2. D. 16. p. P. 1. Septemb. De ea *sem. Inc. Iob.* c. Stephani Reg.

3. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

4. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Rosae a Viterb. *d.*

5. F. 4. Laurentii Iustin. *sem.*

6. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.

7. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.

✠ 8. S. NATIVITAS B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Hadriani in Laud. et Miss. priv.

✠ 9. D. 17. p. P. 2. Sept. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom. et Gorgonii.

10. F. 2. Nicolai a Tolent. *d.* c. oct.

11. F. 3. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.

12. F. 4. De oct. *sem.*

13. F. 5. De oct. *sem.*

14. F. 6. Exaltatio Crucis *d. m.* c. oct.

15. S. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. Nicomedis.

✠ 16. D. 18. p. P. 3. Sept. VII Dolor. B. M. V. *d. m.* c. Dom., Cornel. et Cypriani ac Euphemiae et Soc.

17. F. 2. Stigmat. Francisci *d.*

18. F. 3. Ioseph a Cupertino *d.*

19. F. 4. QUAT. TEMP. Ianuarii et Soc. *d. Inc. lib. Tobiae* (ex Dom. praec.) c. fer.
20. F. 5. Vigil. Eustachii et Soc. *d.* c. Vigil.
† 21. F. 6. QUAT. TEMP. MATTHAEI *d. 2. cl.* c. fer.
22. S. QUAT. TEMP. Thomae a Villan. *d.* c. fer. ac Mauritii et Soc.
✠ 23. D. 19. p. P. 4. Sept. De ea *sem. Inc. lib. Iudith* c. Lini et Theclae.
24. F. 2. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
26. F. 4. Cypriani et Iustinae *simp. — vel* Vot. Ioseph c. Cypriani et Iustinae.
27. F. 5. Cosmae et Damiani *sem. Inc. lib. Esther* (ex Dom. 5. Sept.)
28. F. 6. Wenceslai *sem.*
29. S. DEDIC. MICHAELIS *d. 2. cl.* (Romae et alibi ✠)
✠ 30. D. 20. p. P. 1. Octob. Hieronymi *d.* c. Dom.

OCTOBER.

1. F. 2. Remigii *sem. ad lib.* (in Gallia *d.*) *Inc. lib. I. Machab.* (ex Dom. praec.)
2. F. 3. Angelorum Cust. *d. m.*
3. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
4. F. 5. Francisci *d. m.*
5. F. 6. Placidi et Soc. *simp. — vel* Vot. Passionis c. Placidi et Soc. — *Romae* Gallae *d.* c. Mm.
6. S. Brunonis *d.*
✠ 7. D. 21. p. P. 2. Octob. ROSARII B. M. V. *d. 2. cl.* c. Dom. (et Marci ac Sergii et Soc. in Laud. et Miss. priv.)
8. F. 2. Birgittae *d.*
9. F. 3. Dionysii et Soc. *sem.*
10. F. 4. Francisci Borgia *sem.*
11. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.
12. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion.
13. S. Eduardi *sem.*
✠ 14. D. 22. p. P. 3. Octob. Callisti I. *d.* c. Dom. — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Callisti I. et Dom.
15. F. 2. Teresiae *d.*
16. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost.
17. F. 4. Hedwigis *sem.*
18. F. 5. LUCAE *d. 2. cl.*
19. F. 6. Petri Alcantar. *d.*
20. S. Ioannis Cantii *d.*
✠ 21. D. 23. p. P. 4. Octob. De ea *sem. Inc. lib. II. Machab.* c. Hilarionis ac Ursulae et Soc. — *aliq. loc.* Puritatis B. M. V. *d. m.* c. Dom., Hilarionis ac Ursulae et Soc.
22. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *aliq. loc. Inc. lib. II. Machab.* (ex Dom. praec.)
23. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *Romae* SS. Redemptoris *d. m.*
24. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph — *aliq. loc.* Raphaelis Arch. *d. m.*
25. F. 5. Chrysanthi et Dariae *simp. — vel* Vot. Sacramenti c. Chrysanthi et Dariae.
26. F. 6. Evaristi *simp. — vel* Vot. Passionis c. Evaristi.
27. S. Vig. De ea — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vig.
✠ 28. D. 24. p. Pent. 3. p. Epiph. 5. Oct. SIMONIS ET IUDAE *d. 2. cl.* c. Dom.
29. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *Igitur Eleazarus* (ex Dom. praec.)

30. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. — *Mortuo itaque* (ex fer. 2. post Dom. 5. Oct.)
31. F. 4. Vigil. De ea — *vel* Vot. Ioseph (*Antiochus autem*, ex fer. 3. post Dom. 5. Oct.) c. Vigil.

NOVEMBER.

✠ 1. F. 5. **Omn. Sanctorum** *d. 1. cl. cum oct.*
2. F. 6. De oct. *sem.* (*Antiochus*, ex fer. 3. post Dom. 5. Oct. ubi fer. 4. praec. peract. est Off. Vigil.) Comm. omn. Defunct. *d.*
3. S. De oct. *sem.*
✠ 4. D. 25. p. P. 4. p. Epiph. 1. Nov. Caroli *d. Inc. lib. Ezechielis* c. Dom., oct. ac Vitalis et Agricolae.
5. F. 2. De oct. *sem.*
6. F. 3. De oct. *sem.*
7. F. 4. De oct. *sem.*
8. F. 5. Octava omnium Ss. *d.* c. 4. Coronat.
9. F. 6. Dedic. SS. Salvatoris *d.* c. Theodori.
10. S. Andreae Avell. *d.* c. Tryphonis et Soc. (hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.)
✠ 11. D. 26. p. P. 5. p. Epiph. 3. Nov. Martini *d. Inc. lib. Danielis* c. Dom. et Mennae — *aliq. loc.* Patrocinium B. M. V. *d. m.* c. Martini, Dom. et Mennae.
12. F. 2. Martini I. *sem.* — *aliq. loc. Inc. lib. Danielis* (ex Dom. praec.)
13. F. 3. Didaci *sem.* — *In Italia* Stanislai *d.*
14. F. 4. Iosaphat *d.*
15. F. 5. Gertrudis *d.*
16. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *In Italia* Didaci *sem.* (*ass. ex 13 hui.*)
17. S. Gregorii Thaumat. *sem.* (Romae *d.*)
✠ 18. D. 27. p. P. 6. p. Epiph. 4. Nov. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d.* c. Dom.
19. F. 2. Elisabeth *d. Inc. lib. Osee* (ex Dom. praec.) c. Pontiani.
20. F. 3. Felicis de Valois *d. Inc. Ioël.*
21. F. 4. Praesentatio B. M. V. *d. m.*
22. F. 5. Caeciliae *d.*
23. F. 6. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.
24. S. Ioannis a Cruce *d.* 1. *Inc. Amos*, 2. *Abdias*, 3. *Ionas* (ex fer. 5. et 6. praec. ac Sabb. curr.) c. Chrysogoni.
✠ 25. D. 28. ultima p. Pent. 5. Nov. Catharinae *d. Inc. Michaeas* c. Dom.
26. F. 2. Silvestri *Inc. Nahum* c. Petri Alexandr.
27. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. *Incip. Habacuc.*
28. F. 4. De ea, 1. et 2. *Inc. Sophonias*, 3. *Inc. Aggaeus* (ex fer. 5. seq.) — *vel* Vot. Ioseph *Inc. Sophonias* tant.
29. F. 5. Vigil. De ea c. Saturnini — *vel* Vot. Sacramenti *Inc. Aggaeus* c. Vigil. et Saturnini.
† 30. F. 6. Andreae *d. 2. cl.*

DECEMBER.

1. S. De B. M. in Sabb. *simp.* 1. *Inc. Zacharias* (ex fer. 6. praec.) 2. *Inc. Malachias* (ex

Sabb. curr.) 3. de B. M. V. — *vel* Vot. Imm. Concept. 1. *Inc. Zacharias*, 2. et 3. *Inc. Malachias*.

CRAS CLAUDUNTUR NUPTIAE
INCIPIT PARS HYEMALIS BREVIARII

✠ 2. D. 1. **Adv.** *1. cl. sem.* c. Bibianae « Cessant Suffragia ».
3. F. 2. Francisci *d.* (dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.)
4. F. 3. Petri Chrys. *d.* c. Barbarae.
5. F. 4. De ea c. Sabbae — *vel* Vot. Ioseph c. Sabbae.
6. F. 5. Nicolai *d.*
7. F. 6. Vigil. Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. Vigil.)
✠ 8. S. **Immac. Conceptio B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*
✠ 9. D. 2. **Adv.** *2. cl. sem.* c. oct.
10. F. 2. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *aliq. loc.* Translatio Domus Lauret. *d. m.* c. Melchiadis.
11. F. 3. Damasi I. *sem.* c. oct.
12. F. 4. De oct. *sem.*
13. F. 5. Luciae *d.* c. oct.
14. F. 6. De oct. *sem.*
15. S. Oct. Immac. Concept. *d.*
✠ 16. D. 3. **Adv.** *2. cl. sem.* c. Eusebii.
17. F. 2. De ea « Cessant Off. votiva » *O Sapientia.*
18. F. 3. De ea — *aliq. loc.* Expectat. Partus B. M. V. *d. m.* — *O Adonai.*
19. F. 4. QUAT. TEMP. De ea — *O Radix.*
20. F. 5. Vig. De fer. (sine com. Vigil.) Miss. Vigil. c. fer. — *O Clavis.*
† 21. F. 6. QUAT. TEMP. THOMAE *d. 2. cl.* — *O Oriens.*
22. S. QUAT. TEMP. De ea — *O Rex.*
✠ 23. D. 4. **Adv.** *2. cl. sem.* — *O Emmanuel.*
24. F. 2. Vigil. Nativ. De ea. Ad Laud. et deinceps *dup.*
✠ 25. F. 3. **Nativitas D. N. I. C.** *d. 1. cl. cum oct. priv.*
† 26. F. 4. Stephani *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nat. — *aliq. loc.* c. omn. Mm. et oct.
† 27. F. 5. IOANNIS *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar. (Romae ✠).
† 28. F. 6. INNOCENTIUM *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
29. S. Thomae *sem.* (In Stat. Eccl. *d.*) c. octavar.
✠ 30. D. infra oct. *sem. Inc. Ep. ad Romanos* c. octavar.
† 31. F. 2. Silvestri I. *d.* c. octav.

Hodie et Anno insequenti 1895 littera Martyrologii erit d *parva.*

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Aciregali in Sicilia.* **De non surgendo in Choro ad Sanctissimi Sacramenti elevationem.** Ex Decreto in *Senen.* (*5 Martii 1667*) non est genuflectendum ad elevationem in missis privatis, quamvis chorus adeo sit subiectus oculis, ut a Canonicis omnia altaria conspiciantur. Nunc quaeritur: 1.° Canonici in casu possuntne manere sedentes capite cooperto? 2.° Idem dicendum ne est de tempore quo fidelibus sacra Eucharistia distribuitur, saltem si chorus non sit saecularium oculis subiectus, sed existat retro altare utrimque velario absconditus, aut etiam ante altare, sed in quodam suggestu in alto constructo supra fores Ecclesiae?

Resp. Recto liturgico sensu freti respondemus, in casibus expositis non esse genuflectendum Canonicis officium recitantibus. Hoc quidem male videtur sonare, cum de elevatione agatur, quae ideo fit, ut adstantes Sacramentum adorent. Nihilominus, re bene perpensa, ni fallimur, datam responsionem defendimus. 1. Decretum *Ord. Canonic. Regular. Lateran.* d. d. 1 Mart. 1681, agens de genuflexione facienda, vel non, a choralibus processionem agentibus, dum transeunt ante altare, ubi elevatio fit Sacramenti, declarat non esse genuflectendum, quia campanulam pulsandam vetat. Admittit nihilominus genuflectendum esse *utroque* genu, si pulsetur campanula, et elevatio advertatur (*ad dub. 9*). Gavantus autem aliud referens decretum, nempe in *Oscen.* d. d. 2 Maii 1620, eamdemque rem declarans, notat, Decretum non se extendere ad eos qui

processioni intersunt. Sed praeclarissima notanda ratio; " Isti enim, inquit, non tenentur genuflectere, quia sunt in actuali illius adoratione (*Pars IV, Tit. XII, n. XIV sub fine*) „. At inquirimus: Canonici aliique chorales omnes, num in actuali eadem adoratione non sunt? A pari, et nos dicimus in praefatis casibus, non esse genuflectendum, et campanulae sonitum esse absolute prohibendum, ut revera prohibetur in citato Decreto *Oscen.* dum Horae canonicae recitantur in choro. Qui enim laudes divinas actu dicunt, Deum revera adorant, et a propria functione exturbandi non sunt ab alia, quae infra illam accidit. Et sane, qui potest fieri, ut chorales attente ac devote officium in choro adimpleant, si in unaquaque elevatione, eadem enim semper esset ratio, et caput detegere sibi, et genuflectere deberent? Nonne actio divinarum laudum prope ridicula evaderet? Agant ergo quod agunt, sicque Sacramentum honorent et adorent. Nihilominus, iuvet praescriptionem repetere, campanula non pulsetur, si altare, ubi fit elevatio videatur. Idem dicendum credimus, cum eadem ratio militet, de Eucaristiae distributione: chorales quod agunt agant, ad idque solum attendant.

II. *Ex Canada.* **De ordine commemorationum in Vesperis die 27 Maii.** Quinam est ordo commemorationum in Calendario Romano in Vesperis Sabbati quatuor temporum Pentecostes, seu die 27 Maii? Vesperae ne de seq. cum com. S. Urbani I P. M. (*simplif.*), S. Ioannis I et Domin., vel Vesperae de seq. cum com. S. Urbani I P. M. (*simplif.*) Dominicae et S. Ioannis?

Resp. Affirmative ad primam partem: *Negative* ad secundam. Et recte, S. Urbanus enim de quo primae celebrantur Vesperae, commemorari ante S. Ioannem

debet, et hic, utpote duplex, ante Dominicam, semiduplici gaudentem ritu.

III. *Ex eodem loco.* **De prima Missa in Nocte Nativitatis Domini.** Celebrari ne potest prima Missa in nocte Nativitatis Domini sine cantu?

Resp. Dubio, prouti iacet, *Negative* respondendum. Etenim S. R. Congregatio pluries declaravit, ante auroram in nocte Nativitatis Domini missam privatam absque Sedis Apostolicae indulto celebrare non licere, et contrariam consuetudinem esse abusum per Episcopum eliminandum.

IV. *Ex eodem loco.* **De Missa exequiali.** Dici ne potest Missa de Requie, corpore praesente, in Festo SSmi Cordis Iesu?

Resp. *Affirmative.* Missae enim de Requie, corpore praesente, prohibentur in duplicibus 1.ae classis, quae festiva sunt de praecepto, et solemniter, seu cum multo apparatu et pompa exteriori celebrantur.

V. *Ex eodem loco.* **De privilegiis Missae pro defunctis.** Omnes Missae de Requie sive lectae sint sive cantatae, iisdem ne gaudent privilegiis?

Resp. *Negative.* Enimvero Missa de Requie ex: gr: pro die obitus, vel pro anniversariis, multis gaudet privilegiis si cantata sit, ut illa etiam in dup. 1. classis cantari possit; ista vero in dup. maiori; at idem de lecta dici omnino non potest, iuxta innumera S. R. Congregationis Decreta. Hoc sufficiat ut negativa responsio probata maneat. Quod si aliter quaesitum propositum sit intelligendum, clarius, oramus, exponatur.

VI. *E Provincia Ianuae.* **De prohibitis Exequiis in triduo mai. hebdomadae.** Quo sensu hoc triduum accipiendum, ad prohibitionem quod spectat Exequiarum?

Resp. Hoc sensu, ut nempe tempus quod decurrit

a Matutinis Tenebrarum, qui feria IV in horis pomeridianis dicuntur, ad totum Sabbatum Sanctum, comprehendat. Hoc enim prohibitione accepta sensu, eius ratio apprime intelligitur, uti patet.

Nota. Ab aquae lustralis usu de more abstinemus in Ecclesiis, eaque removetur pariter a feria IV ante Matutinum Tenebrarum, usque ad novae benedictionem aquae in Sabbato Sancto.

VII. *Ex eodem loco.* **De Missa exequiali in festis suppressis, ubi unus est Parochus.** In Ecclesiis parochialibus, ubi alius non est Sacerdos praeter Parochum, potest ne hic celebrare Missam pro defuncto, praesente cadavere, in festis suppressis?

Resp. Supponimus, tamquam certum, Missam parochialem, non solum diebus Dominicis et festis nunc de praecepto, sed etiam in festis suppressis, teneri Parochum applicare pro populo: constat ex pluribus Decretis S. C. Concilii. Potestne ergo Parochus in casu Missam pro defuncto, cuius praesens est in Ecclesia cadaver, applicare, quin eo die applicet pro populo, alium enim sibi sufficere non potest? Plures quidem animadversiones fieri possent, seu circa duo praecepta, ex quibus nonnisi unum adimplere Parochus in casu potest, sicuti circa ipsam Missam pro populo, quam alio die celebrare forte posset, cum legitime videatur impeditus etc. etc. Sed omnibus praetermissis, satis esse credimus invocare pro solutione Dubii propositi Decretum S. Congñis R. in *Quebecen;* d. d. 3 Iul. 1869, quod inquirit: " An in parochia in qua praeter Parochum nullus est alius Sacerdos, si in diebus S. Marci et Rogationum, et in Vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quae anticipari vel differri non possit, facienda sit sepultura sine Missa defunctorum, vel potius omittenda functio diei, aut saltem

Missa huius functionis, ut Missa pro sepultura celebrari possit?

Sacra vero eadem Congregatio... rescribere rata est: Affirmative ad primam partem: negative ad secundam et tertiam „.

Ergo non potest omitti in praefatis diebus Missa diei pro Missa exequiali. Putasne Missam pro populo minoris esse gravitatis, quam Missam S. Marci, aut Rogationum, aut Vigiliae Pentecostes? Contrarium videtur certum; ergo, a fortiori, Missa in casu non potest pro defuncto, etsi praesente cadavere, celebrari. Ita salvo meliori iudicio.

VIII. *E Syracusis.* **De privilegiis Praelatorum, qui domestici appellantur.** Quaeritur 1. Praelatus domesticus est ne talis vero strictoque sensu iuridico?

Resp. Affirmative, quia Praelatus est declaratus, Praelatus nuncupatur, et Praelatus ostenditur ex quibusdam, quae deferendi ius habet honorifica Insignia.

2. Potestne ut talis, uti palmatoria et Canone?

Resp. Si de palmatoria agatur, affirmative: eiusmodi est consuetudo romana omnibus Praelatis domesticis in Urbe degentibus; hinc etc. Si agatur vero de Canone, vi iuris respondemus negative, nusquam enim Praelatis domesticis Canon concessus legitur, bene tamen prohibitus. Sane, si Protonotariis Apostolicis ad instar, qui dignitate Praelatis domesticis excellunt, Canon est vetitus (*Breve Pii Papae IX, Apostol. Sedis Officium d. IV Kal. Sept. an. 1872, n. XV et XVIII*), quanto magis iisdem Praelatis domesticis?

3. Potestne, seu in Urbe, seu alibi, genuflexorio uti ante altare, ubi Missam facturus est, palmatoria etiam et Canone pro praeparatione et gratiarum actione?

Resp. Negative, et abusus est interdicendus. Nam-

que ipsimet Protonotarii Apostolici id nequeunt, qui extra Urbem degunt: qui in Urbe tantum ex indulto (quod Pontificalia agere nequeunt) parvo genuflexorio uti possunt sine strato et sola palmatoria. Ceterum statutum est, ut in Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, cereorum lucentium numerum, a simplici Sacerdote non differant (*Breve cit. n. XVIII*) „. Ergo a fortiori id nequeunt Praelati domestici, quibus Pontificalium ius nullum est. Quorumdam in Urbe abusus nihil probat.

4. In solemniori Missa possunt ne caudam explicare, eaque ut a clerico substineatur exigere?

Resp. Caudae explicatio locum solummodo in functionibus Pontificalibus habet, in aliis quibuscumque nequaquam: ut tamquam corruptela prorsus eliminanda sit.

5. Estne Praelatus domesticus, alicuius Collegii praelatitii pars?

Resp. Negative, *uti talis*, quia Collegium istud nondum institutum est.

6. Quomodo intelligendum quod in fronte Canonis legitur, hunc nempe in usum esse Episcoporum et Praelatorum?

Resp. Ita intelligendum, ut Canone uti valeant Praelati, qui eiusmodi privilegio gaudent, quo nihilominus Praelati domestici destituuntur.

IX. *E Meduana in Gallia.* **De ordine commemorationum in Vesperis.** In Calendario Basilicae Lateranensis, anno 1893, legitur: *16 Dec. Sabb. S. Eusebii semid.... Vesp. a cap. de Dom. III Adv.* **com. S. Stanislai Kostkae** (*13 Nov.*) **et praec.** In Calendario autem Basilicae Vaticanae habetur: *16 Dec. Sabb. S. Eusebii, Semid.... Vesp. a cap. de Dom. III Adv.* **com. praec. ac S. Silvestri** (*26 Nov.*). Quaeritur: Com. festi

semid. praecedere ne debet alteram de festo dup. simplificato, an viceversa?

Resp. Notam ponimus hac super re pluries agitatam quaestionem, annis 1887 et 1888 in *Ephemeridum* harum paginis: quomodo Doct. Piacenza aliam sustinuit thesim ab ea, quae communiter redigebatur in praxim a Calendariorum redactoribus, et ab auctoribus liturgicis offerebatur: quomodo in palaestram descendit alacriterque pugnaverit Liturgiae ac Theologiae cl. Professor P. M. Lafrasse, ut oppositam defenderet sententiam: quomodo etiam alias eadem in iisdem paginis *Ephemeridum* nostrarum pertractata controversia fuerit, et alias etiam proposita pluries, sed discussio praetermissa. Harum nihilominus tractationum nullus fuit securus effectus, seu quod idem sonat, quaestio hinc inde agitata, insoluta remansit. Impraesenti vero lectores nostros certiores reddere possumus et reddimus, thesim a cl. Piacenza defensam, quin oppositam pro nunc iudicemus, posse in praxim ab omnibus Calendariorum redactoribus omni cum securitate deduci.

Quaestio itaque sic proponitur: Quando plures agendae sunt commemorationes in Vesperis, quinam tenendus ordo? Et responderi breviori calamo in praesentiarum potest: Rubricis Generalibus Breviarii Romani inter se collatis, seu de Concurrentia (*Tit. XI*) seu de Commemorationibus (*Tit. IX, n. 11*), commemoratio officii concurrentis primas semper habere debet, si facienda sit, ante reliquas officiorum illorum, inter quae non potest dari concursus. Et nota, hoc comprobari etiam in casu, quo cum officio duplici concurrat officium ritus simplicis.

Nec Rubrica opponenda Tituli IX, n. 11, quae exigit, ut in ordine commemorationum *de Duplici,*

licet agatur tamquam simplex, fiat ante Dominicam etc. quia hic simpliciter Rubrica agit de commemorationibus faciendis, et abstrahit a concurrenti officio, de quo in Titulo XI, ubi de Concurrentia agitur. Quae Rubricae, si conferantur inter se, palam fiet, officium concurrens commemorandum ante alia, quae non concurrunt, sed nec concurrere possunt. Itaque de duplici simplificato agenda quidem primo commemoratio est ante Dominicam, si neutrum concurrat, haud vero, si Dominicae detur concursus; quia hoc in casu Dominicae commemoratio duplici simplificato praeferenda est. Similiter, ait Rubrica: *Fiat... de Dominica ante festum semiduplex;* at si de semiduplici habeatur concursus, de hoc commemoratio fiet ante Dominicam. Brevi, in ordine commemorationum, de quibus sermo est in citata Rubrica, officia quae concurrunt non considerantur, quia locus ibi non erat, agiturque tantum de officiis commemorandis, quae paris sunt conditionis, quae videlicet non concurrunt. Quae enim concurrunt, in meliori conditione versantur, de iisque agit Rubrica in Titulo XI, iuxta quam commemoranda sunt ante cetera, quae non concurrunt. Haec in praesenti satis sint.

Ex his sequitur redactorem Calendarii Basilicae Vaticanae recte se gessisse, cum scripsit: Vesp. a cap. de seq. Dom. III Adv. cum com. prius praecedentis, concurrit enim, cuiuscumque sit ritus: postea S. Silvestri ad simplicem ritum redacti, quippe qui concursu non gaudet. Redactor vero Calendarii Basilicae Lateranensis aliam secutus est sententiam, contra quam nihil dicemus, communis enim erat, sed ex errore, ut arbitramur, inducta. Hinc responsio ad propositum Dubium, sequens sit: Commemoratio festi semiduplicis *concurrentis* praecedere debet commemorationem

duplicis simplificati: Commemoratio festi duplicis simplificati debet praecedere commemorationem semiduplicis *non concurrentis*. Hoc iam certum sequere principium, et universa ad rem exurgentia Dubia nullius fateberis esse laboris.

X. *E Parisiis.* **De Missa in aliena Ecclesia.** 1. Sacerdos aliquis Missam, sive vocatus, sive ex sua devotione, celebrat in aliena Ecclesia; et debet, ut supponitur, Missam conformare officio Ecclesiae. At officium istud est proprium, et Missa est propria Dioecesis in qua versatur. Quaeritur: An possit legere Missam *speciali modo* tali Dioecesi concessam, an eamdem dicere teneatur de communi?

Resp. Quorumdam vi Decretorum communiter docemur, Missas Regularium proprias, non posse ab aliis Presbyteris in illorum celebrantibus Ecclesiis recitari; sed oppositum Ephemerides nostrae sustinuerunt (*V. Volum. II, pag. 198 et seq. Quaest. Academ. Liturg. Rom.*). In traditis nunc etiam insistimus, nec sententiam mutamus, rationibus freti, quas loco citato exposuimus, nihilique ea facientes, quae in oppositum quaedam Belgica Ephemeris in medium attulit. Romae enim haud in Regione Belgica Liturgicae iubentur leges, quarum intelligentia melius quam alibi, in Urbe dignoscitur: ut Ephemeridum illic tradita doctrina, certa ac tuta retinenda sit. Itaque uti rem indubiam atque in praxi securam, maxime nunc, dicimus, Sacerdotes in quascumque Regularium confluentes Ecclesias ad celebrandum, iure posse Missas illorum proprias facere, dummodo proprium Ritum unusquisque servet, ad quem tenetur; easque non solum in proprio, sed etiam in Regularium Missali legere. Hoc tamen notandum necessario est, pro Missa in casu intelligi tantum illas partes, quae Ritum Regularium

non constituunt, nempe: Introitum, Orationem, Epistolam cum Graduale vel Tractu, Sequentiam si adsit, Evangelium, Offertorium, Secretam, Praefationem, Communionem et Postcommunionem, nunquam vero reliquas, quae ad Ritum Regularium pertinent, vel pertinere possunt.

Nunc autem arbitramur Missas quoque, alicui Dioecesi concessas, non ita dicendas esse proprias, ut vetitae sint aliis Sacerdotibus quicumque sint, confluentibus in Ecclesias earumdem Dioecesium ad celebrandum. Sunt tantum ita certo propriae, ut nulli Sacerdoti liceat eas in aliis, extra locum concessionis, Ecclesiis recitare. Ulterius procedimus, et dicimus, non tantum hoc de Missis sanctorum, sed etiam de Beatorum comprobari. Benedictus XIV audiendus, docens: " Quia... congruum non videtur, ut Sacerdotes exteri confluentes ad Ecclesiam, in qua Missa in honorem Beati celebratur, aliam celebrent Missam, hac de causa consuetudo inolevit, ut in ipso Beatificationis Breve, in quo celebratio Missae conceditur, celebratio ipsa extendatur ad Sacerdotes exteros, qui ad Ecclesiam confluunt (*De Canoniz. Sanct. Tom. IV, p. 2, cap. 2, n. 5*) „. Addimus, etsi in Brevi non reperiatur explicite concessum, tanquam implicite concessum intelligendum. Relegas, quae exposuimus in Ephemeridibus (*loc. cit.*): Decreta S. R. Congregationis confer, si libeat, cum Brevibus Pontificum, et omnia intelliges et explicabis: adeo ut tot leges hac super materia latae, quae prohibitionem in casu videntur significare, benigna interpretatione intelligi possint. Itaque ad propositum Dubium respondemus: Affirmative ad primam partem, negative ad alteram. Peculiariter hoc pro casu animadvertendum: Si Missae Regularium propriae quamvis de Beatis, non ita propriae censendae sint, ut vetitae habeantur

pro exteris Sacerdotibus, dummodo in illorum Fcclesiis celebrent; rationem non perspicimus, ob quam Missae alicuius Dioecesis propriae ab aliis Sacerdotibus recitari non possint, si in earumdem Dioecesium Ecclesiis celebrent. Huic tantum momento pro casu hoc speciali innitimur, sed credimus attingere scopum.

2\. Quando fit festum Patroni loci, Regulares, qui in tali loco versantur, tenenturne dicere et officium proprium et Missam propriam tali loco concessa, an potius omnia tenentur sumere de communi?

Resp. 1. Posito Regulares eumdem ac Clerum saecularem habere Ritum, respondemus, ut alias, eos teneri sicut ad officium Patroni loci, ita ad illud officium, quod in loco approbatum est: quod si ibi proprium habeatur, idem approbatum censendum; ergo ad illud tenentur, et aliud recitare non debent.

Resp. 2. Ad Missam quod attinet, post dicta in Dubio primo, vix respondere necessarium ducimus. Cuinam enim talis approbata est Missa? Certe Clero, qui eam, utpote Patroni, tenetur dicere. Atqui et Clerus Regularis tenetur celebrare Missam Patroni loci; ergo illam debet, et non aliam Missam dicere. Rationes pro opposita tuenda sententia nobis non suppetunt: si adm. Rev. Inquirens habeat et mittat, libenter eas expendemus, sententiam etiam, seu pro officio seu pro Missa propriis, mutare parati.

XI. *E Borussia.* **De mensura temporis pro Missae celebratione in Nocte Nativitatis Domini.** Ex quo viae ferreae Europam fere totam replevere, usus invaluit horas computandi in qualibet regione, ex meridiana linea urbis principis. Hinc quaeritur: In Nocte Nativitatis Domini, Celebrans tenetur ne tempus computare iuxta meridianam lineam urbis principis, vel iuxta lineam loci, ab illa fere semihora discrepantem?

Resp. Arbitramur, neminem teneri ad inquirendum de hora, quam signant horologia urbis principis, sive pro divino officio, sive pro Missis omnibus, sicut et pro illa, quae dicenda est in nocte Nativitatis Domini, quando in loco publicum, unum saltem, habetur horologium, quod in horis signandis ab illo discriminatur. Id enim, si non adeo difficile considerari potest in locis parum ab urbe principe remotis, in aliis quae possunt esse remotiora et remotissima, moraliter impossibile foret. Lex autem non potest rem difficillimam pro obiecto habere, cum aliunde universalis esse debeat. Consultius erga est locorum, quae respectiva sunt, horologiis attendere, neglectis aliis, quibus uti possunt urbes principes.

XII. *Ex Hosca in Celtiberia.* **De ratione thus adhibendi sacris Reliquiis aut Imaginibus in Missa solemni.** Usus hic viget, ut hermae Sanctorum in solemnioribus festis super altari exponantur, tres ad dexteram, tres ad sinistram inter candelabra. Ex illis autem unus tantum Reliquiam habet inclusam in pectore, non reliqui. Quaeritur, an unus herma tantum, in quo sacra Reliquia custoditur, an alii etiam thurificari debeant?

Resp. Quod hermam diximus, italice *Busto,* statuae partem comprehendit a capite ad pectus, sine tamen brachiis. Usus hermas adhibendi, loco florum, maxime in solemnioribus festis, etiam in pluribus ex Italis, haud Romanis exclusis, Ecclesiis viget. Inter candelabria positi, nunc ex auro, nunc ex argento puro, nunc deaurati tantum vel deargentati, praeclarissimum efformant ornamentum altaris. Generatim sacra aliqua Sancti, cuius herma est, Reliquia in iis includitur, sed non semper. Nunc autem certum est, et nulli discussioni obnoxium, hos hermas, sacras Reliquias habeant, vel non, in solemniori Missa, si ex-

positi inter candelabra sint, thurificandos esse. Namque cultum Ecclesia, non solum sacris Sanctorum Reliquiis, sed eorum etiam imaginibus tribuit. Hinc Rubrica Missalis notat: " Si vero in altari fuerint Reliquiae *seu Imagines Sanctorum*... incensat eas, (*Tit. IV, n. 5*) „. Quod si adhuc dubites, et particula *seu*, quae citra dubium disiunctivo hic gaudet sensu, aliquam proiiciat umbram super propositam veritatem, audias authenticam declarationem: " Cum Rubrica Missalis praescribat, quod, incensata Cruce, incensentur et Reliquiae, seu Imagines Sanctorum, quaeritur: An Imagines Sanctorum debeant habere inclusas Sanctor. Reliquias, iuxta Quarti... et Merati...? „ En responsio: " Non esse de necessitate in sculptis Sacrarum Imaginibus, in altari dispositis, sacras includere Reliquias ad hoc ut, incensata Cruce, valeant illae a Celebrante thurificari (*Bergomen. 21 Mart. 1744, ad 4*) „. Nota hic obiter, falli citra controversiam Merati, dicentem: " Aliae Imagines sine Reliquiis non sunt incensandae in hac Missae circumstantia (*Pars II, Tit. IV, n. XXVII*) „. Citatque pro se Quarti, quem tamen in Editione, quam possidemus, talia asserentem non reperivimus. Advertas nihilominus, Meratum fortasse loqui de imaginibus, quae sunt extra altare, de quibus in citato numero aliquid innuit: quod si verum esset, non incusandus foret de errore.

Itaque respondemus ad propositum dubium; hermis esse procul dubio thus adhibendum, habeant, vel non, SSrum Reliquias. Duobus autem ductibus, tam hinc quam inde, sunt thurificandi, sive duo sint ab unoquoque altaris latere, sive plures. Quia Rubrica, quin Reliquiarum vel Imaginum numerum consideret, dicit: " primum incensat eas, quae a dextris sunt, id est a parte Evangelii... *bis ducens thuribulum:* similiter

incensat bis alias, quae sunt a sinistris, id est a parte Epistolae (*Loc. cit.*) „. Ergo quicumque sive hermarum, sive Reliquiarum, sive Imaginum sit numerus, hinc inde bis incensari debent.

XIII. *E Benevento in Italia merid.* **De Calice vel Ostensorio rem sacram continente a Diacono vel non accipiendo sine stola.** Caeremoniale Episcop. Lib. II, cap. XXIII, n. 12 et 13, item cap. XXV, n. 31, iubet calicem cum sacra Hostia a primo Diacono assistente esse accipiendum. Similiter cap. XXXIII, n. 20 et 24 dicit, Ostensorium sanctam habens Hostiam ab eodem Diacono accipiendum, ac tradendum Episcopo. Iam nunc his in casibus Diaconus, vi Rubricae eiusdem Caeremonialis, indutus est sine stola. Quaeritur: potestne Diaconus vasa rem sacram continentia ministrare sine stola?

Resp. Negative, tribus exceptis casibus, de quibus in proposito Dubio. Lex est indubia Sacerdotibu sac Diaconis tantum licere tangere vasa sacra, dum actu in his continetur Corpus vel Sanguis Christi (*Cap.* Non oportet, *26 et 30, dist. 23*). Id autem, quia ii solum ministri sunt, unusquisque in suo gradu, huiusce Sacramenti. At lex pariter est eiusdem Ecclesiae, stolam adhibendam in omni Sacramentorum administratione (*Rit. Rom. Tit. I, cap. unic. 7*): quod specialiter respicit Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, utpote omnium aliorum excellentissimum. Ceterum veritas huiusmodi adeo patet, ut nec probatione indigeat. Ergo sicut nec Sacerdos, ita nec Diaconus ministrare potest Calicem aut Ostensorium, quando rem sacram continent, sine stola.

Excipiendi tamen tres casus superius dicti, lex enim Caeremonialis apertissima est. Peculiari mentione digua sunt verba primo loco citata: " Diaconus

assistens, *et non alius*, capit SSmum Sacramentum de altari, etc. „ Inter indumenta autem Diaconi assistentis, in casu, extra controversiam est, non enumerari stolam. Ergo sine stola ipsi Sacramentum accipiendum et dandum, ita praescribente lege, quae profecto ecclesiastica est, et stolam non vult in casu. Quamdam admirationem potest quidem haec legis dispositio parere, eo magis, quod adest et Diaconus Missae, qui stola indutus Sacramentum posset accipere. Hinc *Analecta Iuris Pontificii* inter Decreta authentica quae refert, unum exhibet, cui titulus *Capellae Pontificiae*, quod exponit, *a pontificatu Clementis VIII abusum in Capella Pontificia inductum, ut scilicet primus Cardinalis Diaconus, assistens Dominica prima Adventus in capella Paulina, e manibus Papae custodiam SS. Sacramenti accipiat sine orario. Sacra igitur Congregatio iussit, ut in posterum Caeremoniarum magistri, statim ac Pontifex pervenerit ad locum, in quo Sacramentum dimittit in manibus Cardinalis Diaconi, eiusdem humeris aptent stolam violaceam etc.* (1 Dec. 1667). Quinimo Decretum in *Portugallen.* (*30 Apr. 1785 ad 2*) stolam in casu videtur exigere. Nam quaerit: “ Utrum retineri debeat, ut duo Diaconi assistentes a lateribus Episcopi, in solemnissima processione Corporis Christi et feria V in coena Domini, parentur amictu, alba et Dalmatica? Ratio est dubitandi, quia Caerem. Episc. cap. 23 et 33 Lib. II non meminit stolarum? „ Responsio autem sic se habet: “ Affirmative, saltem quoad primum Diaconum assistentem in omnibus functionibus, in quibus ponendum sit vel deponendum SS. Sacramentum „. Uti videtur, responsio affirmativa Albam respicit, de qua Caeremoniale tacet, consequenter et stolam super illam, pro exponendo et deponendo Sacramento.

Quidquid nihilominus sit, tenendum est, Diacono assistenti tribus in praefatis casibus stolam deferendam non esse, sic iubente lege. Primo quia stolae necessitas in cunctis, maxime in Eucharistia, Sacramentis ministrandis, ab initio Ecclesiae non extitit, sed processu temporis positiva lege statuta fuit. Quid ergo mirum, si tres casus, de quibus Caeremoniale, antiquitatis primae vestigiis inhaereant, eamque memorent? Secundo, quia per posteriora Decreta revocata censenda sunt antiquiora. Posteriora sunt Decreta, in *Pisana* d. d. 27 Nov. 1831, ad 18, et *Molinen* 12 Sept. 1857 ad 26. Horum primum ad Dubium nostrum peculiare, quod brevitatis ergo praeterimus, respondet: " Serventur in omnibus, etiam in vestibus Diaconorum assistentium, Caeremonialis Episcoporum et Memorialis Rituum dispositiones „. Quaeritur in altero: " Utrum stola suppleatur .... per Dalmaticam pro Diacono assistente, calicem da manu Episcopi accepturo in processione feriae V in Coena Domini? „ Et responsum fuit: " Affirmative iuxta Caeremoniale Episcoporum, et dentur Decreta „. Hinc sapienter animadvertit cl. De Herdt in casu: " Licet... aliqua S. R. Coñgnis Decreta stolam exigant; posteriora tamen Decreta declarant, eam non esse sumendam, et Dalmaticam sufficere ac supplere (*Prax. Pontif. Lib. II, cap. 23, n. 12, litt. b*) „. Eiusmodi ergo, haud alia sit tenenda praxis.

BIBLIOGRAPHIA

Tractatus de officio divino seu de horis canonicis, ad usum Alumnorum Seminarii Archiep. Mechliniensis. Mechliniae H. Dessain. (*Vid. Operim. fascicul. 1 curr. anni*).

A Pontificio editore Mechliniense H. Dessain, qui pluribus abhinc annis de Religione optime meritus est, ob eius editiones, tria opuscula accepimus de sacra Liturgia, de quibus iam pluries in fasciculorum operimento Ephemeridum nostrarum notitiam dedimus. Cum autem ea nobis videantur, maxima laude digna, pretium operis esse duximus hic specialem de iis sermonem habere, in commodum lectorum nostrorum.

Primum volumen inscribitur: *Tractatus de officio divino seu de horis canonicis, ad usum Alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Mechliniensis.* Nimia modestia suum nomen tacuit auctor, eum tamen absque esitatione virum omnibus numeris in sacra liturgia peritum salutamus, et felices declaramus Mechliniensis Seminarii alumnos, qui tantum habent doctorem.

Opus suum, clarissimus auctor in quatuor dividit partes: quibus *Notiones praevias* praeposuit, in quibus agit *de definitione, obiecto, valore et obligatione Liturgiae;* ac de eius *fontibus* et de *diversis Liturgiis.* In prima parte agit de *officii divini nominibus, origine* et *elementis;* nempe de Psalmis, hymnis, lectionibus etc., nec non de singulis horis. Ad maiorem autem elucidationem huius primae partis, cl. A. felicissima inventione, et maxima perspicuitate pro praxi ponit quatuor brevissima specimina officii, *Duplicis et semiduplicis, Dominicae per annum, Simplicis* et *Ferialis;* ita ut facili negotio tyrones Subdiaconi modum recitationis officii divini discere possint.

In secunda parte, de *Breviario Romano* agit, de eiusque historia et reformationibus, ac dein de *Computo Ecclesiastico* et de *Kalendario.*

In tertia parte resolvuntur quaestiones circa Rubricas Breviarii Romani. Haec autem pars, nihil aliud est, nisi complementum illarum quaestionum super

Rubricas, quae editae sunt pro Seminario Mechliniense anno 1877. Rogamus ergo tam cl. A. quam editorem eximium, ut quam primum novam praeparent huius operis editionem expletam, in qua nihil sit hac de re desiderandum, ut Alumni quoque aliorum Seminariorum integrum opus habere queant.

In hac tertia parte igitur cl. Auctor agit de *Festis, Dominicis, Feriis, Vigiliis, Octavis et Officiis votivis;* ac dein de legibus *occurrentiae* et *concurrentiae*, has quaestiones comparando cum novissimis Rubricarum emendamentis. Numquam legimus librum, in quo tam facile et enucleate leges practicae traduntur, ut quisque calendarium propriae ecclesiae construere discat. Id quod maxime hunc librum commendat, est methodus expositionis; nam post cuiusque legis clarissimam enunciationem, exemplum practicum subditur, non tantum ex officiis sumptum Calendarii Universalis, sed etiam ex officiis Calendarii Ecclesiae Mechliniensis, quod proinde facili negotio aliis calendariis aptatur. Exempla specialiter, uti res ipsa exigit, dantur, pro casibus *occurrentiae* et *concurrentiae,* nec non specimina octavarum particularium, ut alumni se exerceant in ordinandis octavis, quae sunt celebrandae in ecclesiis parochialibus ob festum Titularis etc.

In his octavarum speciminibus unum tantum invenimus, quod adprobare non possumus. Cl. Auctor agens de ordinando officio in die tertia Iulii, pro ecclesia in qua Visitatio est Titularis, docet, persolvendum esse *officium de 2 die infra oct. Visitationis cum comm. oct. Ss. Apost. Petri et Pauli.* Hanc suam doctrinam defendit scribens: *illius tunc octavae dicitur officium, cuius festum est de persona digniori. Iamvero octava Visitationis, tamquam de digniori praefertur oct. Ss. Petri et Pauli.* Hanc sententiam, etsi auctores nonnulli anti-

quiores tenuerint, omnino esse erroneam, in septima ex quaestionibus liturgicis, quas nos Mutinae evulgavimus anno 1887, solidis argumentis demonstravimus.

Cum enim octava nihil aliud sit quam prorogatio festi, et eius accessorium, dignitas octavae commensuranda est a dignitate festi. Atqui Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli dignius est, *dignitate quidem extrinseca*, festo Visitationis B. M. V., licet de hoc agatur sub ritu duplicis 1 classis, est enim Titulus ecclesiae. Namque in occurrentia, si dari posset, Festum Apostolorum praeferendum esset festo Visitationis, ita et de diebus infra octavas horum festorum agendum est. Ac proinde, officium persolvendum est in casu, *de die 2 infra oct. Ss. Apostol. Petri et Pauli, cum comm. oct. Visitationis.*

Parcat cl. Auctor si hanc maculam in eius libro detegimus, et paterna quadam libertate notavimus; veritas enim id exigit: ut si plurimas laudes ei tribuimus, sciant lectores nostri non ex adulatione, sed ex veraci persuasione illas esse exortas.

Quarta denique pars *de Caeremoniis* tractat cum officium solemniter persolvitur, et concluditur cum appendice *pro privata recitatione*, exhibens *incitamenta ferroris* in divino officio persolvendo.

Quam maxime ergo commendamus hoc opusculum, tironibus praesertim qui praxim desiderant, ad calendarium propriae Ecclesiae construendum.

Doct. Petrus Piacenza.

APPENDIX

CASTRIMARIS. MATRIMONII.

Die 29 Aprilis 1893.

Cum, labente anno 1874, familia neapolitana dynastum Crel in civitate Castrimaris Stabiarum rusticaretur, pronubis parentibus, nuptiae conciliatae fuerunt inter Carolum Crel 28 annos agentem et Paulinam Gambardella annorum 22, quae in eadem domo familiae Crel commorabatur. Cito matrimoniales tractatus absoluti fuere, ac die 16 Decembris eiusdem anni, sponsi in ecclesia cathedrali illius civitatis mutuum consensum de matrimonio contrahendo coram parocho rite emittebant.

Verum huiusmodi connubium haud felicem obtinuit exitum. Siquidem coniuges, si eorum dictis fides habenda est, ipsa prima condormitionis nocte frustra maritale opus aggressi sunt, nec insequenti tempore ob viri frigiditatem illud umquam perficere valuerunt. Unde priusquam annus a celebratione matrimonii elapsus fuisset, Carolus et Paulina, alieno iam ad invicem animo, communi toro valedixerunt, licet adhuc sub eodem tecto cum reliquis de familia Crel una simul degerent. At cum post septennium Caroli pater, qui ad scandala vitanda publicae separationi eousque obstaverat, mortuus fuisset, Paulina coniugalem domum deseruit, atque statim penes laicum tribunal agere coepit ut matrimonium, attenta viri impotentia, nullum declararetur. Civilis vero auctoritas, habita iurata relatione trium peritorum, quos ad corpus Caroli Crel explorandum designaverat, illius impotentiam, congenitam, absolutam et perpetuam admisit, ac sententiam mulieris petitioni omnino faventem edidit.

Interim Paulina cum in domum patrui Alphonsi Gambardella se recepisset, inhonestos fovere coepit amores cum consobrino suo Vincentio, cui deinde civiliter iungi minime erubuit, et a quo tractu temporis nonnullos etiam filios suscepit. Attamen postea facti poenitens ad Supremum Principem, quo sospite laetamur, recursum habuit, atque die 18 Decembris 1887, Rescriptum ab H. S. C. obtinuit, quo committebatur Emo Archiepiscopo Neapolitano ut processum conficere curaret « *tam super asserto nullitatis capite,*

quam super inconsummatione matrimonii ac causis dispensationis, servata forma etc. et cum facultate subdelegandi »

Nihilominus diu multumque res haesit, eo quia interea Paulina Messanam prius ac dein Barium cum civili viro se contulerat, ac illius domicilium Curiae Neapolitanae ignotum erat. Instante vero Archiepiscopo Barensi qui pluries et maxima cura negotii huius expeditionem efflagitaverat, praecedens Rescriptum diei 18 Decembris 1887 revocatum fuit, ac eidem Barensi Antistiti munus conficiendi processum cum iisdem clausulis et conditionibus, elapso anno, demandatum est.

Tribunali rite constituto, acta initium sumpserunt die 30 Maii 1892. Paulina Gambardella et Carolus Crel nec non utriusque septimae manus testes auditi fuerunt in Curiis Barensi, Neapolitana et Castrimaris, iuxta uniuscuiusque domicilium. Praeterea iudex delegatus scribens Vicario generali Emi Archiepiscopi Neapolitani significabat: « Ora sarebbe necessario che la medesima » impotenza (Caroli), fosse dichiarata dai periti innanzi al giudice » ecclesiastico; ma se il Crel non volesse sottoporsi ad una nuova » perizia, io credo che basterà citarsi negli atti la contumacia o » resistenza del medesimo; perchè in tal caso si supplicherà la » S. Congregazione del Concilio di far valere pel tribunale eccle» siastico la perizia eseguita innanzi al tribunale civile ». Attamen de Caroli recusatione mentio haud occurrit in actis, tantum in epistola Vicarii generalis Barensis qua processus ad S. C. transmittitur, haec leguntur: « Aggiungo però che non si è riusciti » nella Curia Arcivescovile di Napoli a sottoporre a nuova perizia » medica il Crel per constatarsi di nuovo la sua impotenza d'al» tronde ben provata ». Archiepiscopus Barensis vero iam et ipse postulaverat ut opinio a tribus peritis penes laicum tribunal emissa et in ecclesiastico iudicio assumeretur. Haec autem opinio actorum fasciculo adnexa reperitur, atque iterum, a medico Carmelo Patamia in Curia Neapolitana sub sacramenti fide confirmata fuit.

Votum theologi.

Emi ac Revmi Patres,

Die 16 Decembris 1774, in Cathedrali Ecclesia Dioecesis Castrimaris, iuxta ritum S. R. E. per verba de praesenti, matrimonium contraxerunt Carolus Crel annos natus 28, et Paulina Gambardella

in aetate constituta 22 annorum. Ast, contrario numine, factum est, ut sponsi, primo quidem quoad thorum et deinde etiam quoad tectum separationem quaererent, donec per sententiam Tribunalis Civilis, latam sub die 11 Aprilis 1881 eorum matrimonii nullitas declarata fuit, ob viri impotentiam absolutam, antecedentem et perpetuam.

Hac obtenta nullitatis sententia, mulier civiles nuptias inivit cum alio viro; sed postea facti poenitens, sub die 24 Novembris 1887 supplices preces porrexit SSmo Dño Nostro, ut dignaretur canonice declarare nullitatem matrimonii sui cum Carolo Crel, ad effectum matrimonium contrahendi cum viro, cum quo civiliter unita reperiebatur, et a quo recedere civili lege non poterat.

Hisce habitis precibus, ab H. S. C. sub die 18 Decembris eiusdem anni 1887 decretum fuit: *Scribatur Emo Archiepiscopo Neapolitano, qui conficere curet processum tam super asserto nullitatis capite, quam super inconsummatione Matrimonii ac causis dispensationis, servata forma etc. et cum facultate subdelegandi etc.* Verum ob exortas difficultates, praevia huius Decreti revocatione, confectio processus commissa fuit Curiae Barensi, cum clausula ut confectum processum ad hanc S. Congregationem transmitteret, quod factum fuit, sub die 22 septembris 1892.

Ut itaque mulieris postulationibus satis fiat, tria, ni fallor, inquirenda veniunt, et demonstranda ex Actis Processus, videlicet 1. an revera constet, matrimonium in casu, ob viri impotentiam, numquam consummatum fuisse: 2. an revera constet virum in talibus conditionibus reperiri ut absolute matrimonium consummare non possit: 3. an revera probata maneat viri impotentia, nedum absoluta et antecedens, sed etiam perpetua. Singula breviter quoad factum perpendam: facto enim in evidentia posito, vestrum erit, Sapientissimi Iudices, quid Sacri Canones statuant, quid theologica doctrina doceat declarare.

Itaque matrimonium, prout in themate, numquam revera consummatum fuisse, idque ob viri impotentiam, pluribus potest argumentis demonstrari, ex iis deductis, quae matrimonium, vel praecesserunt, vel concomitata sunt, vel sunt subsecuta.

Et sane dum agebatur de matrimonio contrahendo, peritus medicus Dñus Nicolaus Scherillo, qui opem suam praestabat duabus familiis Crel et Gambardella, quique proinde iuvenem Carolum optime agnoscebat, Paulinae patruum monuit ut matrimonium im-

pediret, eo vel quia Carolus ad matrimonium inhabilis erat (Proc: fol. 77, 79 et 85).

Idem testatur Aloisius Lanni, qui cum pluries adspexisset denudatum Carolum Crel in alveum descendentem, et virilium conformationem ac frigiditatem animadvertisset: statim ac audivit fore ut matrimonio copularetur cum Paulina Gambardella, retinuit non posse tale matrimonium exitum felicem habere, eo vel quia inhabilem Carolum ad consummationem putabat. (Ibid. f. 31 et 66). Quinimo, ex eadem experientia, idem testatur Nicolaus Di Martino (Ibid. fol. 91), nec non Antonius Rosati (Ib. d. 81), qui omnes matrimonii exitum antequam contraheretur praenuntiaverant.

Et quod isti futurum praeviderant, factum plenissime confirmavit a prima nuctiarum nocte: ipsis enim partibus fatentibus, omnis nisus ad consummationem inutilis evasit, etsi pluries repetitus. Id fatetur mulier (Ibid. f. 9-11), de cuius veracitate plenissimum testimonium habetur in Actis (Ibid. f. 27, 38). Idem confirmat ipse Carolus Crel dum asserit, se neque prima illa vice nec unquam postea membri erectionem expertum esse; unde se numquam ad maritalem unionem pervenisse concludit. (Ib. f. 53).

Nec praetereunda gravissima quaedam circumstantia, quae persuasionem de filii impotentia in parentibus manifestat. Habetur enim ex Actis (loc. cit.). quod prima nuptiarum nocte Caroli mater praesens esse voluit, et de facto praesens fuit, ut filium matrimonio operam dantem, de modo se gerendi doceret; inutiliter tamen quia filius frigidus, ut erat remansit.

Ast haec omnia ex consequentibus evidentissime confirmantur. A primis enim matrimonii diebus fama evolavit in vulgus quod Carolus nequibat matrimonium consummare, unde fere statim eo usque pervenerunt inter sponsos iurgia, ut mulier viri vultum unguibus foedaret, et mulieris comam scinderet vir (Ibid. f. 59, 64, et 66). Et vir quidem rei gravitatem agnoscens, tali fuit furore correptus, ut timeretur ne in insaniam prosiliret, et mulier aegritudine confecta valetudinem amittere videbatur. (Ibid. f. 11 et 37). Unde factum est, ut a thoro separarentur, idque ex medicorum consilio et parentum Caroli voluntate (Ibid. 11 et 54).

Nec satis; nam Caroli pater, nescio qua conscientiae, filium adegit ut meretricibus adhaereret; imo pluries ipse adesse voluit flagitiosi criminis magister et testis, ut inde nati absolutam impotentiam vel nolens admitte cogeretur (Ibid. f. 53, 60 et 64).

Hanc autem impotentiam experimento confirmavit testis Be-

nedictus Pellerano, qui denudatum Carolum cum tactibus in pudendis ad venerem excitaret, facto suo inhabilem omnino ad matrimonium comprobavit. (Ibid. f. 59, 60).

His addendum quod perdurante maritali vita, Carolus patris et sacri consilio plures peritos medicos consuluit ut opportunas curationes praescriptas haberet, quin tamen unquam proficeret. Quinimo ipsi periti medici curationis inutilitatem fassi sunt, et patrem redarguerunt eo vel quia filium cogendo ad matrimonium, infelicem foeminam reddidit. (Ibid. f. 13, 14).

Et hoc confirmatur ex facto, quod, post separationem, inspecta mulier a sua amita Rosa Gambardella integra reperta fuit ut virgo, quin violati claustri signa ulla praeberet (Ibid. f. 17). Quod ex non dubiis iudiciis deduxit alia testis, Gelsomina Gambardella, soror actricis (Ibid. f, 20). Quae omnia fere statim ad aliorum aures pervenerunt, uti colligere est ex depositione Alphonsi Gambardella (Ibid. f. 22). Unde ipsi Caroli genitores de hoc matrimonio loquentes cum Paulinae parentibus, filii impotentiam apertissime doluerunt, et mulierem, quod aequo animo id tulisset laudaverunt (Ibid. 19, 20).

Ex his igitur omnibus apertissime evincitur matrimonium in casu numquam revera consummatum fuisse, idque ex viri impotentia certissimis argumentis comprobata.

Opponet fortasse quis validius desiderari in demonstratione argumentum, desumptum ex medicorum peritia, qui soli iuridice de impotentia testimonium dicere possunt. At sciatis oportet, Sapientissimi Iudices, me consulto abstinuisse a deducendo argumento ex medicorum peritia, quia inde probatam volo alteram demonstrationis partem, quae tota in eo est, ut quaerat an saltem potuerit Carolus matrimonium consummare. Si enim constet, ex medicorum peritia, Carolum neque potuisse matrimonium consummare, a fortiori probatum manebit ipsum, ad factum quod spectat, revera non consummasse. Atqui res ita se habet. Quod ut clarius pateat, animadverto pro Tribunali Ecclesiastico assumptam fuisse illam ipsam medicorum peritiam, quae exarata fuit pro Tribunali Civili. Ut autem iuridicam vim haberet etiam in foro ecclesiastico, vocatus fuit D. Carmelus Patamia, unus ex medicis, qui pro Civili Tribunali peritiam exararunt. Et hic, interiecta iuramenti religione ad sancta Dei Evangelia, latam peritiam in omnibus confirmavit, iuxta ea quae pro Civili Tribunali deposuerat. (Ib. 68, 69).

Iam vero ex hac medicorum peritia duo manent, evidentissime

probata, scilicet 1. Carolum in eo statu reperiri, ut virilis membri erectionem pati non possit: 2. Caroli virilia ita a natura conformata esse, ut, data etiam membri erectione, sit et maneat verus coitus impossibilis; idque duplici ex causa, videlicet tum ex enormi praeputii massa, quae impedit quominus virile membrum usque ad muliebre vas pertingere possit, tum ex eiusdem praeputii debilitate, quae maritali congressui omnino se opponit. Est igitur evidens, in talibus conditionibus, impossibilitas consummationis; nam ibi est vera consummatio fuit omnino et absolute impossibilis.

Duo igitur ex Actis sufficienter et iuridice manent comprobata, idest factum non sequutae oonsummationis et impossibilitatem eiusdem obtinendae, datis conditionibus, in quibus Carolus reperiebatur. Ast huiusmodi conditiones tales ne sunt ut sufficienter demonstrent impotentiae perpetuitatem?

Affirmativam responsionem praebent periti medici. Ast ego, licet profanus, non puto hanc affirmativam responsionem esse sufficienter demonstratam. Et re quidem vera, tres sunt principaliores rationes, quibus innituntur periti medici, ut impotentiae perpetuitatem doceant. Aiunt enim 1. longitudinem virilis membri non provenire ex cavernosis corporibus, quae esse dicunt parva, tenuia et rigida; sed potius ex abnormi praeputii longitudine ac varicositate; unde erectionem impossibilem putant: 2 asserunt Carolum hebetem esse, ideoque virilis potentiae incapacem: 3. demum ex ipsa massa praeputii neque coitum, neque potentiam futuram possibilem agnoscunt.

Sed contra est 1. quod iudicium de cavernosis corporibus certum non praebet argumentum nisi examinentur in statu erectionis, iuxta ea, quae mihi asserta fuerunt a perillustri quodam medico, quem hoc in casu, et hac in re consulendum putavi. Igitur ex hac prima medicorum ratione, ad summum probabilitas, non vero certitudo perpetuae impotentiae deduci poterit. 2 animadverto contra medicorum peritiam, quod ipsi non asserunt cum omni certitudine Carolum hebetem esse, sed dicunt tantummodo id videri. Ast ex eo quod Carolus sit *probabiliter* hebes, non sequitur ipsum esse *certe* impotentem. Et hoc in hypothesi quod revera detur absoluta connexio inter physicam impotentiam, et mentalem hebetudinem, quod tamen negandum esse teneo: fieri enim posse, audivi a plurimis medicis quod hebetudo mentis possit aliquando sociari cum valida potentia. Ceterum, data medicorum in casu peritia, dicendum foret Carolum non carere potentia, cum ex datis in Tribunali responsionibus excludi posse videatur mentis hebetudo (Ibid.

f. 52, 54). 3. demum animadverto contra medicorum peritiam, quod ipsi non dicunt an massa illa praeputii, quae coitum impedit, auferri potuerit per chirurgicam operationem. Esto quod hodie haec operatio sit forsan impossibilis, cum Carolus sit constitutus in aetate 46 annorum. Ast quando Carolus matrimonium contraxit aetatem habebat annorum 28, et 35 qando fuit a medicis inspectus. Si igitur quando matrimonium contraxit, possibilis erat chirurgica operatio, certe matrimonium ratum fuit, licet consummari non potuisset per extrinsecum impedimentum. Hoc in casu idem dicendum foret ac de femina arcta; ideoque tenendum esset ex c. *Fraternitatis*, matrimonium non reddi nullum per impedimentum quod potest auferri.

Scio equidem, Emi Patres, ex testium depositionibus et ex factis, quae supra commemoravi, evidentissime deduci 1. quod Carolus revera non consummaverit; 2. quod fuerit et permanserit in talibus physicis conditionibus, ut consummare non potuerit; 3. quod revera sit in hoc statu permansurus; ast cum iuridica probatio huius perpetuitatis impotentiae desumenda sit vel ex triennali experimento, quod in casu locum non habuit, vel ex peritorum attestatione, quae in casu omnem dubitationem non excludit; hinc est quod iuridice quidem probatur factum non sequutae consummationis, et impossibilitas ad illam obtinendam ob extrinsecum impedimentum; sed intrinseca impotentia, et eiusdem perpetuitas, morali tantum certitudine constant, non vero iuridica.

Quibus sic stantibus, ad consulendum partibus, praesertim quia mulier iam cum alio viro civiliter coniuncta reperitur, cum evidenter et iuridice constet revera matrimonium consummatum non fuisse ob impedimentum saltem extrinsecum, et cum valida habeantur argumenta, quae saltem moralem certitudinem pariunt de existentia impotentiae etiam intrinsecae, et perpetuo duraturae, in hanc sententiam deveniri posse puto, scilicet « *Attentis omnibus, supplicandum SSmo pro dispensatione* ad cautelam *a matrimonio rato, et non consummato in casu* ». Idque nisi EE. VV. placuerit absolutam matrimonii nullitatem declarare.

Interim vero S. Purpuram reverenter deosculor EE. VV.

Ex ven. Archihospitali ad Sancta SSrum
die 10 Martii 1893.

Humillimus, Obseqmus et Devmus Servus
IOACHIM FERRINI Ministr. Infir.
Consultor.

VOTUM CANONISTAE.

Emi ac Rmi Patres, .

Finem matrimonii esse sobolis propagationem cuique notum est: siquidem naturalis sexuum coniunctio ad propagandum humanum genus ab initio est instituta: *Crescite*, ait rerum Creator progenitoribus et *multiplicamini:* ideo *masculum*, *et foeminam fecit eos:* haec autem sexuum distinctio, ait D. Thomas, ordinatur ad coitum, quem in finem et sexus natura distinxit, et peculiaria in hunc usum conformata membra cuique attribuit. Talis autem multiplicatio haberi non potest nisi per copulam, propterea in contractu matrimoniali (quem Christus Dominus erexit ad dignitatem Sacramenti), mutua traditur in corpus alterius potestas cum obbligatione reddendi debitum, quod utraque pars sub gravi tenetur reddere, ne finis matrimonii frustretur. Unde cum traditio corporis sit de intrinseca matrimonii ratione, si aliquod in eo fuerit impedimentum, quod vinci nequeat ad copulam exercendam, matrimonium nullum est, et ille qui se novit absolute ineptum non potest alteri ad usum corpus suum obligare, et ex ipso iure naturali nefas esset attentare congressum.

Ex his facile deducitur matrimonium de quo agitur, propter viri impotentiam antecedentem, absolutam, perpetuam, esse nullitate mulctandum. Superfluum porro erit *Impotentiam* definire.

Paulina Gambardella a patre stimulata nuptias celebravit cum Carolo Crel iuvene, qui in omnium opinione hebes, et bardus habebatur; nihilominus, ut patri morem gereret, rite, coram Ecclesia die 16 Decembris 1874 in matrimonium Carolo se coniunxit: itaque condormierunt, sed licet copulam fuerint experti pluries, et iteratis vicibus, nunquam tamen, nec leviter eam perficere potuerunt. Virum enim tali ac tanta frigiditate affectum esse, sponsa cognovit, ut nec membrum vel leviter erigere et consequenter nec semen prolificum eiicere unquam potuerit, unde irriti semper et inutiles subsequentes congressus redierunt. Caroli pater, re comperta, Medicos consuluit, pharmaca adhibuit sed frustra, ac tandem (vix credibile), vocata meretrice, coram se, cum ea copulam experiri iussit sed irrito conatu. Ex his igitur facile dignoscitur Carolum Cler certa absolutaque impotentia antecedenti laborare: ideoque nec permittenda (uti docent Theologi ac Canonistae) ulteriora experimenta, cum ipso iure naturae nefas sit attentare

copulam, cum impotentia sit aliter certe, et aperte cognita, et probata.

Quid interea de Paulina, quae nec nupta, nec innupta remansit? Elapso septennio a Tribunali civili an. 1881 petiit, obtinuitque dissolutionem contractus, propter impotentiam Caroli legaliter seu iudicialiter a Medicis assertam. Sed inde Paulina coeco amore seducta, alteri Viro se dedit, et civile, uti vocant, matrimonium contraxit, et hodie cum eo vivit. Attamen modo conscientiae stimulis agitata vehementer optat pacem cum Deo componere, ideo rogat SS. D. N. supplici libello, ut dignetur pronunciare nullitatem matrimonii cum Carolo Crel, qua obtenta se legittime coniungi cum altero poterit. Precibus benigne exceptis haec S. Congregatio iniunxit Rmo Ordinario Barensi, ut Processum condere iuxta Bullam Benedicti XIV *Dei miseratione*, quod mandatum praefata Curia diligenter exsequuta est, et Acta ad S. Congr. transmissa sunt ab Rmo Archiepiscopo Barensi, in cuius Dioecesi Paulina moratur una cum examinibus Testium septimae manus in Curia Neapolitana, et Castrimaris ex delegatione peractis. Omnes autem inducti, seu vocati iuramentum praestiterunt de veritate dicenda, et inde iudicialem processum rite absolutum fuisse constat, Vinculi defensore consentiente.

Hisce praestitutis, modo quaeritur utrum matrimonium inter Carolum Crel, et Paulinam Gambardella nullum, irritumque fuerit ex impedimento impotentiae in viro, et an matrimonium manserit inconsummatum: sed probata in Viro absoluta impotentia inconsummatio plane sequitur.

Ad consequendam veritatem, secundum iura, ad trutinam perpendendae sunt 1° Coniugum confessiones. 2° Testium depositiones. 3° Peritorum iudicia, seu inspectiones. Si ex hisce capitibus patebit impotentiam in Carolo fuisse, et esse antecedentem, absolutam, perpetuamm, atrimonium quoque cum Paulina fuisse, et esse nullum, irritumque pariter inferri licebit.

1. *Confessio coniugum.* — Paulina, quae actrix est, ad examen a Iudice citata in Curia Barensi praeter ea quae in libello supplici exposuerat, praestito iuramento, perspicue, et sine ambagibus respondit ad interrogationes a vinculi Defensore propositas, deponens sine ulla contradictione se post initum cum Carolo matrimonium pluries carnalem copulam fuisse expertam, sed frustra, et inaniter; siquidem ex Sponsi insuperabili frigiditate iste membrum virile nullatenus erigere poterat, quod semper torpidum,

et iners manebat, unde semen prolificum nec leviter effudisse testata est. Hanc copulae inanitatem compulsa identidem repetit, et insuper addit se scire Carolum pharmaca ad se excitandum adhibuisse, sed frustra, et inutiliter. Cum igitur consummatio esset absolute impossibilis, separatione facta quoad thorum, nunquam in posterum copula inter eos tentata est Ex imprudentia vero Parentum Caroli, istius impotentia in omnium cognitionem pervenit. Ita Paulina Gambardella in iudicio deposuit.

Sed audiendus alter coniux, pars principalis, Carolus Crel. Is legaliter citatus in Curia Neapolitana, praestito iuramento tactis SS. Evangeliis, in examine interrogatus a vinculi Defensore, plane et sine contradictione Paulinae depositiones confirmavit: nempe se matrimonium non propria, sed Patris voluntate iniisse, et uti videtur, eius officia vir simplex ignorasse. Unde et ipse una cum Sponsa deponit, et candide confitetur copulam cum ea pluries tentasse, sed frustra, nihilque obtinuisse; eo quod virile membrum numquam erigere potuerit propter invincibilem frigiditatem. Quod cum pater cognovisset, vocata foemina iam corrupta, voluit ut coram se, et ipso docente, coitum cum ista experiretur, et nihilominus inane fuit et vanum experimentum hoc, non semel etiam renovatum. « Nè allora, subiungit Carolus, nè poi ho potuto vedere il mio membro eretto, e tutti mi hanno detto esser » quello un effetto di debolezza di nervatura... et inferius: cum » Sponsa, non sentiva in me alcuna erezione, nè essa colle fredde » accoglienze sapeva eccitarmi, diguisachè io non ho mai raggiunto » la unione ». Hinc in fine deponit matrimonium absolute inconsummatum mansisse. Propterea ex utriusque coniugis unanimi, et concordi iudiciali confessione constare colligitur de impotentia ex fragiditate experta, et perspecta, et ideo matrimonii nullitatem exurgere. Attamen coniugum confessio post initum matrimonium contra eiusdem valorem elicita non statim probandi vim habet, imo ipsa sola et per se omni vi caret ceu clamant iura; sed expendenda est cum caeteris probationum generibus: audiantur ergo Testes.

2. Testes qui vocantur septimae manus a Paulina inducti, consanguinei, affines, amici familiae fuerunt: hi omnes, praemisso iuramento et perlecta Paulinae depositione, a Iudice interrogati unanimi concentu, et unanimiter ipsam mendacii esse omnino incapacem deposuerunt: de Sponsi vero impotentia loqui apud omnes audivisse, et pro certo habere matrimonium numquam fuisse consummatum ob praedictum in Viro impedimentum testati sunt.

Ad instantiam Rmae Curiae Barensis iudicium rite fuit institutum in Curia Castrimaris Stabiarum, ad quam vocati sunt Testes septimae manus, scilicet, consanguinei, affines, amici, inter quos etiam sacerdotes. Isti omnes, post iuramentum, plus minusque de auditu, et apud omnes de vulgata Caroli Crel impotentia cum hebetudine coniuncta uno ore affirmarunt: sed Testis de Martino etiam *de visu* testatus est, siquidem se vidisse deponit Caroli organa genitalia quae imperfectissima, et ad generationem inepta erant. Hucusque Testes ex utraque parte in curia Barensi, et Castrimaris vocati, et auditi.

Sed iubente hac S. Congregatione, Neapoli quoque ad tramitem iuris vocatus est D. Carolus Crel, et post eum testes septimae manus. Carolus pars principalis confirmat omnia, quae alias deposuerat, videlicet confitetur aperte propriam impotentiam, et sine ambagibus sui matrimonii inconsummationem, nec Paulinae in iudicio dictis ullo modo contradicit. Ast ampliori modo Testes acciti de Caroli impotentia deposuerunt, quam antecedentem, absolutam, perpetuamque esse dixerunt; quin imo Ioseph Rossetti vir gravis, attenta hebetudine observata in Carolo, valorem *consensus* in dubium vocari posse subiungit. Caeteri Testes eadem de audita Caroli impotentia deposuerunt, sed duo etiam corpus ipsius se explorasse testati sunt, atque eius genitalia ad copulam exercendam esse omnino imparia et inertia absque dubio iudicarunt.

3. Peritorum legale iudicium: cum Paulina Gambardella a civili Tribunali petiisset, ut civilem contractum propter Viri impotentiam dissolutum declararet, Iudex civilis tres peritos medicinae doctores elegit, qui physicam Caroli Crel constitutionem inspicerent: hi diligenter et accurate impositum officium sunt exequuti, ac tandem clarissime et uno ore concluserunt Carolum Crel organa genitalia habere imperfectissima, et ad copulam maritalem inepta, ideoque impotentia *antecedente*, *insanabili*, et *perpetua* esse affectum. Istorum Peritorum legale iudicium exhibetur in calce Processus ecclesiastici, quod, si ita placuerit, poterit admitti in hoc sacro Foro, sicuti optat Barensis Curia. Neglecta autem fuit tamquam superflua, et inutilis foeminae physica inspectio.

Itaque si considerentur quae hucusque de hac causa iudicialiter collecta fuerant Barii, Castrimaris, et Neapoli videtur dubitari non posse de impotentia Caroli Crel, et de consequenti inconsummatione matrimonii cum Paulina Gambardella, siquidem conveniunt confessiones coniugum, Testium depositiones, Peritorum iudicium:

impotentia vero iudicialiter probata nullum, irritumque iure naturali, divino, et humano reddit matrimonium, cuius finis est propagatio sobolis. Idcirco pro nullitate iudicandum esse meo quidem iudicio, censeo cum Rmo Archiepiscopo Barensi, qui miserae Paulinae resipiscentiae favere se ostendit, eamque ab illicito concubitu subtrahere quamprimum peroptat.

Hoc autem meum qualecumque de nullitate iudicium subiicitur disquisitioni EE. VV., quarum erit, qua decet prudentia, iustitia, et auctoritate quaestionem scite dirimere, et de ea sapienter decernere, quemadmodum probe sperare possumus, et ominamur.

Romae mense Februarii 1893.

Fr. Pius-Thomas Masetti
Ordinis Praedicatorum.

ANIMADVERSIONES

DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO

DUBIUM

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Et quatenus *Negative.*

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

Emi ac Rmi Patres,

Carolum Crel, cui die 16 Decembris 1874 nupsit, Paulina Gambardella in inutile lignum traducit, et proin connubium opere imperfectum atque irritum proclamat.

2. Lectissimi consultores, theologus et canonista, inter se haud conveniunt: eximius enim consultor theologus de matrimonii nullitate non satis constare censet, sed dispensationi locum esse existimat; canonista vero irritum matrimonium absque ambagibus renuntiat.

3. Ut muneri meo faciam satis ostendam neque matrimonii nullitatem neque eiusdem inconsummationem ad iuris amussim demonstratam esse.

4. Enimvero potissimum argumentum, quo inconsummatio matrimonii eiusque nullitas ostendi posset, examen scilicet in corpore Caroli Crel a tribus archiatris peractum, claudicat, quia medici

non iudicis ecclesiastici, prouti iura praescribunt, sed laici magistratus iussu negotium expleverunt.

5. Quo vero ad iuratam coniugum confessionem testimonio *septimae manus* suffultum doleo, quod Caroli sorores ad iudiciale examen accedere renuerint (*synops. offic. pag. 20*); nec video ad examen accitam coniugum cubiculariam, etsi testis Aloisius Lanni postquam enarraverat coniugum dissidia, adiecerit: — *Fui confermato* DALLA CAMERIERA, *che quei disturbi nascevano dacchè il marito non era buono* — (*loc. cit. pag. 22*).

6. Tametsi, iis etiam omissis, testimonium *septimae manus* haud magni ponderis esse solet, quia testes huius generis facta, circumstantias, adiuncta ut plurimum dicendo amplificant, imo quandoque alienissima etiam a veritate iudici denuntiat, prouti parti se inducenti prodesse autumant. Cuius rei argumentum insigne in praesenti causa suppeditat Antonius Rosati, qui ait: « Tanti anni dopo fu sciolto il matrimonio dal tribunale civile e » per *visita dei dottori che delle levatrici* si constatò che conservava » ancora la verginità » (*loc. cit. pag. 17*): dum compertissimum est corpus Paulinae neque a peritis, neque ab obstetricibus recognitum fuisse.

7. Quinimo aviti magistratui explorationem corporis praecipienti mordicus obstitit Paulinae patronus. Audi ipsammet Paulinam, quae ingenue iurat: « Il tribunale voleva sottopormi a pe» rizia, ma *ad istanza del mio avvocato me ne dispensò* » (*loc. cit. pag. 7*). Heic quaeram, si Paulina, cum viro valedixit, intacta, ut Minerva, manebat, ceu *septimae manus* testes affirmant, quorsum patronus experimentum obstetricum aversatus est?

Quare etc.

Adv. PACIF. PIERANTONELLI
Defensor matrim. ex officio.

R. Ad I.^m Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.

Ad II.^m Provisum in primo.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Contin. V. n. 5, pag. 290*)

1. Ultima tandem pars ad responsorium pertinens cantum, est *Sequentia*, scilicet, prosa illa vel rythmi ea modulatio, quae Epistolam inter et Evangelium post Alleluia cantatur in Missa. At non semper hoc unum idemque nomen in antiquitate cantus pars haec adscita est. Nam etiam *Versus Leoninos, Iubilationes* ac *Troparia* eam appellare consuevere maiores. Antiquius tamen magisque usurpatum nomen quod in praesentiarum etiam obtinet, *Sequentia* est. Sic autem dicta fuit, ait Macrius (*Hierolex. pag. 499*), quia sequitur post Graduale. Vel melius, cum Emo Bona (*Rerum Liturg. Lib. II, c. VI, pag. 141*), quia loco Sequentiae psalli coepit. Sequentia autem, uti alibi diximus, veteres appellabant neumata ac iubilum, quibus ultimum Alleluia post Graduale ornatum erat. Hinc Rodulphus Tungrensis (*propos. 23*): " Abbas Notgerus Sequentias aliquas *pro neumis de Alleluia* composuisse dicitur „: et Hugo Victorinus (*de myst. Eccl. c. 7*): " Quando Sequentia dicitur, *posterius alleluia non habet pneuma;* sed chorus concinit „. Hinc etiam alia nomina Iubilationes ac Troparia, quibus Sequentiae donata fuerunt.

2. Communis sententia est, Notgerum, vel Notkerum Balbulum, monachum S. Galli, primum earum

auctorem fuisse. Sed ipse Notherus, ait cl. Sala Bonae adnotator, qui circa annum 880 scribebat, asserit in sua Praefatione, vidisse se versus aliquos Sequentiarum in Antiphonario, quod Presbyter quidam e Monasterio Gemetici a Normannis diruto attulerat. Monasterium autem illud fuit incendio consumptum anno 841, ut observat Le-Brun (*Tom. 1, Caer. Mis. in notis ad § de sequentiis*). Ex quo coniicere iuvat, initio saltem saeculi noni Sequentias introductas fuisse. Eapropter Notherus Sequentias invenit, esto in statu tantum rudimentali. Ipsius autem fuit eas perficere, sicuti fecit; et tam scite atque perfecte, cantum spectes vel compositionem, ut numquam ab aliquo usque modo superatus sit, ait clarissimus Kienle (*Théorie et Pratique du Chant Grègor. Trad. de Dom Ianssens pag. 180*).

3. Ut quisque probe intelligit, Sequentiae tum ob compositionis naturam, rythmicam nempe ac in versibus distributam, tum quia cantus responsorii pars, alternis vocibus concinebantur. Et cantus neumatibus ornatus quam maxime erat, suavique ac iucunda melodia integra redolebat compositio; hinc ad animi exprimendos affectus permultum accommoda. Hinc etiam aetas illa magnis quidem cupiditatibus, sed non minus magna celebris fide, media aetas fuit Sequentiis admodum ferax. In quibusdam Ecclesiis a dignitariis intonabantur, et campanis omnibus sonantibus eas cantores prosequebantur.

4. Verum sicuti in humanis plerumque evenire solet, et in Sequentiis magni irrepserunt abusus. Earum numerus pene infinitus evasit, nonnullae ideoque prorsus ineptae, quas multi suo marte introduxerant, quia quisque gaudet suis novitatibus. Ita Lugdunenses proprias habent Sequentias in singulis fere Missis: propriae item extant in Missali Norvegiae, ait

Emus Bona (*loc. cit.*), et in aliis diversarum Ecclesiarum. Missale antiquius an. 1488 Sequentias inscriptas habet numero 90. Plures festorum spiritui minime respondebant, ut Synodus Coloniensis eas emendare censuerit, uti eadem fuit mens Tridentino. Quapropter Romana Ecclesia suprema Sacrae Liturgiae legislatrix ac custos per Summum Pontificem Pium V alias Sequentias eliminavit, retentis tantummodo quatuor nempe: *Victimae Paschali*, *Veni sancte Spiritus*, *Lauda Sion*, *ac Dies irae:* his addita fuit *Stabat Mater* (1).

5. Haec de Sequentiis earumque auctore in genere. Nunc saltem de auctoribus Sequentiarum, quas adhuc habemus in specie.

Omissis, brevitatis studio, innumeris opinionibus quaestionibusque, quae ab ecclesiasticis scriptoribus hoc super negotio fiunt, quae nobis magis vera apparent, atque a communi recepta seligimus.

Auctor *Victimae Paschali*, iusta doct. Dom Schubiger e Congregatione Benedictina Einsidlensi, est Presbyter quidam nomine *Wipo* e Burgundia, aulicus Conradi II. *Veni Sancte Spiritus*, probabiliter Papae Innocentio III debetur. *Lauda Sion* composuit S. Thomas Doctor Angelicus. Tandem *Dies Irae* Thomae a Celano communiter tribuitur. *Stabat Mater* auctorem habet Iacoponium Tudertinum (Iacopone da Todi).

6. De natura melodiae Sequentiarum, quas Ecclesia Romana retinuit, aliquid innuere non abs re erit. Cl. Ambrosius Kienle in prima ex his sequentiis *Victimae paschali* gallicam inspicit indolem. Indubie eius-

(1) Nonnulli tamen Regulares ex privilegio quasdam Sequentias omnino proprias adhuc retinent; uti ex: gr: Augustiniani in festo S. Fundatoris etc.

modi Prosa, plane cum eodem conveniendum, vivax est, et drammatici stili particeps: melodia singularis plena vigoris, ut exultantis animi conceptus exprimit. Ab aliis dulcedinem et tranquillitatem redolentibus, quas Notkerus composuit, essentialiter discriminatur. Textus servat quidem libertatem rythmi, sed in verborum exitus similitudinem vehementer tendit. Vibrantes motus huiusce quasi dicam poesis, temporis sensus apprime manifestantes, aliae imitatae fuerunt, diversi licet generis, Liturgiae partes, uti in Natali Domini. Ars ista lyrica originem dedit liturgicis Resurrectionis solemnitatibus, quemadmodum religiosis mediae aetatis mysteriis (*Kyenle loc. cit. cap. IX, n. V*).

7. Melodia *Veni Sancte Spiritus*, altera omnino est a praecedenti, rytmi qualitate, conceptibus, affectibusque inspectis. Exultantis in Deum animi significatio, illa: haec vero, spiritus humilis, qui se deprimit, ut ad Deum assurgat, imploretque a septiformi Spiritu donorum caelestium gratiam. Maxima suavitate ac dulcedine melodia excellit, summaque rythmus agilitate praestat, ut videatur anima in Deum absorta, tota in orationis gaudio quiescere. In *Victimae paschali* dominari videtur textus, in *Veni Sancte Spiritus* textum ipsum melodiae, ut ita dicam, famulari diceres.

8. *Lauda Sion* laudes almo Sacramento et Sacrificio Eucharistiae intexit, mentesque excitat et corda ad fidem, spem, caritatem, salutaresque obtinendos effectus, ad quos tantum institutum est nobisque concessum Sacramentum. Praecitatus Kyenle tenet, melodiam huiusce Sequentiae desumptam ex alia antiquiori ac dulcisona super Cruce, nempe *Laudes crucis attollamus*, quam Adam a S. Victore composuit. Gallicae indolis, iuxta praefatum auctorem, est cantus: qui licet pulcher, aliquid hac illac minus suavis redolet.

Haec Sequentia in omnibus editionibus, melodia inspecta, eadem legitur, si substantia consideretur; saepe saepius nihilominus nonnullae in typica mutationem notae patiuntur, adeo ut ab aliis, licet accidentaliter, huius melodia differat. Quidquid tamen sit, indubie eiusmodi cantus exultanti animo respondet, gaudiumque exprimit spiritus, cuius velut echo lingua gloriosi divini Corporis et Sanguinis mysterium pangit.

9. *Dies irae* Sequentia, qua tantum in Missis de requie utimur, mirae pulchritudinis est, animosque transfert in vallem recisionis, ultimum drammatica forma referens iudicium. Terrore spiritus perculsus refugium in Christo quaerit, eiusque implorat piissimam pietatem. Inter melodiam, quae austeritatem sapit modique dorici, et ipsum textum, aequa datur, ut par est, proportio. Huiusce Sequentiae Melodia est omnino eadem tam in editione typica Gradualis Romani, quam in aliis, uti Ordinis PP. Praedicatorum, ac Dom Pothier. Duplex in melodia est modulatio, quarum altera in primis duabus strophis, altera in duabus sequentibus, eademque ratione postea resumitur usque ad *Oro supplex*. Ab hac ad finem usque aliquod est cum superioribus discrimen: tota ceterum melodia moestitiam spiritus sanctumque timorem, affectumque Dei misericordiam implorantis, optime exprimit.

10. *Stabat Mater* perdolentis spiritus veluti gemitus est, martyrium recolentis almae Virginis stantis iuxta crucem morientis Filii. Inter innumera mediae aetatis cantica, ait Kyenle, pulcherrimum hoc censetur: ut poesis ista suavis ac penetrans coloribus suis, suisque conceptibus, universos admiratione obstupefecerit. Ad melodiam autem quod pertinet, haud una eadem est in variis editionibus. Cantus, quem habet typica, alius est ab eo, quem fert Dominicanorum

Editio; et modulatio huius sequentiae in Editione Dom Pothier a duabus praefatis prorsus discriminatur. Nihilominus, fatendum nobis, quin melodiam inter et melodiam instituamus comparationem, unamquamque ex prefatis eosdem, alio licet modo, affectus animi perbelle exprimere, quos textus significare natus est (1).

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VII.

DE DISTINCTIONE INTER FESTUM ET OFFICIUM.

Cum Sancta Sedes novum cum officio et Missa praescripsisset festum liturgicum, determinata die extra obitum recolendum in universali Ecclesia, gravissima inter Caium et Titium calendariorum redactores exorta est quaestio. Unus enim et alter diem a Sancta Sede pro eo festo statutam in proprio calendario habebant impeditam. Sed impedimentum Caii

---

(1) Organorum sonitum optime posse cantum cuiuscumque Sequentiae, nec *Dies irae* excepta, dummodo lugubri tono, et organis, uti dicitur, clausis, consociare, nemo est qui ambigat. Optandum nihilominus, ut organici liturgici cantus naturas legesque apprime sciant, ne singulares vel contrarios cantui producant effectus: quod plane absonum ac risu dignum foret.

consistebat in festo cuiusdam Patroni secundarii, quod illi diei affixum erat, diemque natalem illius constituebat: impedimentum vero Titii consistebat in quodam officio, quod praefata die ex occurrentiae legibus reposuerat. Iam nunc sustinebat Caius, novum officium non in die a Sancta Sede statuta, sed prima die libera esse reponendum in suo calendario; dum e contra in calendario Titii novum festum in die a Sancta Sede statuta esse affigendum, et officium vetus in prima die libera ulterius reponendum. Quod cum Titio minime placuisset, eidem Caio morem gessit, nempe, servato officio antiquiori in die sua, novum festum ad primam diem liberam amandavit.

Quaeritur:

1. *An vi Rubricarum et Decretorum, festum et officium sint unum et idem, an revera distinguantur et quomodo?*

2. *Utrum Sanctus, cuius festum agitur, praeferendus sit in occurrentia alteri, cuius officium tantum celebratur?*

3. *Quid erat agendum, et quis erravit ex duobus, ut in casu expositum est?*

SOLUTIO.

Ex Dissertatione Rev. Dom. Ioannis Biasotti e Pontif. Seminario Romano: habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 27 Apr. 1892: acta Epitoma a Rmo Dom. Chalcedonio Mancini eiusdem Academiae Moderatore.

I. Imprimis inquiritur: an Rubricarum Decretorumque vi, festum et officium sint unum et idem, an revera distinguantur, et quomodo.

Antequam nodum quaestionis in primo propositae quaesito attingamus, satis opportunum ducimus exacte definire quid sibi velint verba *festum* et *officium*, ex

hac enim definitione totum negotium nostrum dependêt. *Festum*, vel *festivitas* aut *dies festus*, iuxta Macrium, et communiter iuxta omnes Liturgicos, dies illa appellatur, ab Ecclesia selecta, ut memoria alicuius Sancti, vel Mysterii cultu liturgico recolatur, cuiuscumque haec sint ritus, habeant vel non feriationem adnexam. Hinc *dies festus* idem est ac *dies propria*, dies illa scilicet, in quae Mysterium aliquod adimpletum fuit, aut Sanctus caelestem patriam ingredi meruit. Hinc etiam *dies festus* nominatur *dies natalis;* quia, ut verbis utar S. Ambrosii, ea die, laqueis contritis, ad superos evolans, anima beata in libertatem renascitur Christi. Similiter Tertullianus (*in lib. 6, de Corona militum*), *dies festus, Natalitia* nuncupavit, quod et Liturgici, omnes postea fecerunt *diem natalitiam* pro *die propria* indiscriminatim accipiendo.

Officium vero, complexus est liturgicarum precum, quas Ecclesia suis proponit ministris ad diem festum agendum. Inter quas, principem locum sacrosanctum Missae sacrificium obtinet; sicuti nomina ipsa, quibus antiqui *officium* appellare consueverunt, aperte demonstrant. Nam apud Graecos, *Canon* appellatur, vel *Synaxis, Collecta* in regula S. Pacomii, et in Agathense Concilio, sub Symmaco celebrato anno 506, in canone 30, *Missa* nuncupatur.

Et S. Iustinus Martyr haec de christianorum conventibus: " Conveniunt (christiani) dominico die ad Deum insimul precandum, rerumque omnium Parenti laudes concinendas; ac imprimis sacri leguntur libri, postea vero stantes orationi vacant fideles, interim panis, vinumque offertur et aqua, et, gratiarum actione a Praelato peracta, omnes *Amen* respondent. Ex rebus insuper oblatis, adstantes participant et absentes Diaconorum ministerio ".

Ex omnibus ergo superius relatis, in aprico est, in antiquitate officium vel laudum decantationem, a sacrosancto Missae sacrificio, nunquam fuisse disiunctum. In ipso igitur apostolico aevo Missa praecipua pars officii fuit. Ea propter ad hanc devenimus conclusionem, *Officium esse modum* quo Mysterio cultus tribuitur, vel Sancto, de quo dies festus agitur.

Ex qua conclusione manifestum fit, magnum intercedere discrimen *festum* inter et *officium:* et quamquam absque ambiguitate nonnumquam promiscue ab auctoribus ea verba usurpentur, nihilo tamen minus alterum ab altero interdum distinguendum est, ne confusio et ambiguitas in quaestionibus ingeratur.

Ita ex. gr. evenire potest ut aliqua particularis Ecclesia festum recolat patronale in die, in quo a Sancta Sede aliquod ponitur festum ab universali Ecclesia recolendum. Cum ergo pro illa particulari Ecclesia dies ista sit impedita, necessitas fert, ut festum universale transferatur, et alia die celebretur. Nunc autem iure merito inquiritur, utrum dies ista, pro universali festo recolendo assignata, sit revera dies festus, sicut festus dies est illius Patroni, de quo superius dictum est. Iam vero respondetur, diem praefatum, festum non constituere, quippe quod in die recolitur a S. Sede statuta: adeo ut eo in die officium tantum in particulari Ecclesia recitetur. Permultis argumentis sententia ista demonstrari posset, brevitatis tamen studio, quaedam tantum attingimus.

Et imprimis in Martyrologio Romano, sub Pio Papa IX anno 1867 Romae edito, in Appendice pro clero Urbis, *officium* in sensu a *festo* diviso reperitur. Ita die 14 Februarii legitur: " Officium S. Agathonis Papae Confessoris, cuius festum quarto idus Februarii celebratur: „ idemque pluries habetur. Similiter

quum duo occurrunt in eodem die festa, sicuti ex: gr: festum SSmae Sindonis et S. Gabrielis Archangeli, alterutrius quidem transfertur officium, haud vero festum. Idem de S. Cyrillo Hierosolymitano dicendum, quando die suo 20 Martii a Dominica III Quadragesimae impeditur. Ad hanc distinctionem peritiores Calendariorum redactores semper advertunt, ita in Calendario sacrosanctae Lateranensis Archibasilicae tabella invenitur, in qua *officia* Sanctorum signantur, quae in anni decursu a die propria ad alteram transferuntur.

Insuper Rubricae generales Breviarii (*Tit. X, n. 1*) docent, festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae transferendum in diem immediate sequentem, si occurrat cum festo solemniori Corporis Christi (*Rub. Gen. Tit. X. n. 1*). At eadem Rubrica notat, translato festo, non ideo transferri octavam (*loc. cit. et Notand. post tabell. occurr.*), quod generaliter servandum iubet. Iam nunc inquirere licet: qua de causa festum iure merito gaudens octava, si transferri contingat, octavam non ferat secum? Indubia responsio videtur: quia festum *proprie* loquendo non transfertur, sed *officium* tantum, octava autem festum sequitur iuxta Rubricam, non vero officium. Peculiari mentione dignum ducimus Decretum *Tornacen.* d. d. 1 Sept. 1866 quod definit: " Festum Annuntiationis ubi est Titularis habere debet octavam cum transfertur quoad chorum et forum, gaudere autem non debet octava cum transfertur quoad chorum tantum, nisi adsit speciale privilegium (*Dub. II*) ". Uti autem patet, hoc est idem ac dicere. aliud esse festum, aliud esse officium: si enim hoc tantum transfertur, octava non gaudet, bene autem si ipsum festum transferatur. Praeterea saepissime videre est, solemnitatem aliquam celebrari alicuius

festi, quod, ut communiter exprimimur, transfertur. Quid autem solemnitas illa significat, nisi festum, quod ea die, quia impedita, celebrari nequit, transferri? Et nihilominus S. R. C. proclamat, solemnitatem festi, die ipso quo cadit, esse celebrandam, quamvis transferatur officium (*Ianuen. 15 Sept. 1668 ad 10*). Hinc sequitur, externam pompam, sicut octavam de qua superius, festo esse adnexam, nequaquam officio. Idem praedices de festo, quod feriatione fruitur; namque festum translatum nunquam feriationem fert secum. Quod demonstrat, non transferri festum, licet ea ratione loquamur, sed transferri officium, festum vero celebrari eodem, in quem incidit, die; obligatio enim audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus sequitur festum, haud vero officium. Ergo non est festum quod translationem patitur, sed officium (1). Saepius praeterea evenit, ut alicui festo adnexa sit seu partialis seu plenaria Indulgentia. Verum haud semper profecto cum translatione festi Indulgentia transfertur: id autem significat festum quandoque revera non transferri, sed officium: Indulgentia autem, secluso indulto, illud, non hoc sequitur. Quod sane ipsa S. R. C. definit, docens, Translato festo quoad officium, non transferri Indulgentiam tali festo adnexam: quodque ceterum in Decreto *Urbis et Orbis* ab eodem Sacro Tribunali solemniter proclamatum fuit (*9 Aug. 1852*).

Inferendum ergo primo est ex hucusque discussis, festum inter et officium, magnum revera discrimen

(1) Nota decreta sunt circa festum Annuntiationis, quae tunc tantum exigunt translationem festi, quando in die in quem festum incidit, celebrari nequit.

intercedere, ut alterum confundi cum altero, nec possit nec debeat. Cum itaque seu Rubricae seu Decreta loquuntur de translatione festorum, recte intelligenda lex est, ut festa transferri tantum praedicent, generatim loquendo (1), quoad officium. Festum enim diei annexum est, quod vel mysterium vel eventum respicit eadem die expletum: quod si festum recoli ea die liturgico officio propter impedimentum nequeat, tunc ordinario non transfertur festum, sed tamen cum liturgico officio alia die recolitur. Secundo, sicut finale rei alicuius obiectum necessum est a subsidiis differre, quibus obtinetur, ita festum ab officio liturgico discriminetur oportet; namque officium liturgicum, seu preces et laudes ab Ecclesiae statutae subsidia constituunt, quibus festus dies, seu festi celebratio recolitur. Tertio, cum dicimus festum aliquod agere, saepissime intelligimus omnium subsidiorum exercitium, quibus ipsum revera festum agitur: hinc una eademque festi

---

(1) Dictum est, *generatim loquendo;* nullum enim dubium est, festi transferendi potestatem inesse Ecclesiae, quam saepe eadem Ecclesia facto demonstrat. Ita in Martyrologio Romano legitur (*die 23 Iulii*): « Festum S. Birgittae Viduae, cuius sacrum Corpus Nonis Octobris in Sveciam translatum fuit, et festivitas octavo Idus eiusdem mensis celebratur ». Alibi (*die 21 Sept.*): « Passio S. Alexandri Episcopi etc. Eius corpus Damasus Papa in Urbem transtulit sexto kalendas Decembris, quo die festivitatem illius celebrandam instituit ». Similiter (*die 30 eiusd. mens.*): Romae Natalis S. Francisci Borgiae Societ. Iesu, de quo sexto Idus Octobris festum celebratur ». Ita etiam alibi et continuo. Sed quaestio nostra non hanc diem respicit, quam auctoritate Apostolica Ecclesia in aliam mutat; sed diem, quam calendariorum redactores assignant, sive per accidens sive in perpetuum: in hanc dicimus officium solum transferri, non festum, quamvis cum officio et festum recoli fictione iuris censeatur.

et officii significatio. Re sic accepta, nihil obstat, quominus dicamus, festum et officium idem significare. Nihilominus optimum semper erit inter utramque denominationem discrimen ponere, ut omne removeatur ambiguum, et ab omnibus dignoscatur vera festi et officii significatio.

II. Secundo inquiritur, utrum, si ex duobus Sanctis, de quorum altero recolitur festum, de altero vero officium, ille cuius festum agitur, sit huic, cuius recolitur officium, in occurrentia praeferendum.

Discrimen revera intercedere inter festum et officium, iam expositum fuit, neque id proprio marte, sed reapse Rubricarum Decretorumque auctoritate statutum. Dubii ergo propositi resolutio ab alterius Dubii videtur resolutione pendere, nempe: Inter festum et officium, potius ne illud est, an istud? Sed, generaliter loquendo, nullius videtur esse laboris hoc postremum Dubium. Quanto magis enim mediis praestare debet finis, tanto officio festum. Officium enim ad recolendum festum diem est institutum: ut officium sit propter festum, non autem e contra festum propter officium; illud ergo huic praevalere dicendum est. Idque ex eo quoque ostenditur, quod festum *per se* comprehendit officium, quo illud celebratur; sed officium non includit festum, a quo saepe ratione impedimenti dividitur; praestat ergo festum officio.

Sed, ratione liturgica praetermissa, ad ipsam Rubricarum legem convertimur. Notum est, quodcumque festum impeditum, si duplici minori sit maius, esse transferendum: hoc est, cum die sua recoli nequeat, per integrum officium alia die recolendum est. Iam vero, quo transferendum, seu in quam diem? In primam liberam, hoc est, festo duplici vel semiduplici non impeditam: haec lex generalissima, quam nonnullae

exceptiones ulterius confirmant. Quare ergo duplicia seu maiora, seu secundae, seu etiam primae classis, die propria impedita, ut celebrari in alia possint, postponenda sunt omnibus aliis diebus, quos duplex minus atque etiam semiduplex occupat? Ratio una est ac simplex: quia dies, quos duplex aut semiduplex occupat, sunt dies festi, quibus officia praevalere non debent. Ergo eo usque impedita officia transferantur, donec inveniatur dies festo duplici vel semiduplici libera, non enim fas est, ut officium, ritus licet superioris, festo praevaleat quamvis inferioris ritus (1).

Praeterea consulenda opportunius S. R. C. cuius mens ex Decreto *Mechlinien.* maxime elucet. Dubium Sacri Tribunali propositum d. 13 Sept. 1840 ad II, supponit, die 2 Augusti in aliquibus particularibus Mechliniensis Dioecesis Ecclesiis celebrari officium S. Marthae, quod translatum perpetuo ea die repositum fuerat; et interim novum statui festum pro universali Ecclesia eadem die 2 Augusti, festum nempe S. Alphonsi de Ligorio. Quaeritur itaque: (*Dub. II*) " 1. An huic novo festo (S. Alphonsi) alia dies sit assignanda in particularibus illis Ecclesiis, ubi die 2 Augusti celebratur festum Sanctae Marthae, an vero

(1) Obiices quidem, dari quoque festa ritus simplicis, quibus vi Rubricarum officia impedita praevalent; ergo principium falsum est. Sed respondemus inter omnes ritus, esse simplicem adeo tenuem, ut comparationem cum aliis omnibus, quibus subest, minime sufferat. Hinc festa Sanctorum simplicia propria die occurrentia, tunc solum vi Rubricarum per integrum celebrantur officium, cum nullum aliud potioris ritus festum occurrit. Namque trium est lectionum, haud novem sicuti cetera, quibus proinde necessario subesse debet. Eapropter natura festi simplicis longe inferior festis aliis cunctis, nil valet contra positum principium, quod in Rubricis aperte continetur.

festum S. Alphonsi Mariae de Ligorio sit praeferendum, et festum S. Marthae ulterius transferendum ad primam diem non impeditam? „.

Huic dubio S. R. C. respondet: " Ad II. Quoad primam quaestionem: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam „. Ergo non festum S. Marthae, sed festum S. Alphonsi praeferendum est in casu, et primum ulterius transferendum. At de S. Alphonso celebrandum est festum die 2 Augusti, de S. Martha vero nonnisi officium; ergo iuxta S. R. Congñem festum praeferendum est officio.

At oppones: S. Alphonsus non dicitur praeferendus S. Marthae, quod de illo festum, de hac celebretur officium, sed ideo quia S. Alphonsus ritu duplici, S. Martha autem ritu semiduplici recolenda est.

Respondemus, obiectum nullius esse momenti, et rationem praelationis esse tantum et unice festum, quod officio praefertur. Nam ritus qualitatem nihilo minus in casu probare, alterum Dubium, quod sequitur primum, satis superque demonstrat.

Audias ergo: " 2. Quid, si alicubi die 2 Augusti hactenus celebrari consuevit festum aequalis aut altioris ritus, ex. gr. S. Petri ad Vincula in Ecclesiis, ubi prima Augusti celebrari debet dies octava S. Iacobi Apostoli tamquam Patroni „? Iam audi responsum: " Quoad secundam (*quaestionem*), quum sint translata, ulterius progrediantur iuxta Rubricas, dies enim secunda Augusti est propria Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio „.

Ita ergo ratiocinari liceat: Ratio praelationis in casu aut ritus esse posset, aut dignitas, aut proprietas Sancti recolendi, aut praecise festum unius prae altero: alia in casu praelationis ratio dari nequit. Atqui ratio ritus excluditur, quia S. Petrus ad vincula

est dup. maius, et S. Alphonsus duplex minus: item excluditur ratio dignitatis, quia S. Alphonsus minus dignus est S. Petro: proprietas pariter non consideratur, quia agitur de duobus Sanctis, qui nonnisi communem cum Galliarum Ecclesiis relationem habent, sicut cum aliis Ecclesiis. Ceterum, nulla ex tribus allatis rationibus maiori vi pollere potest, quam ritus, qui superior est, et nihilominus idem ritus negligitur. Manet igitur unica in casu praelationis ratio, quae ex festo constituitur, quod officio praefertur. Quin imo, si a ratiocinio etiam abstrahere velimus, eadem manifesto constabit veritas. Namque S. R. C. rationem praelationis ipsamet affert, dicens: *dies 2 Augusti est propria* (1) *S. Alphonsi*. Atqui dies propria, uti superius

(1) Dies *propria* saepe in re liturgica nominatur, frequenter autem dies *tamquam propria:* dies ne utraque iisdem iuribus gaudet, adeo ut unum idemque significet? Vehementer negamus, et dicendum potius diem *tamquam propriam* quorumdam iurium diei *propriae* esse participem, haud vero omnium, multoque minus iuris praecipui, nempe quod dies *tamquam propria* sit vere dies festus, sicuti *propria*, ut in illa celebretur vere festum, sicut in ista; hoc enim falsum iudicamus, nisi auctoritas accedat Ecclesiae id declarantis. Arbitramur itaque, diem *propriam* iure appellari et esse *diem natalem:* diem *propriam* iure quoque appellari et vere censeri diem, per Breve vel Bullam Apostolicam perpetuo *mutatam* in aliam, uti comprobatum novimus de S. Dominico, de S. Vincentio a Paulo, de S. Basilio, aliisque pluribus; sed diem iudicamus non esse *propriam*, licet *tamquam propriam*, illam, quam iuxta occurrentiae leges statuere tenetur Episcopus pro Sanctis perpetuo transferendis, seu reponendis. Namque dies 2 Augusti iuxta Decretum *Mechlinien.* d. d. 13 Sept. 1840 ad II, erat *tamquam propria*, seu ab Episcopo assignata pro S. Martha, et nihilominus S. R. C. decrevit, eidem diei affigendum S. Alphonsum, pro quo dies illa erat *propria*. Ergo dies *tamquam propria* non est *propria*, sub omni respectu, istaque illi praevalet: quod si-

visum est, idem significat ac diem festum, seu ipsum festum: quae ratio nec de S. Martha, nec de S. Petro ad Vincula comprobatur, cum sint translata in casu. Ergo aliis verbis proferentes allatam a S. R. C. rationem praelationis, iure merito cum eadem possumus concludere: Ideo S. Alphonsus praefertur S. Marthae et S. Petro ad Vincula, quia de illo recolitur festum, de istis autem nonnisi officium. Atqui eiusmodi rationem in omnibus similibus casibus applicari posse, cum sit universalis, nemo non videt; ergo merito principium generale exurgit, festum esse officio praeferen-

---

gnificat in die *tamquam propria* non festum agi sicut in *propria*, sed officium tantum. Secus non intelligeretur qua de causa S. R. C. Sanctum Alphonsum praetulisset S. Marthae, et multo minus S. Petro ad Vincula, qui potioris erat ritus. Dies itaque *tamquam propria* non respondet in omnibus diei *propriae*, et haec potior est illa. Ad rem Cavalerius Decretum commentans *Einsidlen.* 5 Maii 1736, quod decernit festum S. Barbarae duplex, faciendum die 4 Decembris, et aliam diem assignandam pro S. Petro Chrysologo. Dispositionis huiusce rationem tradens, scribit: « Ducimur autem ad id asserendum, quia die 4 Dec. est dies vere *propria* et Natalitia S. Barbarae: non sic autem est S. Petri Chrysologi, qui, ut superius diximus, die 2 Dec. ad aeternam transiit gloriam: unde relate ad eumdem Sanctum Praesulem est dumtaxat dies assignata *veluti propria*. Fortius autem ius habet festum in diem vere *propriam* ac natalitiam, quam in diem assignatam ac *veluti propriam;* imo totum ius quod habet festum in diem assignatam, habet quia ea dies eidem *uti propria* assignatur (*Lib. I, Cap. IV, Decr. XIII, n. 4*) ». Severe loquendo, dies *propria* est dies a S. Sede selecta ad recolendum aliquod festum, dies *tamquam propria* est dies ab Episcopo statuta vi legis, ad officium recolendum festi impediti. *Tamquam prapria* dicitur, quia similis *propriae* aliis officiis transferendis nunquam cedit; neque si occurrat in Dominica, huic cedit, quemadmodum non cedit *propria*, est enim fixa et perpetuo assignata. Toto ergo caelo errant, qui utramque diem in omnibus confundunt.

dum. Animadvertendum postremo est, Sacrum Tribunal solutionem ultimi Dubii exhibens, addere eam esse iuxta Rubricas; ergo et iure quoque inferre licet, festum esse officio praeferendum iuxta Rubricas. Consequenter, ut explicite alteri proposito Dubio faciamus satis, reponimus, Sanctum cuius agitur festum, rationibus liturgicis inspectis, S. R. Congñis Decretis, et Rubricis, alteri praeferendum in occurrentia est, cuius celebratur officium.

III. Quid igitur, inquirit petitio ultima, agendum erat? Quis ex duobus calendarii redactoribus erravit in casu?

Facilis post dicta responsio. Novum supponatur festum institutum, recolendum determinata die in universali Ecclesia: puta festum S. Bonifacii Episc. Mart. die 5 Iunii, ut paucis abhinc annis, Pio IX Pontifice, accidit. Item suppone duas haberi particulares Ecclesias, in quarum altera, dies V Iunii dicata est S. cuidam Compatrono, et quae dies natalis seu *propria* est, consequenter *festiva:* in altera vero eidem diei perpetuo affixum est officium, a die sua translatum, quae dies proinde est *veluti propria*. Nunc autem quid agendum in casu erat? Negotium patescit: in calendario, ubi die V Iunii recolebatur festum S. Compatroni, nulla mutatio facienda; quia Sanctus in die sua recolitur, et die V Iunii vere illius festum celebratur. Nisi ergo dignitas festi recentioris praevaleat, transferendum ipsum perpetuo est a die sua, quia festum antiquius possidet. In calendario autem, ubi die V Iunii officium celebratur festi perpetuo impediti, novum festum eadem die est omnino celebrandum; festum enim officio praevalet, et dies quo celebratur officium est *tamquam propria*, sed illa in qua festum recolitur, est vere *propria*, ut haec illi praevalere omnino de-

beat. Hinc cum eadem S. R. Congñe, Decretum *Mechlinien.* superius citatum iure applicantes respondemus: Officium translatum ulterius progrediatur iuxta Rubricas, dies enim V Iunii est propria S. Bonifacii Martyris.

Quomodo vero se gesserunt duo Redactores in casu? Uterque servarunt antiquius, et novum festum in primam diem liberam amandarunt. Quod idem est ac dicere: primus nempe Caius, optime se gessit, alter, nempe Titius, graviter erravit.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. vide N. 2, pag. 221*)

99. Crux in altari. Rubricae Missalis Romani (§ XX) mandant: *Super altare collocetur Crux in medio, et Candelabra.... hinc inde in utroque eius latere.* Crux ergo praecipuus est altaris ornatus, et quidem cum imagine Crucifixi non tantum quia id exigit finis legis, ut scilicet passio D. N. I. C. in memoriam revocetur, et fert universalis consuetudo, sed etiam quia id supponit Rubrica Missalis (*Rit.* §. II, n. 2) ubi praecipit: *Cum pervenerit* (*Sacerdos*) *ad altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit..... et altari, seu imagini Crucifixi desuper positae se profunde inclinat;* nec non Caeremoniale Episcoporum (*Lib. 1, c. 12, n. 11*) quod aperte

iubet: *Supra vero in planitie altaris adsint candelabra....... in quorum medio collocabitur Crux....... et Crux ipsa tota candelabris superemineat, cum imagine Crucifixi, versa ad interiorem altaris faciem.*

Crux autem " non ita tenuis et exigua esse debet ut Sacerdotis et populi oculos pene effugiat, sed tam magna ut Celebrans et populus eamdem commode aspicere possit „, prout mandat Benedictus XIV in sua Constitutione *Accepimus* 16 Iulii 1746 (1). Neque

---

(1) Pretium operis esse ducimus hic lectoribus proferre hanc Constitutionem, ob eius maximum momentum et gravitatem. « Acce» pimus praestantium virorum testimoniis iampridem in quibusdam » pontificiae ditionis civitatibus inductam esse consuetudinem, quae » licet pietatem ac religionem praeseferat, Ecclesiae tamen insti» tutis ac disciplinae plurimum adversatur. Idem nos ipsi deprehen» dimus (*Videant visitatores et tanti Pontificis vigilantiam admi» rentur*) in aliquibus ecclesiis huius nostrae Romanae Urbis, et » aliis pariter, quae Episcopis Suburbicariis subiiciuntur. Qua» propter muneri nostro deesse magnopere videremur, nisi de hac » re monerentur illi, qui pro spirituali huius Civitatis regimine » ministri a Nobis constituti sunt, et alii, qui Suburbicarios Epi» scopatus, vel alterius Civitatis in ditione Pontificia sedem obti» nentes, curam gerunt animarum ».

« In altaribus, quae per Ecclesias erecta sunt, et in quibus » sacrum fieri consuevit, praeter maiorem tabulam, quae vel de» pictam vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cuius nomen et » memoriam altare consecratum est, adiungi coepit alia minor ta» bula, in qua vel coloribus exprimitur, vel aere, ligno, aut mar» more inciditur effigies alterius Sancti, ita ut Crux auferatur, » quae iuxta Rubricas, inter candelabra collocari debet. Cum vero » neminem lateat, rem divinam confici non posse, nisi Crucem cum » imagine SS. Crucifixi super altare constituatur, hinc minori » tabulae superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presby» teri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distin» gui ferme possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super » altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit ».

dicas hanc Constitutionem vim tantum habere pro Ecclesiis Ditionis Pontificiae, ad quarum Episcopos est directa, primum quidem, quia obiectum Constitutionis, omnes Ecclesias tangit, in quibus corruptela

---

« Equidem non improbamus, quod idem altare in plurium » Sanctorum nomen ac memoriam dedicetur, quodve in maiori » tabula aut unus tantum, aut plures etiam Sancti pingantur, vel » denique, quod alia minor tabula collocetur inferius, aut alio quo- » cumque modo, ubi unus vel plures Sancti Fidelium venerationi » proponantur. ILLUD PERMITTERE NULLATENUS POSSUMUS, QUOD » MISSAE SACRIFICIUM IN HIS ALTARIBUS CELEBRETUR, QUAE CA- » REANT IMAGINE CRUCIFIXI, VEL IPSA INCOMMODE STATUATUR » ANTE PRESBITERUM CELEBRANTEM, VEL ITA TENUIS ET EXIGUA » SIT, UT IPSIUS SACERDOTIS ET POPULI ASSISTENTIS OCULOS PENE » EFFUGIAT, id enim alienum est a legibus Ecclesiae, quae in Ru- » bricis, aliisque Ecclesiasticis sanctionibus continentur: id etiam » maxime contrarium est sacrae antiquitati, et Ecclesiarum etiam » Orientalium consuetudini, ita ut CERTISSIMUM SIT VIOLARI LEGES » ECCLESIAE, SI EXIGUA SOLUM IMAGO CRUCIFIXI PRAEFIGATUR » MINORI TABULAE, VEL STATUAE SANCTI, qui superadditur, ut » illum fideles venerentur ».

Postquam vero sapientissimus Pontifex praecepta hac super re attulerit, Missalis, et Pontificalis Romani, nec non Caeremonialis Episcoporum, atque disciplinam Ritus quoque Orientalium, solutis dein quatuor quaestionibus quas sibi proponit, nempe 1° quod Crux in altari, habere debet Crucifixi imaginem; 2° quod Crux non requiritur quando adest magna statua Crucifixi, prout in textu explicavimus; 3° quod item crux requiritur, etiamsi adsit in Tabernaculo SS. Sacramentum; 4° quod cum exponitur in throno SS. Sacramentum, Crux in altari collocetur vel non, iuxta Ecclesiarum consuetudines, sequitur dicens:

« Si etenim iuxta Rubricas Missalis, Crux inter candelabra » statuenda est; si, iuxta Caeremoniale Episcoporum, Crux ipsa » cum imagine Crucifixi Candelabris supereminere debet; si, iuxta » sensum Congr. S. Rit. non satis esse iudicatur exiguus Cruci- » fixus tabernaculo infixus, cum Missa celebratur, ubi Pixis, cum » sacris particulis in tabernaculo includitur; si in praesenti non

ab ipsa Constitutione damnata, inveniatur, secundo autem quia S. R. C. suo decreto generali 17 Septembris 1822 (N. 4590 ad 8) a Pio VII specialiter adprobato, legem a Benedicto XIV statutam, non tan-

» agitur de Altari, in cuius tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco fidelibus exhibetur; nec minus de altari, in quo Sacra » Eucharistia publice adoranda proposita sit; nemo est qui non » videat, PRAXIM DE QUA AGITUR, RECENTER INDUCTAM, proprio» que marte a privatis personis usurpatam, EX SUPRADICTIS DICEN» DAM ESSE OMNINO IMPROBATAM; eoque magis, cum ex exiguo » Crucifixo, qui praefigitur Tabulae eius Sancti, qui altari super» additur, eo profecto utilitas non consequitur, quam proponit » Ecclesia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit ». Subinde, refert quae de symbolo Crucis altaris scripsit Card. Bona, et sequitur dicens: « Itaque vos omnes, Venerabiles Fratres ad » quos haec Apostolica scripta dirigimus, curam magnopere im» pendite, ne vestris in dioecesibus irrepat consuetudo, quam su» perius explicavimus; quod si iam invaluerit humanitatem prius, » ac deinde severitatem, si opus fuerit, adhibentes ILLAM PENI» TUS CONVELLITE. De sacrificio missae res agitur, ideoque nemo » vestrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem » Episcopis et Ordinariis locorum, ut etiam tamquam Sedis Apo» stolicae delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quae » Ritus Missae celebrandae adversantur; ita clare desumitur ex » Sess. 22 in decreto *de observandis et evitandis in celebratione » Missae* ».

Hic posteaquam Episcopis auctoritatem hac super re confirmaverit etiam pro ecclesiis Regularium, huic praestantissimae constitutioni finem imponit scribens:

« Illud monendum superest, eam Nobis mentem haud esse, » ut imagines Sanctorum, quae maiori Tabulae Altaris superaddi» tae sunt, de medio auferatis, cum fortasse defuturi non essent » invidi, qui ut pietati vestrae maculam inurerent, in vulgus dis» seminarent, Vos nulla duci religione in eum Sanctum, cuius » Imaginem Fidelium venerationi subducitis; ILLUD VOBIS PRAE» CIPIMUS UT NULLO MODO PATIAMINI REM DIVINAM FIERI AD HU» IUSMODI ALTARIA NISI CRUCIFIXUS INTER CANDELABRA ITA PRO-

tum innovavit, sed et OMNIBUS LOCORUM ORDINARIIS stricte observandam mandavit. Ad dubium itaque: *An et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit?* Respondit: ad 8. *Reprobandum abusum, et ubi invaluit ordinarius loci provideat iuris et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda est Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii apte*

» MINEAT, UT SACERDOS ET POPULUS SACRIFICIO ASSISTENS EUM» DEM CRUCIFIXUM FACILE ET COMMODE INTUERI POSSINT; quod » evenire nequit, si exigua solum Crux minori Tabulae defixa » fidelibus exhibeatur. Si eiusmodi corruptela in dioecesim non » valde propagata est, facile extingui poterit, si privatim Regu» lares aut Saeculares Ecclesiarum Superiores de hac re monean» tur; sin autem late per Dioecesim invaluerit, tunc a Vobis edi» ctum necessario promulgandum erit, quod his Nostris litteris » conformetur ».

« Plura etc. Interim etc.... Benedictionem impertimus. Da» tum etc. Die 16 Iulii 1746 ». Corruptelam, de qua vigilantissimus Pontifex Benedictus XIV conqueritur, hac nostra aetate potius quam imminutam, per universum orbem dilatatam in pluribus ecclesiis cum dolore confitendum est. Rogamus ergo venerabiles Episcopos per suos visitatores, ut Constitutionis Benedictinae adimplementum, qua par est diligentia urgeant omnino, ut res tanti momenti in pristino statuatur. Hinc non satis est laudandus Revmus Io. Baptista Scalabrinius Placentinorum Episcopus, qui pro sua dioecesi praescripsit ut Cruces Altarium minorum ad minus longitudinem habeant, pede secluso, Centim. 45, et transversam Centim. 30; in altari autem maiori, longitudinem habeant non minus Centim. 60, pariter pede secluso, et transversam Centim. 40. Diximus non satis laudandus praedictus Episcopus, quia nisi mensura praecise indicetur, saepe saepius legem in casu plurimi parvi faciunt.

apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam Populo. Huiusmodi ergo lex ubique locorum est observanda.

Caeterum convenit ut Crux ex eadem materia conficiatur, ex quo sunt Candelabra, hoc tamen rigorose non praecipitur; iuxta vero Caeremoniale Episcoporum (*loc. cit.*) pes crucis aequare deberet altitudinem eorumdem, ita ut Crux ipsa candelabris supereminent.

Quod si in altari habeatur magna statua Crucifixi, vel tabula depicta in qua Crucifixus sit expressus, et primum locum ipsa teneat, tunc non amplius requiritur Crux in medio Candelabrorum. (*S. R. C. 16 Iun. 1663 n. 2231, et Bened. XIV loc. cit.*) Advertat Visitator quod in tabula depicta Crucifixus primum locum revera obtinere debet, ut sit sufficiens ad celebrationem Missae; quamobrem, si habeatur in tabula aliquis Sanctus, Crucifixum, licet magnum, prae manibus habens; aut etiam si Sanctus ante Crucifixum sit provolutus, Crucifixi tamen imago vel parvula sit vel ita collocata, ut ipsa accessorium potius, quam principale obiectum tabulae esse videatur, tunc in illo altari prorsus requiritur alia crux, cum Crucifixo, in medio Candelabrorum.

Videat etiam et inquirat Visitator, an aliquando, occasione alicuius solemnitatis, in medio altaris, scilicet in loco Crucis, statua collocetur B. Mariae V., aut alterius Sancti, (imo etiam statua ipsius SS. Salvatoris), ita ut ad pedes eiusdem statuae Crux parva ponatur; hoc enim illicitum est, non tantum quia prohibitum a S. R. C. Decreto generali (*17 Sept. 1822* N. 4590), sed etiam quia inverteretur debiti cultus ordo, ut bene notat de Herdt (*p. 1, n. 180 IV*); nam statua in principali altaris loco posita, principale quoque altaris obiectum videretur, et reverentiae ad eamdem potius dirigi censerentur, quam ad

Crucem, quae exigua, uti fieri solet, in loco inferiori, ante imaginem apponitur.

Tandem meminerit Visitator, S. R. C. (*2 Iunii 1883 n. 5874 ad 3*) prohibuisse, ne Crux statuatur super throno, in loco ubi exponitur SS. Sacramentum. Ad quaesitum enim: *Utrum tolerari possit usus statuendi crucem super throno, et in eo praecise loco, super quo publicae adorationi in ostensorio exponitur SSm̃a Eucharistia?* et quatenus *affirmative, num tolerari possit Crucem ipsam superimponendi corporali.* Respondit: *Negative in omnibus.*

Item non est deserenda haec de Cruce tractatio, quin proferamus S. R. C. Decretum (*12 Iulii 1704 n. 3697*), quo statuitur: " Cruces altarium seu Processionum non esse benedicendas de praecepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim ". Huiusmodi ergo benedictio licet non necessaria, valde est congrua, ita Cavalerius (*Vol. 4, c. 11 Decr. 188*), et in casu, ut docet Baruffaldus (*tit. 69 n. 3*), sumenda est benedictio Ritualis pro Imaginibus (*cap. 25 Editionis Typicae*) non autem benedictio pro nova Cruce, (*cap. 24*), quae magis convenit pro cruce absque imagine SS. Crucifixi.

(Continuabitur). P. S. Florentii, *Vicarius Foraneus.*

DE PRAELATIS

EPISCOPIS INFERIORIBUS EORUMQUE INSIGNIBUS

DISSERTATIO

1. Plures super Praelatorum Insignium usu et abusu querelas audivimus, sive ab Episcopis Dioecesanis, sive a multis ex ecclesiasticis in Urbe degentibus. In ultimo Ephemeridum numero quaedam eodem super negotio Dubia resolvimus, sed breviori calamo: quod forte, et adm. Rev. Inquirenti, et aliis quorum interest, haud plene arrisit; sed necessitas id tulit. Impraesenti, quantum licet, sermonem ex professo instituimus hac de materia, ut quid pro Praelati nomine intelligatur, et quot illorum recenseantur species, simulque quorum iidem Insignium usu gaudeant, ac quibus in casibus, innotescat. Haud parvi nec facilis momenti negotium; nihilominus ipsum aggredimur, non quidem ecclesiasticae, si forte detur, ambitioni, sed iustitiae potius ac veritati ab omnibus, maxime Sacerdotibus adamandis, satisfacturi.

2. Studio de Praelatis, qui Episcopis sunt inferiores, disserendum nobis tantummodo proposuimus. Purpurati namque Patres, sacrique Antistites, tanta in Ecclesia Dei excellentia sunt praediti, ut illos tamquam Pontificis constituentes senatum, hos tamquam Ecclesiae divinae rectores, maxime ab aliis, ad In-

signia quod spectat, discriminari, merito iudicetur ab omnibus. Sublimissima nihilominus Summi Pontificis dignitas, qua magis nulla eminet in terris, exigit, ut praeter Cardinales et Episcopos, alii non desint in Ecclesia viri, quos sibi Pontifex in servitium eligat: ut gloria et splendore circumdatus Deum, cuius gerit vices, repraesentare digne valeat. Pontificiam dignitatem praeterea negotiorum multiplicitas sequitur et gravitas, quae fert necessitas ut aliis committantur. Hi autem omnes, seu quod bene de Ecclesia plus minusve meriti, seu quod Christi Vicario proximius quam reliqui accedunt, omnino congruit, ut ab aliis distinguantur. Haec vero distinctio semper in aliquibus externis Insignibus consistit, praeter reliqua, quibus decorati illi esse possunt, privilegia, de quibus nobis non est disserendum.

3. Inter Ecclesiae viros illi qui Pontifici plus minusve proxime in servitio accedentes, ab aliis discriminantur, nonnulli sunt nuncupanturque Praelati. Silemus de communi nominis huiusce significatione; siquidem neminem latet, Episcopos, Purpuratos Patres ipsumque Summum Pontificem sub eadem communi appellatione optimo iure, et ante omnes contineri. Sed, hoc nominali praetermisso sensu, sub alio nunc nomen istud accipimus, qui peculiaris est, et quodammodo ex conventione ortus. Praelatus, definiri ille potest, qui inferior Episcopo dignitate, aliis tamen Presbyteris excellit in servitium Pontificis. Praelati sunt plures, aliique aliis digniores. Primi, qui ceteris supereminent, quatuor enumerantur: a) Vice-Camerarius S. R. E. italice *Vice-camerlengo:* b) Auditor Rev. Camerae Apostolicae: c) Praefectus aerario Rev. Camerae Apostolicae, seu *Tesoriere:* c) Praefectus Sacris Palatiis Apostolicis, quod italice dicimus *Maggiordomo.* Eius-

modi quatuor officia in maximo constituunt gradu Praelatos, quibus illa sunt credita. Ut plurimum, expleto munere, unusquisque ex illis ad Cardinalitiam evehitur Dignitatem a Summo Pontifice, hinc et officia dicuntur cardinalitia.

Vice-Camerarius praecedit quibuscumque aliis Ministris in Pontificia Capella. Mantellettam induit violaceam et Rocchettum, quod olim (1) detectum in civilibus publice deferebat. Ante Pontificem sistit in solemnibus, quae ab Illo functiones persolvuntur, tamquam cuique summi Antistitis nutui obedire paratus.

Auditor Camerae Apostolicae, veluti primas inter Praelatos obtinet, qui uti Vice-Camerarius nec non Praefectus aerario, et alter qui Palatiis Apostolicis praeficitur, praeter vestem omnium Praelatorum propriam, seu violacei coloris talarem, cum respectiva zona, et cauda, eiusdemque coloris Mantellettam, in pileo gestare lemniscos valet coloris rubei. Quibus olim et equi exornabantur in capite, quando rheda utebantur, ad cuius latus umbella erat affixa et plicata rubei coloris, more purpuratorum Patrum. Hinc vulgaris erat, et est, horum quatuor Praelatorum denominatio: Praelati a flocculis, *Prelati dai fiocchetti.*

Proxime praefatis accedit Praelatus, Cubiculo Praepositus, *Maestro di Camera:* qui una cum Praefecto Palatiis Apostolicis, Auditore Sanctitatis Suae, Sacrique Palatii Apostolici Magistro, illos constituunt, qui Praelati Palatini nuncupantur, quod ad domum Pontificiam pertineant; sed de his suo loco dicendum.

(1) Quando nempe Vice-Camerarii officio alterum Gubernatoris erat adnexum, ut utrumque uni eidemque committeretur Praelato, antequam degeneres nati re temporali expoliarent Patrem (V. *Falaschi, La Gerarch. Ecclesiast. pag.* 43).

4. Inter S. R. E. Praelatos praecipuum obtinent locum Protonotarii Apostolici: ex quibus, alii *participantes* sunt, alii vero *ad instar*, scilicet participantium, alii simpliciter *titulares*: sit primo de participantibus.

Protonotarii partecipantes olim fuerunt septem, Sixtus V ad duodecim auxit: impraesentiarum septem (1) in *Hierarchia Catholica* commemorantur, et Collegium peculiare constituunt, honorificis privilegiis a Summis Pontificibus condecoratum, quae nihilominus silemus, cum propositum nostrum non attingant. Insignia, quibus uti possunt in publicis functionibus, haec sunt: Talares vestis cum cauda in solis Pontificalibus explicanda, Mantelletta item violacei coloris, Rocchettum, quod eadem Mantelletta cooperiat oportet. In pileo funiculos gestare possunt vel lemniscos violacei coloris, floccosque roseos, sicuti semper in communi pileo, quo utuntur, floccum rosaceum. In Cappella pontificia cappis utuntur Protonotarii quemadmodum alii Praelati, non tamen superpelliceo super Rocchettum. Praecedentiam, uti tales, habent nunc super reliquos Praelatos, superius nominatis quatuor exceptis, episcopali dignitate non insignitos; imo quandoque, uti in concistoriis publicis, sicut et antiquitus in solemnibus equitationibus, super eosdem Episcopos, praecedentia gaudent, cum proximiores quatuor ex iis solio pontificio assistant. De palmatoria in Missis privatis et Canone, sicut de illa in sacris actibus, in quibus adhiberi solet ab Episcopis, ac de ipsius annuli usu non est quaestio. Protonotarius namque participans, si Presbyter quidem, iure Pontificalium gaudet, quae

(1) Pius Papa IX per Breve d. an. 1853 ad pristinum numerum septenum Protonotarios redegit (*Grimaldi, Les Congr. Rom.*).

potest agere in omnibus Ecclesiis, etiam cathedralibus, absque consensu Praesulum, nisi hi praesentes fuerint, tunc enim requiritur. Porro animadvertendum, Protonotarios participantes, esse Summi Pontificis familiares declaratos, ac Praelatos domesticos aeque principaliter, ut illi sunt, qui actu personae ipsius Pontificis assistunt; imo ab Ordinariorum iurisdictione exempti, Sedis Apostolicae dominium et potestatem dumtaxat agnoscunt.

Notandum nihilominus, privilegium Pontificalium esse quoad locum coarctatum, ut non ubique eo uti Protonotarii participantes valeant. Itaque excipitur expresse tamquam exceptionis locus alma Urbs, in qua Curia Romana residet, vel alia, si in ea Curia eadem resideret. Quod de Pontificalium usu diximus, non est ad privatam Missam extendendum: adeo ut etiam Romae iisdem Protonotariis vere liceat nonnullis Insignibus uti. Hinc privatam facientes Missam annulum deferre possunt cum gemma, palmatoriam et Canonem: ad altare, Episcoporum more, paramenta sumere, iisque se induere in plano ante altare, ibique praeparare se ad Missam super pulvinari cum strato, et gratiarum actionem persolvere. Quod tamen ut licite ac decore fiat, rem divinam Protonotarii Apostolici facturi, accedere debent ad altare praelatitio habitu induti, quemadmodum Episcopi.

5. Praelatis istis accedunt alii, qui Protonotarii quoque sunt, non tamen participantes, sed communiter appellantur *ad instar participantium*. Eiusmodi Protonotari *ad instar* a Pontifice fiunt, et inter Praelatos domesticos eo ipso accensentur. Vestibus praelatitiis et ipsi uti valent in sacris functionibus, nempe talari veste caudata cum fascia, et Mantelletta violacei coloris, subtus quam induere possunt Rochettum. Etiamsi

privatim incedant, usum habent collaris et caligarum violacei coloris, vestis talaris nigrae cum fimbriis globulisque rosaceis, zonae ad lumbos pariter violaceae, pallii eiusdem coloris, et pilei cum vitta serica coloris rubri. Si sint Canonici, et adesse velint in choro, quod non licet, praelatitia veste induti; omnes alios Canonicos et etiam Praelatos praecedunt, quibus Pontificalium privilegium non competit. Vicarii vero generales aut capitulares, Collegium Canonicorum, et Abbates super Protonotarios ad instar praecedentia fruuntur. Item tamquam Praelati duplici ductu incensantur, caput cruci inclinant non genu flectunt, etsi Canonici sint tantum Collegiatae. Nihilominus convenientius habitum canonicalem gestant, coloris tamen violacei vestis talaris esse potest; et locum Canonici proprium tunc occupare debent: secus, Praelati quidem apparendi ius habent sed quotidianas distributiones amittunt.

Usu Pontificalium extra Urbem gaudent, sed in eodem usu ab Episcopi loci facultate dependent: qui eam tribuere potest quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit. In casu ad Ecclesiam celebraturi, privatim debent accedere, sine ullo prorsus comitatu, quin associari se sinant a clero, nec lustrali aqua populum aspergant, nec manu fidelibus benedicant. In Altari adesse nequit septimum candelabrum: vestes induere debent in sacrario, sedere in scamno communi cum ministris, haud in faldistorio: nec baculum habere, nec palmatoriam, neque Canonem, neque Assistentem Presbyterum: manus lavant, uti simplices Sacerdotes, tantum post offertorium, non *pax vobis* dici ab eis potest, sed *Dominus vobiscum*, nec trina benedictio impertiri, sed unica, in fine Missae. Ornamenta iis in Pontificalibus permissa sunt: caligae et sandalia ex serico, nullo cum auri vel argenti ornamento, item sim-

plices ex serico chirothecae, omni ornatu frygii operis excluso, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine ullis gemmis, et cum cordula tantum serica violacea, mitra simplici ex tela alba, cum laciniis sericis coloris rubri, pileolum nigrum sub mitra, solum, adhibendum. Quae ornamenta ipsis sunt prohibita in Missis defunctorum, et in quibuscumque aliis functionibus, nisi forte praecedant aut subsequantur immediate Missam Pontificalem, et tunc depositis semper chirothecis, dalmatica et tunicella.

Ad Missam privatam quod spectat, Protonotarii Apostolici ad instar, qui extra Urbem degunt, nullo prorsus privilegio gaudent, sub quocumque respectu, in eaque facienda aequiparantur omnino simplicibus Presbyteris. Qui vero eiusmodi Protonotarii in Urbe versantur, utpote usum Pontificalium non habentes, possunt, modo induti praelatitia veste, in Missis privatis se praeparare et gratiarum actionem persolvere ante altare, super genuflexorio parvo, sine strato, cum pulvinaribus tamen, altero sub genubus, altero sub brachiis. Paramenta possunt ex eodem altari sumere et induere, palmatoria uti, et capellanum etiam habere Presbyterum, ut folia Missalis evolvat. In reliquis, cum simplicibus Sacerdotibus Protonotarii Apostolici ad instar convenire debent.

Ea tantum sunt privilegia, quibus gaudent huiusmodi Praelati, seu Protonotarii Apostolici ad instar, et qui aliis, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus honore privatos se sciant (1).

(1) Eadem, circa Pontificalium usum Missamque privatam, quae de Protonotariis ad instar dicta sunt, valent etiam pro reliquis Curiae Romanae Praelatis, qui ex indulto Pontificalium usu gaudent.

6. Hic recensebimus Praelatos ad Palatium Apostolicum pertinentes, vulgo nuncupatos *palatini*. Praeter Praelatum Palatiis Apostolicis praefectum, de quo iam diximus, alii sunt, nempe Cubiculo Praepositus Sanctitatis Suae, eiusdem Sanctitatis Suae Auditor, qui ut plurimum in Episcopali ordine constitutus est, et Magister Sacri Palatii Apostolici, qui ex Ordine desumitur PP. Praedicatorum S. Dominici, iuxta privilegium, quod dicto Ordini Honorius III concessit. Praefatos sequuntur Cubicularii secreti participantes, uti Magister a privatis largitionibus Pontificis (*Elemosiniere segreto*), qui ordinario Episcopali dignitate fulget, Secretarius Brevium ad Principes, Secretarius Cifrae, Subdatarius, et Secretarius Epistolarum latinarum. Recenseri hic possunt, quin tamen inter Praelatos sint adscripti, quatuor alii, ex quibus primus *Pincerna*, alter *Secretarius legationis*, tertius *vestiarii Custos* nuncupatur: quartus sine speciali titulo. Familiae quoque Pontificiae adscribitur alius Praelatus, Episcopus tamen, qui ex Ordine S. Augustini seligitur, ab aetate Nicolai IV Pontificis, estque Sacri Palatii Apostolici Parochus, et sub communi appellatione venit, *Sacrista* Sanctitatis Suae. Qui de familia Pontificia sunt, et ratione officii non sunt Praelati, alicui nihilominus Praelatorum Collegio esse possunt adscripti: quod si comprobetur, consuetis fruuntur Insignibus et privilegiis, quibus Collegium ad quod pertinent, decoratur.

Ad Praelatos quoque pertinent Romanae Curiae immo et praecipue, ii omnes, qui Tribunal Sacrae Rotae efformant, et dicuntur *Praelati Auditores*. Sixtus IV ad duodenarium hos redegit numerum: in *Hierarchia Catholica* septem modo enumerantur. Item Praelatitium Collegium constituunt, qui ad Rev. Cameram

Apostolicam pertinet et *Praelati clerici de Camera* appellantur. Duodecim quondam numero erant, ad septenum eorum redegit numerum Eugenius IV, nec maiori nunc numero in *Hierarchia Catholica* leguntur inscripti. Tertium extat Praelatorum Collegium, quod a *Signatura Papali Iustitiae* nuncupatur. Ex his Prelatis, alii *Votantes* dicuntur, alii *Referendarii*. Aliud denique institutum fuit Collegium, Praelatique ad illum pertinentes, *Abbreviatores Parci maioris* nuncupantur. Numerus eorum ex institutione Pii Papae II, quam confirmavit renovavitque Sixtus IV, duodenus est: quatuor de numero, octo supranumerarii sunt.

7. Praeter Praelatos domesticos, qui quatuor collegia constituunt, quae recensuimus, alii quoque dantur eodem nomine appellati, qui uti individua hoc condecorantur honore, et nullum collegium efformant, vere tamen Praelati sunt, et uti tales nonnullis Insignibus fruuntur. Itaque primo Praelatus Domesticus habitu praelatitio gaudet, nempe talari veste caudata coloris violacei, cum ornatibus in illius manicarum extremitatibus, ac fimbriis, asulis et globulis rubei coloris, item cum zona violacea, quae sericos floccos in extremitatibus habet. Super talari veste utitur Praelatus domesticus Mantelletta violacea, cum fimbriis pariter eiusdem violacei coloris. Item praefatae vesti iure adduntur eiusdem violacei coloris tibialia. Non fruitur usu cappae praelatitiae, neque Rocchetti, quod per Breve speciale conceditur. In Missis sive solemnibus sive privatis, aliisque functionibus nulla gaudet distinctione Praelatus Domesticus uti talis, ut palmatoria nequeat uti (1), nec canone, annulo, cruce

(1) Romae, docuerunt Ephemerides (*num. 6 1893 pag. 357, Dub. VIII, 2*), usus viget, ut Praelati domestici palmatoria utan-

pectorali, aut quovis alio ornamento Episcoporum proprio, Abbatum, aliorumve Praelatorum ad aliquod collegium pertinentium.

In civilibus Praelatus Domesticus veste talari nigra uti potest cum consuetis rubeis ornatibus, et zona violacei coloris, tibialibus pariter, pallio, atque etiam flocco in pileo nigro, omnia eiusdem coloris violacei.

Si Praelatus Domesticus sit Canonicus, eadem pro ipso vim habent, quae statuta sunt pro Protonotariis ad instar participantium, seu circa habitum praelatitium, seu circa amissionem distributionum, seu circa praecedentias.

8. Sed iam de Protonotariis dicendum, qui neque participantes sunt, neque ad instar participantium, sed mere *titulares* aut *honorarii* vocantur (1). De iis animadvertendum primo est, non dari collegium, etsi plures simul convenerint; habitu nihilominus praelatitio, ad formam quod attinet, uti ipsi possunt, quando non degant ubi adsit Summus Pontifex. Privilegium itaque habent gestandi vestem talarem et mantelle-

---

tur. Sed fortasse id agunt quia ad aliquod etiam Collegium pertinent. Praelatitium. Quidquid sit, iure inspecto, Praelatis Domesticis *per se* palmatoria non competit.

(1) Antiquiores scriptores, qui verba faciunt de Protonotariis Apostolicis, nonnisi duplicem eorum ordinem videntur admittere, nempe Protonotarios Participantes, et alios quos honorarios aut titulares dicunt. Nihilominus indubie retinendum, triplicem nunc esse Protonotariorum ordinem, videlicet, participantium, ad instar participantium, et titularium seu honorariorum. Ad primum qui potior est, participantes, ad alterum qui inferior est, ad instar participantium, ad tertium ordinem infimum titulares pertinent. Primi et alteri collegium efformant, nullum tertii, sicuti simplices Praelati Domestici, quibus tamen etiam inferiores sunt Protonotarii titulares.

tum, non tamen violacei, sed nigri coloris. In ecclesiasticis functionibus subter Mantelletum Rocheto utuntur. Nulla his Protonotariis Insignia competunt violacei coloris, uti focale, tibialia, flocculi in pileo etc. quae omnia nigri tantum coloris esse debent. Si ad Collegium aliquod Canonicorum pertineant eiusmodi protonotarii, servandum, quod de aliis Protonotariis ad instar, Praelatisque domesticis dictum est. Nulla, etsi habitu praelatitio induti, praecedentia gaudent super Praelatos Romanae Curiae, Vicarios Generales aut Capitulares, super Abbates, et Capitulum: bene vero super alios clericos aut Presbyteros simplices, sicuti super singulos Canonicos.

In Missa distingui non possunt a simplicibus Presbyteris: adeo ut in sacrario teneantur paramenta induere, unum tantum habere ministrum in privata, per se deferre calicem, folia Missalis vertere, nullumque aliud habere signum distinctionis annuli, pileoli, palmatoriae etc. etc. Eis nihilominus licet Cruci inclinationem pro genuflexione facere, uti ius habent Cathedralium Ecclesiarum Canonici.

9. Alii non desunt, praeter recensitos, quos Praelatorum nomine et honore sunt insigniti, uti Abbates, atque etiam Canonici trium Basilicarum Urbis, S. Petri ad Vaticanum, S. Ioannis ad Lateranum, S. Mariae ad praesepe. De utrisque siluimus: de illis, quia fere unusquisque Abbas peculiaribus in loco privilegiis gaudet: de istis, quia exceptis Insignibus, omnibus ii gaudent privilegiis Praelatorum; et Pius Papae IX de Protonotariis Apostolicis ad instar loquens, illorum privilegia intacta reliquit.

Alii quoque sunt, qui reliquis simplicibus Presbyteris veluti praelati considerantur, quod familiares intimi Summi Pontificis sint electi, uti nonnulli ex

Cubiculariis secretis, supranumerarii, Cubiculariis honorarii, Cappellani secreti, supranumerarii et honorarii. De his innuere satis sit, latiori sensu, haud severiori, eos esse Praelatos. Induunt tamen in sacris functionibus vestem talarem violaceam cum fascia eiusdem coloris, et super ea pallium oblongum (vulgo *Mantellone*) pariter violaceum. Si quis ex illis fuerit Canonicus, nullum habet ius super alios Collegas, excepta violacea veste, qua uti poterit in functionibus, quin tamen ullam sibi praecedentiam arrogare aut exigere valeat. Tibialia violacea, unica excepta occasione, qua Pontifici proficiscenti vel rusticanti inservit, adhibere nequit. Iure non gaudet deferendi flocculum violaceum vel rubeo in pileum. Uti nequit palmatoria et canone, et quocumque alio signo honorifico, sive in privata sive in solemniori Missa.

Nota. Hucusque dicta plane conformia sunt documentis, omni exceptione superioribus: qualia sunt: *La Gerarchia Ecclesiastica dell'Abate Falaschi: La Gerarchia Cattolica... per l'anno 1893: Andreucci, De Protonotariis Apostolicis:* Martinucci, *Manuale Caeremoniarum etc.* item varia ea super materia Decreta, quae in Collectione Gardelliniana prostant, uti Decr. 4545, et alia similia, maxime Constitutiones Pii Papae VII, et Pii Papae IX.

NUNTIUM.

Die 27 huius Mensis Iunii habita est Congregatio Gener. S. R. et conclusum est:

Festa prim. dign. inf. praevalent festis secund. dign. super.

EXPLICATIO

CUIUSDAM AMBIGUITATIS IN RE LITURGICA

1. In praeterito n. 6 Ephemeridum huius anni (*V. pag. 358, Dub. IX*) propositum fuit dubium circa duo Calendaria, quae diverso ordine inscripserant commemorationem semiduplicis, de quo actum erat officium, concurrentis in Sabbato cum Vesperis Dominicae III Adventus, in qua redigendum erat dup. minus ad instar simplicis. Videlicet Calendarium B. L. com. Semiduplicis postposuerat, Calendarium autem B. V. praeposuerat commemorationi duplicis simplificati. Hinc generaliter quaerebatur: Com. festi semid. praecedere ne debet alteram de festo dup. simplificato, an viceversa?

Notam ibi nos posuimus controversiam, pluries in Ephemeridibus hoc super negotio agitatam, et laude dignam in ea pertractanda mentionem fecimus cl. Theolog. ac Liturgiae Professoris P. M. Lafrasse. Qui, omnibus in praefati Dubii solutione perlectis, quae Ephemerides exposuerant, doctrina ac modestia pari per epistolam ad redactionem datam conqueritur, controversiam pro qua in palaestram a paucis annis ipse descendit, aliam ab illa fuisse, quae nunc agitata est. En quae reapse animadvertit:

" In ultimo *Ephemeridum Liturgicarum* fasciculo, occasione alicuius quaesiti, iterum mota est quaestio olim agitata de ordine in commemorationibus servando. Quanquam litem circa hanc materiam instaurare mens nobis non est, satiusque esse ducimus iudicium Su-

premae Auctoritatis, si quod proferre ei placuerit, omni cum reverentia exspectare, amor tamen veri non patitur nos in praesenti omnino tacere. Sit igitur nobis venia duas animadversiones hic breviter et absque ullo partium studio proponendi.

I. Quaerebatur quomodo ordinandae essent Vesperae diei 16 Decembris, concurrente festo semiduplici S. Eusebii cum Dominica III Adventus, in quam etiam incidit festum duplex ad modum simplicis recolendum S. Stanislai aut S. Silvestri. Respondemus procul dubio Vesperas esse debere a capitulo de Dominica, cum commemoratione praecedentis ac postea duplicis simplificati. Ita fere unanimiter Liturgici tum veteres tum recentiores (si Guyetum excipias), qui docent faciendam esse semper primo loco commemorationem praecedentis quando dimidiantur Vesperae. Ne in eorum testimoniis proferendis longiores simus, satis sit unum citare cl. De Herdt, qui de casu nostro ita scribit: " Si in sabbato fiat de semiduplice, dimidiae Vesperae sint de semiduplice, et a capitulo de Dominica, cum commemoratione primum de semiduplice de quo dimidiae Vesperae factae sunt, et deinde de die octava, duplice, aut semiduplice impeditis (*S. Lit. Prax. par. IV, n. 263*) ".

Unde, ut patet, solutio propositae quaestionis nil commune habet cum controversia, quae a paucis annis agitatur de ordine in commemorationibus servando: ex omnium confesso recte se gessit Redactor Calendarii Basilicae Vaticanae; nec sententiam quae communis erat secutus est Redactor Calendarii Basilicae Lateranensis, uti vult auctor responsionis ad praefatum quaesitum.

II. Fatetur idem auctor sententiam quam impugnat fuisse communem (dicere potuisset *unanimem*)

inter auctores; sed arbitratur eam ex errore inductam esse, quod non satis contulerint inter se Rubricas Tituli IX et Tituli XI. At, si abstrahamus a casu quo dimidiandae sunt Vesperae, in quo cum eo omnes conveniunt, existimamus id esse a veritate alienum. Nam, praeterquam quod non videtur quomodo ex illa collatione quidquam erui possit quod uni potius quam alteri faveat sententiae, vix credibile est talem negligentiae aut imperitiae notam tot et tantis viris iure inuri posse. Huc accedit illud profecto gravissimum et omnino maximum, quod eorum doctrina ipsius S. Rit. Congregationis Decretis innitatur, quae sub num. 3301 et 4044 in Gardelliniana collectione recensentur, quibus diserte decrevit commemorationem officii duplicis simplificati occurrentis anteponendam esse commemorationi festi semiduplicis concurrentis et vesperis carentis, simul docens id praecipi Rubrica Breviarii Romani, Tit. IX de Commem. n. 11, ac proinde hanc Rubricam valere tam in concurrentia quam in occurrentia. Unde plane reiicienda est sententia opposita; sed, hac etiam admissa, nihil contra nos sequeretur, quum praedictae Rubricae praescriptiones serventur eaedem post Tabellam de Concurrentia, ut cuique legenti patet.

Haec pauca, quae ad restituendum verum sensum controversiae necessaria erant, breviter attigisse sufficiat. Quae etiam nobis sapientiorum iudicio humiliter submittimus, nostram sententiam revocare parati, si aliter decernat competens auctoritas.

Petrus M. Lafrasse. „

Quid ad haec? Libenter fatemur iure merito eum fuisse locutum; nosque speciale Dubium in generalissimum commutasse. Quod egimus, ut cuique innote-

sceret, rationem ob quam commemoratio semiduplicis, in casu, praeponenda est commemorationi duplicis ad ritum simplicem redacti, non esse Vesperas, quas semiduplex habuit ad Capitulum usque, sed esse ius ad easdem Vesperas: quo iure si semiduplex gaudeat, habeat revera vel non habeat Vesperas, nihil interest, et ante duplex eodem iure destitutum, quod simplificatum, commemoratione gaudebit. Verum est itaque, quaestionem primam, aliam esse ab altera; sed in illa et altera comprehenditur, si a dimidiis Vesperis, quas semiduplex habuit, abstrahamus, et a quibus revera abstrahere voluimus, ut antiqua resumeretur quaestio.

Imo et confitendum, communem non fuisse sententiam tenentem, commemorationem semiduplicis postponendam esse commemorationi duplicis redacti ad instar simplicis. Agitur namque de semiduplici, in casu particulari, de quo nempe factae sunt Vesperae: ad quod fortasse amplius solutor non attendit, mente in casu generalissimo nimis defixa, in semiduplici scilicet, dividat vel non Vesperas, ius tamen ad eas habente.

Negotio sic explicato, cl. Petro Lafrasse arbitramur fecisse satis circa ea quae ad num. usque secundum sapienter animadvertit.

Ad alterum transeundum, in quo arbitratur, esse a veritate alienum quod Ephemerides dicunt: videlicet, sententiam tenentem esse commemorandum duplex simplificatum ante semiduplex (si abstrahamus a casu, quo dimidiatae sunt Vesperae), fuisse ex errore ortam. Ait enim, primo, ex collatione Rubricarum nil posse erui, quod uni potius quam alteri sententiae faveat: deinde, vix esse credibile talem negligentiae aut imperitiae notam tot et tantis viris inuri posse.

Cogimur necessitate compulsi hic responsionem abrumpere, quam in sequenti num. resumemus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi Pistoriensi.* **De absolutione ad tumulum Dubia.** 1. Quaeritur, utrum tolerandus usus, ut ad absolutionem ad tumulum Celebrans se sistat fere in medio tumuli a parte Epistolae, oculis ad ipsum tumulum potiusquam ad crucem conversis?

Resp. Nota Rubrica Ritualis est: " Tum sequitur Sacerdos cum Diacono, et assistente aliisque ministris, et... sistit se contra crucem ad pedes defuncti etc. (*Tit. VI, cap. 3, n. 7*) „. Haec Rubrica satis est perspicua, ut Sacerdos videatur debere in conspectu Subdiaconi se sistere deferentis crucem. Nihilominus si Rubricam istam cum alia conferamus, in Missali inscripta, facile conveniendum, praefata Rubricae verba non ita litteraliter esse sumenda, ac si revera terga vertere Sacerdos debeat ad altare maius, et contra ipsum sic stare conversus. Namque alia Rubrica sequenti se ratione exprimit: " Sacerdos... ad pedes defuncti se sistit *aliquantulum versus cornu Epistolae*, ut Subdiaconi crucem possit respicere (*Ritus sup. Absol. etc.*). „ Ex quibus patet, Rubricam Ritualis mica salis, ut ita dicam, esse accipiendam, ut videlicet se collocet Sacerdos e conspectu Subdiaconi contra crucem, quam defert, non ita tamen ut terga vertat ad altare, sed aliquantulum, versus cornu Epistolae, et ut nihilominus crucem videat. Ex his concludimus, usum de quo in casu, si eiusmodi est, non tantum tolerandum, sed et probandum esse, prouti Rubricis conformem.

2. Quaeritur utrum Sacerdos perventus ad tumulum, cruci tumuli facere reverentiam debeat?

Resp. Negative, quia inclinationes faciendae in

casu, omnes a Rubrica sunt praescriptae, quibus alia addenda non est. Haec autem, de qua inquiritur, inter illas non recensetur; ergo non est facienda. Praeterea, cum ante crucem transire Sacerdos tunc non debeat, locum reverentia non habet. Iisdem de rationibus antequam dicat *Kyrie*, et antequam Sacerdos intonet *Pater noster*, nullam cruci inclinationem capitis debet facere. Bene tamen haec reverentia fieri debet cruci, cum Celebrans dicit *Oremus*, idque ex generali lege, quam satis notam ponimus. Idem iudices de cantoribus: nempe nullam tenentur reverentiam facere Celebranti, antequam cantent *Requiem aeternam* aut alia, neque cruci, neque altari principi; sed tam Sacerdos quam cantores quae iis relative praescripta sunt concinant, iuxta ordinem Ritualis, nulla in casu praemissa reverentia, quae ex arbitrio esset.

3. Quaeritur, ubi se sistere cantores debeant?

Resp. Rubrica non supponit hac in functione cantorum scholam, a clero distinctam, cum loquatur de clero, qui feretrum circumdat, cantori incipienti respondente et prosequente cantum. Ex Decreto *Bononien.* d. d. 5 Ian. 1667 habetur, cantoribus in processionibus non competere super Canonicos et Beneficiatos praecedentiam, sed *servandum Caeremoniale.* Idem in *Taurinen.* statuitur (*18 Mart. 1879*). Decretum autem, quod est in *Placentina* decernit, praeter dicta, *Cantores in processionibus debere incedere in loco Episcopo bene viso* (*10 Mai 1653*).

Inferes, locum specialem in casu non esse lege determinatum, sed vel consuetudines locorum esse servandas, vel Episcopum esse debere arbitrum, ut locum destinet, qui cantorum scholae magis conveniat, quin tamen ex uno vel altero quem occupat

locum, argui vel praesumi aliquid possit aut debeat pro praecedentia.

II. *E Nicaea ad Varum.* **De festo Titularis Oratorii publici non consecrati haud celebrando.** Certum ne est, Titularem Oratorii publici haud consecrati, non posse recoli festo liturgico?

Resp. Affirmative; in Decreto enim *Marsorum* d. d. 12 Nov. 1831 (*ad 34*) inquirebatur: " An festum Titularis Cappellarum publicarum etc. celebrari debeat sub ritu dup. 1. cl. cum Octava? Nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiae „. Porro S. R. C. respondit: " Negative „. Decretum istud non distinguit inter eiusmodi Oratoria consecrata, et benedicta tantum: hinc forte illatio, Oratoria publica, etsi consecrata, ius non habere ad festum liturgicum sub consueto ritu Titularis. Quidquid sit, impraesenti certum est, quoad Oratoria seu cappellas publicas, si consecratae fuerint, toto iure posse et debere festum illarum Titularium celebrari. Etenim Decretum *Marianopolitana* hoc festum denegat Oratoriis simpliciter benedictis, et iisdem consecratis concedit (*29 Novembris 1878*): " Dummodo reapse Oratorium fuerit consecratum et non simpliciter benedictum, celebrandum esse officium... Sancti Titularis „. Ergo certum est, festum liturgicum Oratorii, quamvis publici, sed non consecrati, celebrari non posse.

III. *Ex eodem loco.* **De quadam superpellicei forma, utrum permissa.** Dantur hic superpellicea, quae manicas, ita quoad longitudinem et latitudinem confectas habent, ut sint ad instar alarum, adeo ut Gallici eas appellent *surpris á ailes:* sunt ne permissa?

Resp. Nullum afferre possumus documentum positivae permissioni favens, sed nec prohibitioni. Aliunde magis retinent, quam alia, crucis formam, sicut anti-

quae. Hinc tamquam permissa eiusmodi superpellicea retinenda esse non dubitamus.

IV. *Ex eod. loco.* **De profetiis in Sabbato Sancto abruptis.** Usus hic viget, ut legentes in Sabbato prophetias, quando Celebrans lectionem terminat, et illas abrumpant: quid dicendum?

Resp. Scimus in pluribus minoribus ecclesiis, hunc esse usum inductum, ne nimis protrahatur functio. Sed legi inhaerentes, eiusque spiritui, id fieri non posse, censemus, obstante Missalis Rubrica. Etiam Epistola in Missa solemni legitur a Celebrante submissa voce, elatiori a Subdiacono, sed integre: legitur Evangelium a Celebrante, et canitur a Diacono, sed integre; haec enim lex est, quam Missale docet. Quod si prophetias assimilare velis illi Missae parti, quae post Epistolam canitur, inferre nil poteris. Nam et pars ista integre canenda est, atque unice permittit lex Caeremonialis, ut alterne cantetur cum Organo. Si ergo hoc habeatur, pars altera cani, altera legi potest; sed sine organis, per integrum concinenda. Hoc est de iure.

Nota. Paenultimum praeterimus dubium, utpote nulli discussioni obnoxium. Pro impertienda benedictione papali in articulo mortis, peculiaris requiritur certe facultas, et semel potest lucrifieri, et iterari in eodem morbo non potest.

V. *Ex eod. loco.* **De pluribus in die benedictionibus cum pyxide.** Potest ne pluries in die benedictio in eadem Ecclesia fieri cum pyxide, pro aliqua causa privata?

Resp. Necessarium iudicamus praemittere, huiusmodi benedictionis consuetudinem tempore Benedicti XIV vix alicubi fuisse inductam, cum secure ipse asserat, eiusdem consuetudinis exemplum nullum in

Urbe vigere. Quod in praesenti dicere non solum de Urbe, sed et de tota fere Italia, esset prorsus a veritate absonum. Dicendum ergo cum Gardellinio eam ascendere ad finem circiter saeculi decimi octavi. Hinc nostro hoc vertente saeculo, longe aliter nobis de hac benedictione disserendum est, utpote de usu iam invecto, et probato, haud quidem explicite, sed vidente et tacente, imo et laudante auctoritate Ecclesiae.

Gardellinius (*Instr. clement.* §. *36, n. 10 et seq.*) privatam expositionem, seu cum pyxide, facile approbat, etiam ex sola voluntate, aliqua privata tantum occurrente causa, Rectoris Ecclesiae; sed vehementer opponitur benedictioni, quam docet dari post expositionem non posse, nisi de licentia Episcopi. At potior ratio, quam pro prohibitione affert, consistit in pluribus Decretis, quae interdicunt, extrahi pyxidem e tabernaculo, sed intra omnino expositam exigunt. Quam rationem parvi esse momenti credimus, quia aliud est, pyxidem extra tabernaculum exponere, aliud est eam e tabernaculo extrahere, ut populo benedicatur, atque iterum, quin foris maneat, intus reponatur. Haec itaque est inducta in praesenti aetate consuetudo, per se profecto laudabilis, et probata, ut loco solemnis expositionis SS. Sacramenti in Ostensorio, minus solemnis cum pyxide fiat, preces quaedam recitentur, et denique benedictio eadem cum pyxide clausa populo impartiatur. Contra hanc consuetudinem, quidquid aetate Benedicti XIV aut etiam Gardellinii dici potuisset, impraesenti, sive in se inspecta, sive legis dispositione perpensa, nihil dici potest, dummodo, ut par est, statutae a Rubricis et Decretis serventur leges.

Haec de expositione et benedictione cum pyxide in genere; sed quaesitum agit de pluribus in die et

in eadem Ecclesia benedictionibus: quid iudicandum? Fatendum nobis, negotium esse quodammodo implicatum; quia ex una parte plures benedictiones communiter dicuntur prohibitae, si in eodem die eademque in Ecclesia fiant; ex altera vero per has benedictiones, populi excitatur fides et devotio in almum Sacramentum. Haec eadem quaestio nuper agitata fuit in nostra Academia, et agebatur de benedictione, non cum pyxide, sed cum Ostensorio, pro qua et gravis requiritur causa, et facultas Episcopi. Moderator explicite quaesivit Consessus iudicium circa pluralitatem harum benedictionum, quae alicubi etiam in Italia habentur variis de causis, puta pro infirmo, pro puerpera etc. Et responsio fuit ipsius Emi Praesidis, caute in praesenti procedendum in his benedictionibus interdicendis. Namque per eas roboratur populi fides, amor accenditur erga Eucharistiam; et in praesenti aetate, ardor in eamdem Eucharistiam, sicut erga SS. Christi Cor, maximi faciendus, haud impediendus, cum fide refrigescente et languescente, cetera fere subsidia religionis humana infirmitate negliguntur. Hinc conclusum est, dummodo prudentia et moderatione utantur Parochi aut Rectores Ecclesiarum, circa praefatas benedictiones non esse interloquendum. Hoc ergo et nobis liceat, et quidem a fortiori, cum de benedictione cum pyxide agatur, proposito Dubio responsum exhibere.

VI. *E Belgio.* **De concursu officii votivi et praeceptivi eiusdem obiecti.** Si habeatur privilegium recitandi officium Passionis Domini in prima feria VI cuiusque mensis sub ritu dup. mai. et hoc concurrat cum alio officio D. N. I. C. sed praeceptivi eiusdem ritus, quomodo ordinandae Vesperae?

Resp. Quantum licuit, in Decretis quaesivimus,

utrum discrimen aliquod ponendum esset, ad concursum quod pertinet, inter votivum officium et praeceptivum; sed nihil ad rem invenire potuimus. Cum praesenti dubio quamdam relationem habet Decre- *Zagobrien. d. d.* 1 Iulii 1747, quod statuit, inter votivum officium SS. Corporis Christi, et aliud officium, uti apparet ex contextu, diversi obiecti, quando concurrant, in paritate ritus, dividendas esse Vesperas. Sed ad rem non facit, agit enim de ritu semiduplici, et ritus ipse causa esse potest dimidiandi Vesperas: in casu autem de ritu agitur duplici maiori, praeterquam quod idem habetur obiectum. Quod rationabilius nobis videtur, id concludemus. 1. In officiis concurrentibus eadem supponitur dignitas in casu; ergo, si ab aliis abstrahamus rei adiunctis, Vesperae, cum de digniori non possent fieri, dividendae forent. Atqui ex. concurrentibus officiis, alterum votivum est, alterum praeceptivum: ut quod in praecepto est, praeferendum videatur alteri, quod non est eiusmodi. Ergo concludendum videtur, totum faciendum de praeceptivo, et commemorationem de votivo, nisi huius obiectum sit idem cum altero, etiam sub eodem respectu, puta de Passione, aut de Sacramento, quo in casu ipsa commemoratio omittenda.

At dices: Indultum recitandi officium de Passione Domini in casu, sub ritu dup. mai. ostendit, S. R. Congregationem illud voluisse reddere omnino privilegiatum; quare ergo integrae de eo faciendae non essent in casu etiam Vesperae, si ritus id ferat? Respondemus, privilegium occurrentiam, potiusquam concurrentiam respicere; ceterum etiam in occursu officium votivum postponendum esset, ut credimus, alteri eiusdem ritus praeceptivo: ergo nonne idem in concursu dicendum?

Quinimo ulterius procedentes, arbitramur, idem quoque agendum, si concursus haberetur cum alio officio ritu pari, sed inferioris dignitatis obiectivae, puta de S. Dominico. Ratio est eadem, nempe quia officium simpliciter indultum, praevalere non debere videtur praeceptivo, neque in occursu neque in concursu. Ita salvo meliori iudicio.

VII. *E Dioecesi N.* **De Missa et Officio SSmi Cordis.** In Dioecesi quadam, antequam Officium et Missa SSm̃i Cordis ad universalem extenderentur Ecclesiam, peculiare eiusdem SSm̃i Cordis Officium recitabatur: postea vero immutari coeptum est. Sed calendarii redactor adhuc praescribit Missam, Doxologiam, Versiculum ac Orationem veteri respondentia Officio. Quid dicendum?

Resp. Haud sapienter se gesserunt, qui antiquum Officium mutavere. Nam adeo perspicua sunt verba, quibus, in decreto extensionis Officii et Missae SSm̃i Cordis ad universalem Ecclesiam, permittitur imo praecipitur Officia peculiaria retineri, ut non videamus quomodo in contrarium dubium aliquod suboriri possit. En textualia verba praedicti decreti **Urbis et Orbis:** " Sanctissimus Dominus . . . . . officium Sanctissimi Cordis Iesu pro regno Poloniae et clero Urbis a S. R. C. probatum die 11 Maii anni 1765, cum respondente Missa *Miserebitur* in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit sub ritu duplici maiore feria sexta post octavam SS. Corporis Christi, servatis tamen rubricis, et firmis remanentibus, quoad ecclesias privilegium habentes, vel ampliore ritu, vel alia die, *vel diverso officio* festum illud celebrandi, singularibus indultis ab Apostolica Sede hucusque concessis (*23 Augusti 1856*) ".

Eapropter etiam post decretum extensionis, pecu-

liare Officium cum respondente Missa dicendum erat. Eo magis, quod etiam in ultimo Decreto (*18 Iunii 1889*), quo SSmus D. N. Leo Papa XIII praedictum festum SSmi Cordis ad ritum dupl. 1. cl. elevavit, habeatur: " Nulla facta immutatione relate ad eos, qui amplioribus ex apostolicae Sedis Indulto gaudent privilegiis „.

Hinc consequens derivat certum et exploratum, mutationes quasvis in antiquo officio SSmi Cordis, quod Dioecesis praefata primitus ex privilegio recitabat, inductas, esse omnino abolendas, restituendumque officium uti antea erat, et recitabatur. Dictas enim mutationes, nisi ex arbitrio, saltem e bona fide ortas, ius liturgicum probare nequit, secundum quod officia recitanda sunt uti conceduntur, nihilque in iis privata auctoritate potest mutari.

VIII. *E Provincia Ianuensi.* **De lectionibus ordinandis 2.i Nocturni in festo SS. Nazarii et Celsi.** Nos istorum Sanctorum festum agimus ritu duplici, haud semiduplici. Nunc, in quodam Breviario legitur, quod quum ritu duplici hoc festum agitur, prima lectio 2.i Nocturni est *Victor*, secunda *Innocentius*, tertia *Nazarius*. Verum ne est?

Resp. Ubi indultum est, ut Sanctorum S. R. Ecclesiae Pontificum officia recitentur, iuxta Calendarium Urbis, distinctio ac ordinatio illa locum habet, secus non. Ratio patet, quia in Calendario universali non habetur ratio pontificalis Dignitatis, sed martyrii tantum. Hinc habentur primi Nazarius et Celsus, qui, ut refert Ado, in pluribus etiam Martyrologiis die 28 Iulii reperiuntur inscripti (*Martyrol. Adnot. ad d. 28 Iul*), quod de Victore et Innocentio praedicari nequit. Calendarium vero Urbis, in qua convenit maxime, ratione Apostolicae Sedis, respectum haberi Dignitatis pontificalis, sapienter Victor et Innocentius aliis sunt ante-

positi, uti Martyres Pontifices. Qui ergo utitur Calendario Urbis, mutationem teneat, qui universale adhibet Calendarium, illi adhaerendum, quod mutationem non habet, nisi privilegium peculiare suppetat.

IX. *Ex eodem loco* **De lectionibus 3.i Nocturni in die octava S. Ioannis Baptistae.** In quodam Calendario citatur etiam aliquod S. R. Congregationis decretum sub die 23 Februarii 1847, docens, lectiones 3.i Nocturni in die octava S. Ioannis Baptistae easdam esse ac in die festi 24 Iunii. Authenticum ne est?

Resp. In Gardelliniana editione S. R. Congregationis decretorum, istud non reperivimus. Quidquid sit, certum est, antiquitus lectiones 3 noct. fuisse ut in die festi. Sed impraesenti certum est pariter, quod omnia Breviaria, typico non excepto, lectiones proprias assignant in 3° Nocturno pro die octava S. Ioannis Baptistae; ergo esse nequeunt ut in die festi.

X. *E Regione Belgica.* **De colore conopei et stolae pro communione, ritu simplici occurrente.** Communitas B. fruitur privilegio quotidie commemorandi in officio et Missa Passionem D. N. I. C. cuius et officio votivum quavis prima VI feria cuiusvis mensis recitat sub ritu dup. mai. Hinc quaeritur primo: Quando in dicta VI feria recitatur officium Passionis, cuiusnam coloris esse debent conopeum altaris Sacramenti, et stola Sacerdotis extra Missam administrantis Eucharistiam?

Resp. Aut officium votivum Passionis in dicta Communitate sub praecepto est, ut nulli liceat eo die officium de feria, aut de simplici festo occurrenti facere, aut vere ad libitum est, quod a fortiori circa Missam distinguas. Si primum, respondemus, colorem Conopei et stolae in casu, esse debere respondentem officio et Missae quae recitantur. Ratio patet, quia tunc

festum votivum, licet ex sui natura praeceptum non importet; nihilominus ratione Communitatis, in qua ut servetur uniformitas, et regula et superiorum voluntas exigunt, aequivalet aliis festis liturgicis praeceptivis, in quibus et Conopei et stolae color respondere debet colori officii. Semper tamen advertas, Conopeum posse quoque non respondere officio diei, si eius color semper albus sit, quod et permittitur.

Si vero alterum, arbitramur, consultius esse, ut color respondeat officio diei; quia istud est in praecepto, non vero alterum; quamvis hoc per accidens recitetur. Quod de officio diximus, a fortiori dicendum de Missa, quae illius potiorem constituit partem.

Quaeritur secundo: Utrum praedicta commemoratio Passionis fieri quoque debeat in festis 2. classis; concessa enim est sub conditione, ut semper fiat, exceptis diebus, in quibus iuxta Rubricas nulla fit commemoratio. Porro com. Simplicis in primis Vesperis omittitur, quando dup. 2. cl. occurrit: Passionis autem commemoratio in casu rationem simplicis habere videtur.

Resp. Com. huiusmodi cui assimilari debeat aut possit, nescimus. Ad festum pertinet, quod sub ritu dup. mai. recolitur; sed uti talis considerari nequit, quia eiusmodi festum recolitur tantum primis singulis VI feriis mensium, cum com. quotidie locum habeat. Praeterea com. de dup. mai. etiam in dup. 1. classis celebratur; sed privilegium in casu dicit, iis diebus commemorationem Passionis omitti, in quibus nulla fit com. iuxta Rubricas. Non assimilatur feriae privilegiatae, cuius commemorationis omissio nunquam comprobatur. Sed denique neque aliis commemorationibus de festis diversi ritus assimilatur; quippe quae, aliquando fiunt, aliquando omittuntur, seu iuxta

ritum festi cuius agitur officium, seu iuxta naturam commemorationis agendae. Quibus positis arbitramur verbis Indulti standum, prouti sonant: adeo ut in illis tantum festis commemoratio, de qua in casu, omittenda sit, quae per se nullam admittunt commemorationem; et in iis contra semper faciendam, quae aliquam commemorationem admittunt. Iam nunc festa omnia duplicia primae classis tantum, *per se* omnem commemorationem excludunt. Quod si aliquam aliquando admittunt, per accidens est, puta quia eiusmodi com. ex peculiari lege nunquam omittenda est, vel quia ritus festi, cuius fit commemoratio, exigit ut eius saltem commemoratio etiam in dup. 1. classis non omittatur, vel quia festum sequens, quod debet incipere, nunquam omittitur, aut alia quacumque speciali de causa. Per se nihilominus dup. 1. classis tantae censetur solemnitatis ut alia festa, proinde et eorum commemorationes excludat: quod de aliis duplicibus etiam secundae classis non comprobatur. Ergo commemoratio de Passione in casu omittenda tantum in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missa cuiuscumque festi dup. 1. cl. et non in aliis inferioris ritus; nisi in his quoque comprobetur, quod omnis commemoratio excludatur. Id videtur inferri posse, seu ex modo, quo Indulti verba se exprimunt, seu ex fine petitionis et concessionis Indulti.

XI. *E SS. Conceptione in Chile.* **De quodam festorum concursu.** Festum S. Gabrielis Arch. concurrit cum officio Passionis (dup. mai.); et festum S. Raphaelis Arch. cum festo Puritatis B. M. V. ejusdem ritus. Quomodo ordinandae Vesperae in utroque casu?

Resp. Principia Liturgicae scientiae seponere hic cogimur, quippe quae in certamen adducta. Itaque alterius scientiae principiis utentes, respondemus: Cum

impraesenti dubium sit, utrum dignitati intrinsecae festorum sit standum, an potius extrinsecae, et aliunde quod est dubium impar sit gignendae obligationi, Calendarii redactor in casu iure suo uti poterit, alterutri ex duobus concurrentibus festis Vesperas tribuendo, patienter interim controversiae resolutionem nobiscum expectans.

XII. *Ex eodem loco.* **De die S. Canuti M. libera pro alio officio.** Potest ne in die S. Canuti M. semid. ad libit. aliud poni festum, vel votivum vel translatum quodcumque?

Resp. Festum ad libitum potest celebrari, et etiam non celebrari, si aliud occurrat in die illius recolendum festum. Sequitur, diem illum esse liberum, ad quodlibet in eo festum celebrandum, sive votivum sive translatum. Id plura Decreta praedicant, seu particularia seu generalia. At proprio marte festum praefatum ad libitum e Calendario velut expungere non licet: quod accideret, si festum perpetuo translatum in die illius reponi possit. Quod ergo de translato dictum est, de reponendo non est intelligendum, cum sit vetitum. Hinc patet ad quaesitum responsio affirmativa, dummodo de reponendo seu in perpetuum transferendo non agatur officio.

XIII. *Ex eodem loco.* **De aliquibus supplendis in Missa quadam propria.** Quid faciendum in Missa propria alicuius Sancti, in qua post Epistolam non inveniuntur *alleluia alleluia* cum relativis versiculis, ut tempore paschali in more est?

Resp. Perfacilis responsio: Suppleatur cum duplici *alleluia* respectivisque versibus ex Communi desumptis. Sit autem Missa illa, quae magis propriae respondet, quod ex Epistola, vel Evangelio dignoscitur, vel etiam (si nihil de Communi Missa habeat) ex gestis Sancti,

quibus magis conveniunt ea, quae in Missa de Communi habentur. Interim ipsa S. R. C. audienda, ut quae desunt addat.

XIV. *E Verona.* **De alleluia addendo vel non in quibusdam versibus.** S. R. C. in Decreto *Lincien.* die 3 Iun., 1892 ad 19 declaravit, minime addendam esse tempore paschali in exercitiis devotionis, quae extra officium canonicum, maxime coram SS. Sacramento habentur, *Alleluia* ad nonnullos versiculos (*V. Epherid. Liturg. 1892, pag. 482 Dub. XIX*). Iam vero quaeritur, utrum quando extra officium canonicum in Ecclesia publica cantatur hymnus *Vexilla Regis prodeunt* vel *Veni Creator Spiritus*, tempore paschali semper omitti debeat *alleluia* ad versus, qui subiunguntur: *Adoramus te Christe et benedicimus tibi*, vel *Emitte spiritum tuum et creabuntur;* dum e contra certum est in Expositione SS. Sacramenti ad ℣. *Panem de caelo etc.* addendum esse *alleluia?*

Resp. Principium in casu tenendum, iuxta quod et alii resolvendi casus, qui evenire possunt, Rubrica suppeditat Breviarii, quae proinde ad mentem est revocanda. Titulus XXIV, num. 4 explicite de addendo *alleluia* versibus verba facit, et docet: " Versibus praedictis (*qui sequuntur antiphonas*) tempore paschali semper additur *alleluia*, non autem versibus precum, nec in *Pretiosa* ad Primam etc. „ Ex qua Rubrica quamdam statuerunt regulam liturgici, quae dictos versus dirigit. Cum enim lex, *alleluia* inhibeat in versibus precum, Liturgici intulerunt *alleluia* nec esse addendum in versibus, qui precis rationem habent. Reapse Gavantus docet: " Versibus qui habentur in precibus, non additur *alleluia*, quia in his attenditur potius ratio humilitatis et moeroris, quam laetitiae (*Sect. V, Cap. X, n. 5*) „. Cum itaque versus, qui aliquando recitantur,

etsi extra omnem antiphonam, quandoque eamdem praeseferant rationem humilitatis et moeroris, potiusquam laetitiae, eadem applicari tunc solet regula de *alleluia* nequaquam addendo, quippe quod exultationis sit vox. Quo posito, facile intelligitur dispositio Decreti *Lincien.* quae *alleluia* prohibet in versu, *Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix,* sicut et in altero responsionis versu, *Ut digni* etc. Sed et eiusdem *alleluia* prohibitio pariter intellectu facile est in aliis duobus casibus, seu ad ℣. *Benedicamus Patrem* etc. sicut ad *Benedicamus Domino* cum respectivis responsionis versibus, quippe qui considerantur in casu tamquam versus precum.

Ex dictis sequitur quoque, ni fallimur, resolutio duplicis specialis casus, de quo in Dubio. Namque *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi* cum respondente versus optimam habet rationem precis, et a fortiori alter ℣. *Emitte Spiritum tuum* etc. Sed praeter hoc momentum, quod videtur ostendere, omittendum esse in casu *alleluia,* aliud suppetit, a Rubricis pariter desumptum. Uti patet, functio, in qua eiusmodi responsoria dicuntur, est extraliturgica, ergo vi Rubricarum *alleluia,* quod hi non habent, non est adiungendum. Consequens deducimus ex Officio parvo B. M. V. cuius Rubrica docet: " Tempore paschali non additur *alleluia* antiphonis, neque Versibus, neque responsoris (Tit. XXXVII, n. 2) „. Qua autem de causa? Quia cum officium non sit de festo, non sequitur rationem temporis: ut etiam tres antiphonas, haud unam tantum, nocturnum ferat. A pari in casu nostro: habentur versus, qui recitantur in actibus extraliturgicis, seu qui nil communis habent cum officio liturgico; ergo eiusmodi versus non sequuntur rationem temporis, et prouti iacent recitandi.

At inferes: ergo *alleluia* omittendum quoque erit,

cum tempore paschali canitur *Tantum ergo* ante Sacramentum expositum, in versibus *Panem de caelo etc.* et *Omne delectamentum* etc. — Negamus consequens: 1. Quia in his versibus tempore paschali iisdem prorsus in casibus additum reperitur *alleluia:* 2. Quia tota functio, quae complectitur *Tantum ergo*, versus et Benedictionem cum Sacramento, ritusque ea comitantes, vere liturgica est, et a Caeremoniali fere ad amussim accepta; ergo prouti iacet functio agenda, hinc et *alleluia* dicendum. Haec quidem, quae nisi plene satisfaciant adm. rev. Inquirenti, S. R. Congñis Decretis indubie cohaerent.

XV. *E Mantua.* **De festo S. Aloysii Conzagae, quo die, nisi in suo, possit recoli.** Festum S. Aloysii Conzagae, verum ne est, posse celebrari quocumque anni die, si die sua 21 Iunii celebrari nequeat?

Resp. Praemittimus, iam alias hanc eamdem nobis factam fuisse petitionem ab eodem adm. Rev. Dom. qui eam impraesenti iterat. Revera, affirmativa ad propositum Dubium responsio, aliquid nobis quondam visum fuit adeo singulare, ut a priori, quin cogitatio nobis in mente oriretur rem examinandi, negative responderimus. At nunc omni cum securitate Rev. Inquirens scribit, verum ea de re datum fuisse peculiare a Sancta Sede Indultum, quod et nobis transcriptum misit. De nobis ipsis graviter tunc dubitantes, de authenticitate documenti inquisivimus, post quod insequens omnino oppositum exhibere possumus, et revera exhibemus responsum.

Itaque ad propositum Dubium reponimus, Affirmative; dummodo pro dicto inclyto totius Inventutis, maxime scholis addictae, Patrono recolendo, festum diem Ordinarius loci determinet. In votis est, ut documentum istud, si revera detur, afferamus: iisdem-

que annuentes votis, satis libenter facimus. Indultum non ad S. R. sed ad S. Indulgent. Congñem pertinet, quippe quod directe Indulgentiam respicit, et nulli discussioni potest esse obnoxium. Etenim non solum in Opere legitur Prinzivalli, cui titulus: " Resolutiones seu Decreta authentica Sacrae Congñis, Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae „ sub. n. 113; sed etiam in recentiori Opere authentico, a typographo S. R. C. Pustet evulgato, cui titulus: " Rescripta authentica Sacrae Congñis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae „. Ut ergo tam insigne ac singulare privilegium omnibus innotescat, eoque utantur qui velint ad cultus ac devotionis augmentum in angelicum iuvenem consequendum, quod est in votis explemus, sequens Rescriptum ad verbum, ut par est, referentes:

133.

" 1742 12 Apr.

Festum S. Aloisii.

Cum ex Decretis fel. mem. Benedicti PP. XIII 22 Nov. 1729, et Clementis PP. XII 21 Nov. 1737 concessa et confirmata in perpetuum reperiatur Indulgentia plenaria universis utriusque sexus Christifidelibus, rite visitantibus Ecclesiam sive altare, ubicumque festum S. Aloysii Conzagae fieri contigerit: festum autem huiusmodi ob eximiam et universalem erga Sanctum miraculorum fama ubique illustrem populorum devotionem, saepenumero in unius et eiusdem, etiam non magnae civitatis, quam pluribus Ecclesiis et aliis locis sacris magna cum solemnitate, ac populi concursu et sacramentorum frequentia celebretur, atque adeo commode non possit ubique uno eodemque anniversario eius die 21 Iunii, sed pluribus dumtaxat

et quidem successivis diebus celebrari, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV memoratam Indulgentiam benigne ampliandam censuit, ad diem pro dictis festis cum Officio et Missa de Sancto in singulis locis eiusmodi ab Ordinariis eorumdem opportune designandam. Cumque per eadem Decreta eumdem Sanctum Benedictus idem constituerit, idemque Clemens confirmaverit in omnibus et singulis universitatibus, Gymnasiis aut Collegiis generalium vel non generalium studiorum societatis Iesu Patronum principalem, ideoque Officio et Missa sub ritu dup. primae classis cum octava, iuxta Breviarii Romani Rubricas, honorandum, Sanctitas Sua eumdem ritum in reliquis etiam eiusdem Societatis domibus, quae admodum paucae sunt, uniformitatis gratia servari mandavit. Hac die 12 Apr. 1742.

A. Card. PICUS, *Praef.*
A. M. Erba, *Prot. Apost. Secret.* „.

Ex quo itaque latissimo indulto non dubitamus, constare: 1. Episcopum Ordinarium posse statuere diem anni quemcumque pro festo S. Aloisii Conzagae celebrando. Super quo tria observamus: a) diem pro translatis festis recolendis de more et etiam ex lege non anticipari, sed posticipari. At in casu de anticipatione et posticipatione non fit verbum, sed simplicititer datur facultas Episcopis diei pro tali festo designandi. b) Huiusmodi translationem haud necessario respicere integrum festum liturgicum, sed tantum solemnem Missam, et hanc principaliter, atque eam tantum officii partem, quae in commodum esse potest studiosae inventutis, nempe Vesperas: ut translatio praecipue respiciat Indulgentiam ob solemnitatem translatam. c) Translationem eiusmodi esse debere iuxta

Rubricas, ut seligere nequeat Episcopos pro tali festo recolendo, illos, qui vi Rubricarum sunt impediti.

2. Festum S. Aloisii Conzagae in Universitatibus, Gymnasiis, Collegiis, Scholisque omnibus recoli posse cum omnibus iuribus et privilegiis, quae Patronorum sunt propria. Quod si solemnitas tantum transferatur, ut superius diximus, festum omni non solum pompa exteriori celebrari licebit, sed propriis privilegiis, ut in die festi, non erit destitutum: ut censendum revera sit uti primae classis et solemnius. Eo autem die lucrifieri, citra dubium potest ab omnibus Christi fidelibus Indulgentia plenaria.

APPENDIX

E SACRA CONGR. CONCILII

NOVARIEN. Funerum.

Die 27 Maii 1893.

Die 21 mensis mox elapsi ad Emum S. H. C. Praefectum litterae pervenerunt parochi ecclesiae SS. Trinitatis in Novariensi civitate, ab Ordinario commendatae, quae ita se habent:

« Novariae in Pedemontanis regionibus plures sunt paroeciae » commune Coemeterium extra muros habentes. Non raro evenit, » ut nonnullorum cadavera, qui extra urbem defuncti sunt, viae » ferreae demandentur, ut in urbano coemeterio sepeliantur, qui de- » functi vel usque ad mortem domicilium, vel quasi domicilium in » urbe retinuerunt, vel olim tantum habuerunt, sed illud iamdiu » amiserunt, vel nullum unquam domicilium aut quasi-domicilium » habuerunt, sed illis tantum sunt parentes vel consanguinei in » in urbe commorantes. Mos porro hisce in casibus apud nos in- » valuit, ut clerus vocetur, qui erecta cruce, solemniter comitetur

» cadavera a loco, qui vulgo *Statio* viae ferreae nuncupatur, usque » ad commune Coemeterium, servato saepius recto tramite extra » urbem, ducta aliquando per urbanas vias pompa, rarius autem » exequiis aliquo in templo iteratis.

» Hisce expositis, cum hic non agatur de simplici transitu ca- » daveris de loco ad locum, sed de vera funeraria functione rursum » super cadavera instituenda, de quo speciali iam nihil in Dioe- » cesana Synodo, et nihil pariter apud vel recentiores auctores, » neque ulla usque nunc inveterata consuetudo, cum alias aliter » actum sit, ad rectam agendi rationem absque ulla iustitiae laesione » dignoscendam, humillime S. C. Congregationi quaeritur:

» Num Parochus cuiuslibet urbanae paroeciae indiscriminatim » pro omnibus casibus superius recensitis ad libitum vocari possit » a parentibus vel consanguineis defuncti, vel potius semper (vel » aliquo saltem in casu ex superius recensitis) Parochus illius pa- » roeciae sit *iure* vocandus, intra cuius fines *Statio* viae ferreae » sita est. »

Pauca ceu de more quoad singula dicturus in primis adnoto in iure compertum esse, Parochum proprium pro funeribus illum esse in cuius districtu, quis dum moritur, domicilium aut quasi domicilium habet. *C. 3, De sepult. in VI Canic. Dudum De sepult. et Rit. Rom. De exeq.* Et idcirco ad Parochum domicilii aut quasi domicilii competit nedum corpus efferre et deducere funus; sed insuper, si defunctus in parochiali sepeliendus sit, exequiales preces super illum peragere ac demum humo eumdem mandare, Vecchiotti *Inst. Can. vol. 2, lib. 3, cap. 5.* Quod si dufunctus magis quam in parochiali, in alia electa sepultura condi debeat, tunc de iure ordinario et communi ad parochum proprium non spectat nisi corpus levare, illudque ad ecclesiam, uti hodie vocant, *exponentem* deducere, ad quam exinde cetera pertinent, soluta tamen Parocho quarta funeraria.

Quod si sepultura in dissita regione sit, non ideo iura mutantur. Tantummodo differentia in hoc datur, quod nempe ne defuncto suffragia nimium differantur, ipse domicilii parochus, saltem ordinario, iusta funebria super cadaver persolvit; et idcirco illud ad parochialem ecclesiam primum conducit, et inde omnibus absolutis ad tumulantem associat. Haec statuta cleri Romani praescribunt et respondent iuris principiis. Rota *decis. 76 cor. Decursii § 6*, d'Annibale *Sum. tom. 3 § 481.*

Ceterum quoties defunctus vel defuncti familiae constituant,

ut, parentalibus expletis, corpus in remota regione humi mandetur, certum est, statim ac cadaver quo humandum est pervenerit, ecclesiae tumulantis iura reviviscere, et parochum defuncti proprium cadaveris traditionem rectori ecclesiae peragere debere, cui deinde corpus, benedictionibus praeviis, sepelire reservatum est. Benedictus XIV. *not. 105.*

Haec perspicua plane sunt: verumtamen punctum in quo maxima difficultas enascitur, illud est, quod nempe in casu, defunctorum sepulcra non in aliqua determinata ecclesia, nec in coemeterio uni peculiari ecclesiae proprio et adnexo existunt, sed in coemeterio municipali ad quod plures ecclesiae ius habent. Obvium proinde est ut quaestiones oriri possint. Ne igitur confusio fiat in casu nostro, distinguere oportet inter defunctos qui usque ad mortem domicilium in urbe retinuerunt, et eos qui nullum unquam domicilium vel quasi domicilium habuerunt, vel saltem illud iamdiu amiserunt.

In primo casu cum regula certa et probata sit, quod municipalia coemeteria singularum ecclesiarum sepulturis subrogata sint, adeo ut singulae ecclesiae iura quae olim apud se, nunc in respectivis coemeteriis exercent, et cohaerenter ex lege, qua intra moenia defunctorum corpora humari proibebatur, nulli ecclesiae sublatum fuisse ius sepeliendi, sed dumtaxat variatum locum (cfr. Vecchiotti *loc. cit.* § *61 in nota*, Emum d'Annibale *l. c. nota 84*, et S. H. C. in *Ariminen. Funerum 16 Iunii 1827* et *Forolivien. 26 Ianuarii 1833* etc.); quoties corpora defunctorum ad *Stationem* viae ferreae Novariae accedunt, non aliis quam propriis parochis illa recipere et ad conditorium deducere reservatum videretur.

Neque parochus in cuius districtu *Statio* viae ferreae sita est ius funeris et sepulturae sibi tribuere posset, suam quia corpus ad paroeciam pervenit et per eam pertransit. Nam receptum probatumque est apud Gardellini *tom. 7 in supplemen. num. 35*, Benedictum XIV *not. 105*, Innoc. XI *dec. a. 1676* apud Ferraris *v. Parocus* § *3 n. 40*, parochum defuncti proprium alienam paroeciam ingredi posse cum Stola et Cruce, sive ut inde efferat, sive ut per eam ad tumulantem ecclesiam comitetur, sive ut ad coemeterium cadaver deducat; quin parochus loci, quo funebris associatio transit, obsistere, aut tributa quaerere, aut iurisdictionem sibi vindicare possit.

Verum ex altera parte observari debet, quod funebris associatio per alienam paroeciam *sine solemni pompa et recto tramite*

esse debet. (Cfr. Vecchiotti *l. c.* § *62 in nota*, et Emum D'Annin. *tom. 3* § *481 num. 79* iuxta resolut. S. H. C. diei 24 Ian. 1846 et 24 Feb. 1872: at in temate aliquando funebris associatio *cum pompa*, et per urbanas vias deducitur. Porro in his casibus iura parochi loci *Stationis* sarta tectaque esse debent: ac proinde parochi mortuorum proprii viderentur haud posse ad stationem viae ferreae accedere, defunctum recipere, ac funus solemniter deducere; nam fines et iuria alterius paroeciae plane invaderent, contra id quod canones sanciunt. Barbosa *De Off. par. pag. 1 l. 12;* Benedictus XIV *not. 105*.

In altero casu, idest cum aliquis, a quacumque ex Novariensibus paroeciis extraneus ad *Stationem* viae ferreae appellit, cum nihil in Dioecesana Synodo statutum sit, neque ulla consuetudo invaluerit, ius capituli ecclesiae cathedralis privative ad ceteros parochos, quibus nulla iurisdictio competit super defuncto nec ratione originis, nec ratione domicilii, nec alio titulo, tueri posset; cum ecclesia cathedralis censeatur in iure tamquam parochia universalis totius civitatis et districtus, et talis sit reapse in funeribus peregrinorum et advenarum. Barbosa *De Paroc. part. 3, cap. 26 num. 35;* Passerin. *De hom. stat. et off. tom. 2, qu 87 n. 314* et S. H. C. in *Caven. Funerum 7 Februarii 1733*.

Ex adverso vero cum aliquo fundamento forsan etiam Parocho paroeciae intra cuius fines *Statio* viae ferreae sita est ius tribueretur: cum enim ceteri nullum iurisdictionis titulum producere possint, ut extranei sepulturam sibi avocent, nemo ex eis in alieno territorio actum iurisdictionis exercere posset multoque minus stolam deferre. Quod et deduci videretur ex analogia; nam si cadaver etiam extranei, sit extrahendum ab ecclesiis regularium non parochialibus, associatio pertinet ad parochiae rectorem, intra cuius fines est ecclesia aut conventus.

Hisce in iure breviter de more delibatis sapientiae et prudentiae EE. VV. res iudicanda relinquitur.

Quare etc.

R. Quoad defunctos qui habebant domicilium in civitate, vocandum esse parochum respectivae paroeciae. Quoad ceteros, audiantur in scriptis capitulum cathedralis ecclesiae et parochi eiusdem civitatis.

E S. ROM. UNIVERS. INQUISIT.

Beatissime Pater,

Franciscus Episcopus Baionen. ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus suppliciter expostulat:

1.° An occulti sectae massonicae coryphaei ac duces sint denuntiandi iuxta Constitutionem *Apostolicae Sedis*, quando sunt pupublice noti ut *liberi muratorii*, sed non sunt publice noti ut coryphaei vel duces huius sectae massonicae? (1)

2.° An denuntiationis obligatio cesset apud eas regiones, in quibus *liberi muratorii* et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt nec ullo modo cohiberi?

Feria IV die 19 Aprilis 1893.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ad examen vocatis suprascriptis dubiis, Emi ac Rmi Dmi Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum decreverunt:

Ad 1um: Affirmative.

Ad 2um: Negative.

P. R. D. MANCINI *Notar.*
PETRUS PALOMBELLI *Substit.*

(1) Textus notissimae huius Constitutionis hic est: « IV. Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam, vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine, machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve *occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes*, donec non denuntiaverint »

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

DECRETUM.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Consociationem a Sancta Familia, quae laetos atque uberes fructus iam in Ecclesia ferebat, per Litteras diei xiv. Iunii superioris anni eo salutari consilio approbavit, ut familiae christianae arctiori pietatis nexu Sanctae eidem Familiae devincirentur, et Iesus, Maria ac Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tuerentur ac foverent. Quo vero inter fideles cultus erga eamdem Sanctam Familiam in dies augeatur, plurimi amplissimi diversarum nationum Episcopi ipsi Sanctissimo Domino Nostro humillimis precibus supplicarunt, ut, quemadmodum iam in aliquibus locis obtinebat, Officium et Missam in honorem Sanctae Familiae Nazaraenae sibi, religiosisque Congregationibus petentibus concedere dignaretur.

Porro, quum in peculiari officio, iamdiu in quibusdam Dioecesibus adhibito, nonnulla immutare opus esset; visum fuit novum Officii et Missae schema conficere, quod reapse de speciali Apostolica Auctoritate concinnatum, et prouti in su-

periori exemplari prostat, per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, una cum R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore diligenter revisum, a meipso Cardinali subsignata die eidem Sanctissimo Domino Nostro exhibitum fuit. Sanctitas vero Sua illud in omnibus approbare dignata est, benigneque indulsit, ut Festum ipsius Sanctae Familiae cum Officio ac Missa propriis a singulis Sacrorum Antistitibus pro Clero sibi commissae Dioeceseos, atque a religiosis Congregationibus petentibus, sub ritu Duplicis maioris Dominica III. post Epiphaniam recoli valeat: simulque mandavit, ut in locis ubi huc usque Festum Sanctae Familiae celebratum est, illud praefatae Dominicae III. post Epiphaniam affigatur, novumque Officium cum Missa antiquo in posterum substituatur: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Iunii 1893.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi *Secretarius.*

ANIMADVERSIONES.

1. Novum de Sacra I. M. et I. Familia officium cum Missa concinnatum et approbatum est.

2. Officium istud non est praeceptivum, sed iis conceditur Dioecesibus, religiosisque Familiis, pro quibus Episcopi Ordinarii, vel Praepositi, illud a S. R. Con-

gregatione postulaverint: uti Emus Vicarius iam petiit pro Urbe ac suburbicaria Dioecesi Albanensi illi commissa.

3. Utpote Dominicae affixum et non universale, Officium de Sancta Familia iure translationis per se destituitur. Cum nihilominus nonnullae Dioeceses officia Dominicis vel Feriis affixa transferendi privilegium in genere possideant hinc et IX lectio posita est, quae Homiliae Dominicae sufficietur, si transferatur. Idem translationis privilegium, si petitum, obtineri facile poterit.

4. Festum huiusmodi secundarium est, ut tam in Occursu quam in Concursu, cedere debeat festo alii primario personalis dignitatis inferioris, si ambo eiusdem ritus, iuxta Generale Decretum d. d. 27 Iul. 1893.

5. Anno proximo 1893, Dominica III post Epiphaniam incidit in Septuagesimam. Uti per evulgandum Decretum palam fiet, praefata Dominica pro hac tantum vice, quamvis festo S. F. praevaleat per se, nihilominus ad ritum simplicem redigetur, ne vel penitus omittatur, vel idem festum primo celebrandum translationem patiatur. Haec sint satis.

II.

VICARIATUS APOSTOLICI CAROLINAE SEPTENTRIONALIS.

Rmus D. Leo Haid O. S. B. Vicarius Apostolicus Carolinae Septentrionalis in Foederatis Americae Provinciis Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: „In Ecclesiis quarum Patronus seu Titularis est San-

cti Ioannes Baptista, quanam oratione utendum est pro suffragio eiusdem in Laudibus et Vesperis, scilicet: Oratione de Nativitate an de Decollatione Praecursoris? „

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: Recitanda Oratio de festo Nativitatis, immutata voce *Nativitate* in vocem *Commemoratione.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die Iunii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.
VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

III.

PORTUS LUDOVICI.

Rm̃us D. Leo Meurin Archiepiscopus hodiernus Episcopus Portus Ludovici Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: Quum in quibusdam Ecclesiis usus invaluerit recitandi, post Missas privatas quae pro animabus in purgatorio detentis in Altari privilegiato celebrantur, plures preces indulgentiis ditatas, scilicet: De profundis, actus fidei, spei et caritatis, S. Cor Mariae, ora pro nobis, et orationem pro defunctis, quaeritur: utrum preces a Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII post Missam privatam recitari praescriptae in casu praedicto omitti possint: Et quatenus Negative, utrum memoratae preces pro defunctis illis adiici valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam. Atque ita rescripsit die 23 Iunii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

IV.

SANCTI CHRISTOPHORI DE HAVANA.

R̃mus D. Emmanuel Santander Frutos Episcopus S. Christophori de Havana Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: " Ordines Religiosi, vulgo Congregationes nuncupati, qui remunerationem a Gubernio civili accipiunt ut Dioecesanis Ecclesiis inserviant, debentne sese conformare Calendario Dioecesano in Officio persolvendo Sacroque peragendo? „ Sacra autem eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: Si Religiosi gaudeant proprio Calendario Negative; secus, Affirmative. Atque ita rescripsit et declaravit die 23 Iunii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Paef.
Vincentius Nussi *Secretarius.*

V.

FIRMANA.

Eñus et Rñus Dñus. Cardinalis Hamilcar Malagola Archiepiscopus Firmanus insequens Dubium pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi proposuit, nimirum:

Ex Decreto *Lincien.* diei 4 Iunii 1892 ad XIV (1), Sacerdos pro distribuenda Communione Monialibus debet, si chorus retro post altare habeatur, post recitatum a ministro vel ab ipsis Monialibus *Confiteor* deponere pyxidem ad fenestellam chori, et ibi ad Moniales conversus dicere *Misereatur* etc. *Ecce Agnus Dei* etc. Verum Communio administrari potest Monialibus, tam extra quam intra Missam, et quandoque accidit, ut simul ministrari quoque debeat inservienti Missae, vel etiam fidelibus. Praeterea in Communione extra Missam, non solum aliquae praescriptae sunt preces in Rituali Romano ante Communio-

(1) Decretum Lincien. (Dub. XIV) cui innititur Praefatum Respon. in Firmana. — Dubium XIV. An pro distribuenda SS. Communione Monialibus, quae habent Chorum retro post altare, debeat aut possit Sacerdos post recitatum a Ministro vel ab ipsis Monialibus *Confiteor*, deponere Ciborium ad fenestellam Chori, et ibi, ad Moniales conversus dicere *Misereatur* etc. et *Ecce Agnus Dei* etc. vel potius debeat haec omnia dicere ad altare versus populum de more, et dein per medium altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte Epistolae) ad Moniales sancto Christi Corpore reficiendas? Et an idem valeat etiam si Chorus non sit retro post altare, sed in aliqua parte laterali Presbyterii?

Ad XIV Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; ad tertiam, Provisum in prima.

nem dicendae, sed nonnullae quoque, postquam Eucharistia administrata fuerit, recitandae; et denique ipsa benedictio danda praescribitur post administratam Communionem. Cum autem ex eodem Decreto non satis constet, utrum haec omnia in quacumque Monialium Communione peragi semper ad chori fenestellam debeant, quando retro post altare situs est chorus; hinc ut in iisdem exequendis ritibus necessaria haberi possit uniformitas, quaeritur: An dispositio Decreti Lincien. intelligenda veniat *absolute*, an tantum *sub quibusdam limitibus?*

Porro Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, rescribendum censuit; *Negative ad primum, affirmative ad alterum, et ad mentem.* Mens autem est, ut Decretum in Lincien. ad Dub. XIV intelligi debeat de Communione ministranda tantum extra celebrationem Missae a Sacerdote stola et superpelliceo induto, et solis Monialibus, quando chorus vel retro post altare situs est, vel ab altari nimis distet.

Iis tantum in casibus, iisque rerum et locorum adiunctis, sive praecedentes sive sequentes preces in Rituali Romano praescriptae, ritusque reliqui ad fenestellam Monialium locum habeant; in aliis vero quibuscumque casibus servetur Rituale Romanum, et omnes praescripti ritus et orationes semper ab altari persolvantur. Atque ita servari mandavit die 13 Iunii 1893.

Cai. Card. Aloisi Mas. *Praef.*

Vinc. Nussi *Secret.*

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Contin. V. n. 7, pag. 390*)

VIII.

Multa quidem de Evangelii lectione seu modulatione, quae immediate sequitur post responsorium cantum, dici possent; sed cum pro nostro instituto parum vel nihil faciant, eadem silentio praeterimus, ut ad Symbolum deveniamus.

1. Regula fidei ab Apostolis, antequam ad disseminandum Christi Evangelium in orbem terrarum dispergerentur, composita et oretenus tradita, Symbolum communiter appellatur vel *Credo*. Non desiit tamen aliis nominibus ab aliquibus donari, uti exempli gratia a S. Dionysio, qui *Hymnologia Catholica* et *Hierarchica Eucharistia* eam vocat. Cur vero Symboli nomen impositum huic regulae fuerit, sic perbelle explicatur ab Emo Bona: " Sicut enim, ait, Symbolum apud profanos scriptores idem est ac signum, tessera, collatio, et indicium: ita regula fidei religionis nostrae signaculum est, brevis credendorum collectio, et mutua ac certa credentium contesseratio (*Rerum Liturg. Lib. II, c. VIII, n. I*).

Hoc igitur Apostolorum Symbolo trecentis et amplius annis usam fuisse Ecclesiam in catechumenis erudiendis certum est: an vero etiam in Missa eadem usa sit valde dubitatur; nullius enim, vel ad minus parvae

dicuntur auctoritatis a cl. Sala Bona adnotatore, scriptores veluti certum id asserentes.

Ast plerumque in Ecclesia factum est, ut, novis haeresibus insurgentibus, nova etiam dogmatum explicatio ac declaratio necessaria evaserit. Hinc accidit, ut impia Arianorum haeresi iam per Orientem grassante, Nicaena coacta fuerit Synodus, quae novam fidei tesseram tradidit orthodoxis. Idem postea, novis urgentibus necessitatibus, a Patribus secundae oecumenicae synodi Constantinopolitanae actum est. Tria eapropter Symbola in Ecclesia, brevi tempore, recepta sunt, scilicet: Apostolicum, Nicaenum, ac Constantinopolitanum. Ut quisque tamen probe intelligit, tria haec unum idemque sunt, sicuti una est fides. Et ideo Patres, Nicaenum maxime, cum Constantinopolitano confundunt, et Magister Sententiarum (*lib. 1, dist. II*), ceterique scholastici quod nunc in Missarum solemniis canitur, Nicaenum appellant, quamvis Constantinopolitanum sit. Nicaenum enim Apostolico, Nicaeno autem Constantinopolitanum quaedam tantum explicationis gratia adiunxerunt.

3. Sed Constantinopolitanum Symbolum prae aliis in Missis cantari antiqui instituerunt, haud quidem uti Walafridus Strabo autumat, quia modulis musicis aptius sit, sed quia, ait Emus Bona (*loc. cit.*), in eo dogmata orthodoxa clarius exprimuntur, et omnes haereses eo usque exortae plenius confutantur. Quando autem cantari incepit in Missa, et quis omnium primus id fieri praeceperit, valde incertum est. Unum tantum in confesso apud omnes est, in Orientalibus Ecclesiis illud publice cantari incepisse contra pravas haereticorum opiniones. Nonnulli tamen eruditi autumant, Symbolum non ante saeculum quintum Liturgiae insertum fuisse, et praecise sub Petro Gnapheo, dicto

etiam Fullone in Alexandrina Ecclesia, cuius dicebatur Episcopus, id accidisse. Ita Emus Bona, eiusque adnotator Sala, Schelestratius, Pagius, Eusebius Renaudotius, Fleurius aliique plures.

E Graecis postea ad Latinos laudabilis hic ritus transiit: et primi omnium Hispani illum receperunt, sicuti manifeste colligitur e Synodo Galleciensi et e Concilio Toletano tertio. Hispanos postea mox imitati sunt Galli atque Germani. Sed magna nunc exoritur quaestio: Symbolum in Ecclesia Romana quando cani inceptum est? Nonnisi sub Benedicto VIII, saeculo XI ineunte (*1015*), vel potius iam ante nonum saeculum? Auctores etiam melioris notae non desunt, hoc vel illud asserentes. Primi, auctoritate praecipue Bernonis Augiensis suffulti, qui (*cap. 2, lib. De rebus ad Missam pertin.*) scribit: " Romani Symbolum post Evangelium usque ad haec tempora divae memoriae Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos huiusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta; sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate catholicae fidei maneret inconcussa. Et ideo magis his necessarium esse illud Symbolum saepius cantando frequentare, qui aliquando ulla haeresi potuerunt maculari. At dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu id domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent ".

Secundi ex adverso gravissimum afferunt aliud auctoritatis argumentum, nempe veteres Romanos Ordines a Mabillonio editos, saeculo nono anteriores. " Post lectum Evangelium candelae in suo loco extinguuntur, et ab Episcopo *Credo in unum Deum can-*

tatur (*Ordo Rom. V, pag. 66*) „. “ Itaque perlecto Evangelio..... *alta voce incipiat canere, Credo in unum Deum;* et ita omnis chorus incipiens *Patrem omnipotentem*, ad finem usque perducat (*Ordo Rom. VI, pag. 73*) „.

Verum quamquam Bernonis auctoritas, testis oculati, haud spernenda sit, imo plurimi facienda; Romani tamen Ordines tale auctoritatis afferunt pondus, maxime quia Ioannis VIII, Leonis III, Strabonis et Amalarii auctoritatibus sustentati, ut nostro iudicio omnem controversiae locum tollant. Eapropter iam ante nonum saeculum in Ecclesia Romana morem Symboli canendi in Missa viguisse, nobis videtur omnino certum. Nihilo tamen minus, ut omnia integra habeamus cum Grancolasio ac Sala, dici posset, saeculo decimo morem recitandi symbolum in Missa Romae intermissum fuisse, sequenti vero Henrici precibus renovatum.

4. Modum symboli canendi in Romana Ecclesia, citati Ordines Romani innuerunt iam. Sacerdos post Evangelium illud praeintonabat alta voce, et chorus ad finem usque prosequebatur. Cantusque Symboli natura, ait cl. Kienle (*cap. 8, n. 3*), alias citatus, est valde simplex psalmodiae simillima: ita ut fidelibus illud cantantibus commoditatem praebeat singula mysteria meditandi venerandique (1).

---

(1) Symbolum in Missa cum cantu posse quoque organis consociari, nulla est controversia. S. R. C. in Seguntina ad Dubium: *utrum tolleranda consuetudo, ut symbolum sub organo moduletur*, responderat: « Abusum huiusmodi minime tollerandum, sed omnino per Episcopum provideri, ut integre intelligibili voce symbolum decantetur, ita ut a populo distincte audiri valeat (*10 Martii 1657 ad 3*) ». Hinc quidam severioris iuris consequens intulerant, organorum sonitum in Symbolo vetitum: quod est simpliciter

In Hispania vero apud Mozarabes haud post Evangelium, sed post consecrationem, elevatione peracta, Symbolum canebatur. Notatu etiam dignum est, aliquibus in locis Occidentis graece symbolum cantatum fuisse. In manuscriptis Constitutionibus Ecclesiae Neapolitanae haec leguntur: " In die Resurrectionis dicto Evangelio Dñus Archiepiscopus incipit *Credo* in graeco sermone, si placet, et supradictus Archiepiscopus, Presbyter S. Georgii ad Mercatum cum sociis suis, et Archipresbiter S. Mariae Rotundae decantant in graeco sermone in conspectu Dñi Archiepiscopi alta voce, et alii cantores de choro repetunt alternatim in latino, cantando etiam alta voce, et deinde Missa finitur, ut consuetum est „. Edmundus Martenes pariter testatur etiamnum id in Gallia observari in celebri S. Dionysii monasterio. Ubi in Octava eiusdem S. Martyris quidquid a choro in Missa praecinitur, totum graeco sermone canitur (*de ant. Eccl. Rit. Tom. I, Lib. I, cap. 3, art. 2, n. X*).

5. Non in omnibus tamen diebus Symbolum in Missa dicebatur, sicuti etiam in praesentiarum obti-

falsum. Symbolum enim modulari sub organo, significat articulos aliquos eiusdem legi posse sub organo, uti de versibus aliquibus hymni angelici Rubrica Caeremonialis Episcoporum permittit. Hoc S. R. C. declarat abusum eliminandum, et merito cum de fidei agatur professione solemni. Verum Symboli cantum totum et integrum cum organis consociare est negotium plane diversum, quod lex positiva nunquam vetuit, et consuetudo fere universalis approbat. Ad rem habetur quoque Decretum *S. Marci* declarans, sonitum organi posse *intermisceri cum cantu quando in Missa solemni integer symbolus in notis, seu in Cantu Gregoriano et firmo cantatur in choro.* Ita in Dubio VII Decreti citati d. d. 22 Mart. 1862; Symbolum ergo est pars Missae, quae uti aliae plures cantari potest, et organi sonitum patitur, dummodo per integrum canatur, et audiatur a populo.

net. Concilium porro Toletanum IV singulis diebus Dominicis Symbolum recitari praescripsit: Gregorius XIII in festis doctorum, aliique in aliis diebus. Causae autem, cur certis in diebus festis Symbolum prae aliis recitetur ad Missam tres sunt, uti observat Guyetus (*Heortologiae lib. 3, c. 28, quaest. 3.*), videlicet, Mysterium, Doctrina et Celebritas. Ratione Mysterii dicitur in omnibus festis Christi Domini, et B. Mariae, quippe quorum mysteria in eo explicite vel implicite continentur. Ratione doctrinae fidei, non tam susceptae ac propugnatae, quam verbo scriptoque traditae atque annunciatae, dicitur in festis Apostolorum et Doctorum. Denique ratione celebritatis dicitur in festis Patronorum, et aliis locorum propriis, seu Ecclesiarum: ad quas, inquit Gavantus, fit populi concursus, quamquam, addit, non ex hoc praecise concursu petatur ratio recitandi Symboli.

Sed haec quidem generatim dicta, etenim quoad festa propria attinet specialius definienda, qui nosse velit, liturgicos scriptores adeat.

DE FESTIS PRIMARIIS ET SECUNDARIIS

NOTIONES HISTORICAE ET DECISIO

1. Nuntium ad Consociatos dedimus in ultimo Ephemeridum numero (*num. 7. pag. 421 in fin.*) super festorum, quae primaria et secundaria dicuntur, resoluta controversia. Quod probabilius admirationem

peperit, seu quia fortasse praeter expectationem, seu quia paucissimis expressum, magis esse poterat perspicuum. Sed cum ea de re notitiam accepimus, primis duobus iam typis mandatis, reliqua duo folia vulgandi numeri sub praelo erant. Timentes, ne spatium deficeret, breviori, quantum potuimus, ratione Nuntium expressimus, ac typographo misimus, eum exorantes ut ubi commodius posset, insereret. Quidquid sit, cum res post tot tantosque labores, post tot tantasque hinc inde agitatas quaestiones, iam definita sit; operae pretium ducimus nonnullas exhibere de negotio, sed paucis, historicas notitias, ut controversiae innotescat gravitas, et decisionem ultimam referre, ex qua Sacri Tribunalis Rituum sapientia magismagisque effulgeat.

2. Rubricas Breviarii Romani de primariis et secundariis festis, seu Domini, seu Deiparae aliorumque Sanctorum aut Angelorum, omnino silere, nemo ambigit, si de verbo quaestio fiat. Hinc utrum Legislator, Pontifex S. Pius V, illique primi percelebres viri, qui iisdem Rubricis redigendis operam dederunt, primarium inter et secundarium festum discrimen intenderint, semper dubitatum est. Ceterum norunt omnes, festa ritu semiduplici superiora, aetate S. Pii V, et etiam per saeculum insequens et amplius, si a solemnibus primi et secundi ordinis (1) abstrahas, perpauca extitisse. Horum vero festorum vix occursus dabatur, quippe quae notabili inter se distantia ex Rubricarum sapientia distributa fuerant: adeo ut pro aliquibus rarioribus, qui accidere casus poterant, ipsae Rubricae

---

(1) Festa *primi ordinis* hic intelligimus *maiora*, de quibus Rubrica Gen. Breviari Tit. IX, n. 5; et *secundi ordinis* illa intelligimus, quae sic explicite appellantur in eadem Rubrica (*Loc. cit. n. 6*), et comparative ad maiora, *minora* sunt, uti patet.

providissent. Nihilominus primarii rationem contentam fuisse in dignitate ac solemnitate festorum, plures sustinuere. Hinc, Rubricis in unum corpus redactis, et Breviario insertis, perfectisque a Clemente Pontifice VIII, paulo post, praefatam distinctionem inter primaria et secundaria festa hausisse vitam, compertum est. Id tamen intelligas velim, non quidem ad distinctionem in se spectatam quod pertinet, quae citra controversiam semper extitit, sed respectu habito ad praelationem unius festi prae altero. Quae indubie demonstrant distinctionem hanc in Rubricis aliquod saltem fundamentum habere: secus quomodo eius explicari origo possit vix intelligitur.

3. Hucusque iudicatum fuit, primum distinctionis huiusce inventorem (praelatione primarii festi super secundario inspecta, quando utriusque festi idem est ritus, licet primarium dignitate inferiori, secundarium potiori dignitate, sit praeditum), fuisse Meratum. At R. P. Georgius Schober (1) luculenter demonstrat, haud Meratum, sed quemdam Ioannem Iacobs fuisse, Canonicum Ecclesiae Cathedralis Brugensium. Quod ab ipso Merato accipimus, qui, praelatione tributa festis inferioris dignitatis quia primariis, prae aliis potioris dignitatis, sed secundariis, fatetur (*Sect. III, cap. X, n. XIII*), id se a Ioanne Iacobi accepisse Canonico Ecclesiae Cathedralis Brugensium. Hinc sequitur, distinctionem hanc ipso Merato esse antiquiorem; Iacobs enim *Compendium Caeremoniarum in celebratione divinorum Officiorum* composuit, cui addidit nonnullas

(1) Presbyter e Congñe SSm̃i Redemptoris, qui expetitus a S. R. Congñe, Votum super primariis et secundariis festis elucubravit, editumque illud fuit Romae, ipsius S. Congñis iussu, typis Vaticanis anno 1892.

Considerationes pro celebratione festorum, in quarum quinta, eiusmodi, re quidem, non verbis, reperitur distinctio. Haec autem prodierunt Antuerpiae an. 1621, hoc est novemdecim annis post Rubricarum perfectionem a Clemente VIII peractam. Iam nunc, si ponas, ideas multo antea concipi, quam vulgentur; distantia inter Rubricarum absolutionem, et praefatam distinctionem, adeo parva remanet, ut pro nihilo computari iure merito possit. Ergo Rubricae, et distinctio eadem fere aetate ortum videntur habere.

4. Praefatos Iacobs, et Meratum, alii plures insectati sunt auctores in ea exponenda doctrina circa praelationem festi primarii comparative ad secundarium, licet hoc esset dignitate superius altero. Alii nihilominus hanc exponentes doctrinam reiecerunt, uti Cavalerius, et confutarunt, alii ambabus acceperunt ulnis, ac propugnarunt uti Bouvry, Marchesi, A Carpo, Doct. Piacenza: alii denique, quin directe sustinerent, amplexati de facto sunt, uti De Herdt, Vapelhrorst, etc. sicuti fere omnes, in Italia saltem, imo et in exteris quoque Ecclesiis, permulti calendariorum Redactores. Ephemerides Liturgicae cui sententiae adhaeserint, asserere nemo cum certitudine potest. Pluries enim de hac controversia ex professo egerunt; sed rationes pro et contra referre contentae, insolutam eam reliquerunt, vel ad summum in alteram potiusquam in alteram sententiam inclinarunt, non sine haesitatione tamen. Scriptores enim, qui proprii partus ingenii in Ephemeridibus inserunt, de articulis, quos suscribunt, respondent; adeo ut illarum et istorum in casu nec possit nec debeat fieri confusio. Plura S. R. C. Decreta huic sentiendi rationis discrimini occasionem dederunt: quae nihilominus, uti particularia, talia non porrexerunt pugnantibus arma, ut victoriam

alii contra alios adscribere possent sibi. Incassum ad Rubricas pluries habitus est recursus; cum quandam praeseferentes obscuritatem, singuli favere illas sibi ratiocinantes sustinerent. Sed cum leges per se ipsas tantum certam valeant obligationem inducere, non vero auctorum illationes: nihil etiam inde profecerunt auctores. Sic res se habuerunt ab aetate, qua Meratus opus suum vulgavit, vel, si magis libeat ab anno 1741, quo primum exiit Decretum praeferens festa primaria SS. Apostolorum Philippi et Iacobi, nec non S. Marci Evangelistae, secundario festo Patrocinii S. Ioseph, ad aetatem usque praesentem.

6. Interim, ultimis maxime temporibus nostris, S. R. C. pluries hac super materia expetita, vel *Dilata* respondit, vel particulari Decreto, animadvertens semper, ne quaestioni praesenti inferretur praeiudicium. Hinc in ultima Decretorum Appendice, valde dubitandum, utrum unum tantum ea de re Decretum inseruerit. Plurium nihilominus idem Sacrum Tribunal optimum iudicavit sententiam exquirere, quorum perspecta illi fuerat sacrorum Rituum Rubricarumque peritia. Laude dignam mentionem hic, prae aliis, praetermittere non possumus: 1° cl. Adelelmi Foppiano, *Monachi Cassinensis primitivae Observantiae:* qui ex officio eruditione refertum confecit Votum, quod distinctionem ex pluribus momentis impugnat et reiicit. 2. Doctoris Piacenza, qui diversam tenens viam aliud confecit pro oportunitate Votum, gravibus quoque momentis oppositam primae sententiam propugnans. 3. Rev. Patris Georgii Schober Sacerdotis e Congñe SS. Redemptoris, qui tertium quoque elucubravit Votum, a S. Congñe Rituum illi commissum, quo secunda reiicitur, et prima sententia ulterius confirmatur. 4. Cl. Fidei Promotoris, Dom. Dom. Augustini Ca-

prara, cui Summus ipse Pontifex demandavit, ut aliud eodem super negotio Votum elucubraret: quo prima denuo sententia reiicitur, altera probatur et defenditur. 5. Denique Commissionis Liturgicae, quae Voto adhaeserat cl. Foppiano, et quae nonnulla submisse in oppositum animadvertit super dicto Voto Promotoris Fidei, quibus hic iterum fecit satis. Haec omnia typis mandata, et tempestive ad Emos Patres Purpuratos data, ad solos quidem primum, quibus revisio Collectionis Gardellinianae Decretorum commissa fuerat, deinde ad reliquos, sacris tuendis Ritibus praepositos, satis mature perpensa, discussaque fuerunt. Nec praetereundum, Summum Pontificem Leonem XIII, Sacrae Liturgiae Custodem, Praesidemque supremum, quem Deus adhuc diu sospitet, controversiae gravissimae fieri voluisse participem, suumque sentiendi modum vocis oraculo aperuisse.

7. Rebus sic stantibus, die 27 Iunii vertentis anni 1893, uti in proxime praeterito numero innuimus, Purpurati Patres, qui sacris tuendis Ritibus sunt praepositi, item et S. R. Congñis Officiales in aedibus Vaticanis simul convenerunt, ut lis, quae tamdiu sub iudice fuerat, iterum discuteretur et finem haberet. Atque ita tandem aliquando, favente Deo, revera factum est: adeo ut quod hucusque dubium et ambiguum, iam impraesentiarum, Auctoritate quoque pontificia approbante et confirmante, certum exploratumque evaserit. Itaque iam amplius sequentia esse ulteriori discussioni nequeunt: 1. Dantur revera primaria et secundaria festa in ordine ad alterum alteri praeferendum, seu Domini, seu Deiparae Virginis, seu ceterorum Sanctorum: Domini autem et Deiparae plura extant primaria festa, Sanctorum verum nonnisi unum, dies natalis, seu pro-natalis, Christi Praecursore excepto,

cuius primarium festum est Nativitas. 2. Secundaria Domini, aut Deiparae festa, quamvis dignitate potiora, seu in occurrentia seu in concurrentia, imo, quod maxime attendendum, etiam in translatione, cedunt primariis quorumcumque Sanctorum, quando habeatur in utrisque ritus aequalitas: idem de festis sentiendum ad personas pertinentibus, quas Rubrica recenset, comparative ad alia reliquorum Sanctorum, modo eadem habeatur in utrisque ritus aequalitas, qui duplici minori saltem sit superior. 3. Haec autem omnia, Auctoritate competente iudicante et docente, conformia sunt Rubricis Breviarii Romani, quae ita et non aliter intelligenda sunt, uti ex sequenti Decreto Gen. constat:

DECRETUM GENERALE

SUPER PRIMARIA ET SECUNDARIA FESTA

Iamdudum apud viros sacrae Liturgiae peritos quaestio agebatur gravissimi sane momenti quoad praeeminentiam inter festa primaria et secundaria eiusdem ritus. Verum hac controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, ac plura particularia edidit Decreta, quin umquam rem per Generale Decretum definiret. Quum vero hisce postremis temporibus in eiusmodi quaestione maxima esset discrepantia ex multiplici atque opposita penes scriptores sacrae Liturgiae Rubrica-

rum interpretatione; necessarium duxit Apostolica Sedes unicam tandem normam statuere, quae ubique et ab omnibus, praesertim in ordine Divini Officii uniformiter redigendo, servaretur. Quocirca Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII commisit R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotori, ut votum *ex officio* exararet, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis discutiendum; posteaquam diversae ea de re a viris in Rubricarum scientia peritis habitae fuerunt sententiae, elucubrationibus multa eruditione exornatis.

Quibus omnibus praelo cusis, communicatisque una cum voto praefati S. Fidei Promotoris, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, a me infrascripto Cardinali, eidem Sacrae Congregationi Praefecto et Relatore, sequens Dubium propositum fuit, videlicet: *An festa secundaria Domini, B. Mariae Virg., Angelorum, Ss. Apostolorum, aliorumque Sanctorum praeferenda sint festis Primariis eiusdem ritus et classis, sed minoris personalis dignitatis, tam in occursu, quam in concursu, et in eorumdem repositione?*

Itaque Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, mature perpensis rationibus tum a memoratis viris, tum a R. P. D. Promotore S. Fidei adductis, ita rescribendum censuerunt: *In voto R. P. D. Promotoris Fidei, nimirum:*

Festa Primaria, utpote solemniora, aliis secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu quam in concursu, ad formam Rubricae X de Translatione festorum n. 6. Quod si eadem festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo praescriptus in memorata Rubrica n. 7; et fiat catalogus festorum, quae uti Primaria, vel secundaria, retinenda sunt. Die 27 Iunii 1893.

Demum his omnibus Sanctissimo eidem Domino Nostro relatis per me ipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit, et confirmavit, iussitque ita, et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda, Rescripta, seu Decreta, tum generalia tum particularia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 2 Iulii, anno eodem.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

Loco ✠ Sigill.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

8. Duo iam liceat nobis ex nova, ut certa inquam, doctrina exhibita consectaria inferre. Et primo, duplicia omnia, sive primae classis, sive secundae, sive quae maiora appellantur, in duos partiri ordines optime possunt et debent, primarios et secundarios, ut apprime intelligatur, quaenam, si occurrant vel concurrant inter se, praeferenda sint vel postponenda. Quod ante omnes operatus est cl. Marchesi in quaestionibus enucleandis Academiae Liturgicae Romanae,

quem postea imitatus A Carpo fuit, ac postremo, diversa quidem ratione, Doctor Piacenza, quem Consociati Ephemeridum satis abunde norunt. Ita ex. g. inter festa Duplicia universalia primae classis occurrunt eodem die SS. Christi Cor et SS. Apostolorum principes: de quo agendum? De secundo festo, translato primo, quia primum, respective saltem, secundarium est, secundum autem primarium, quod secundario praevalet. Occurrit Patrocinium S. Ioseph dup. 2. cl. cum S. Marco eiusdem ritus: de hoc fiet, quia primarium, illud transferretur, quod secundarium. Occurrit Conversio S. Pauli dup. maius cum altero festo, eiusdem ritus, alicuius Compatroni: Conversionem transferes, quia est festum secundarium: de Compatrono festum recoles, quia primarium. In his autem omnibus allatis exemplis, uti patet, dignitas quidem praevalet, sed cum de festo secundario agatur, illa non consideratur, et praevalet alterum dignitatis inferioris, quae reperitur in festo primario, vimque habet.

9. Alterum consectarium ordines respicit, quos posuit, ut nuper diximus, cl. Coadiutor noster, Doct. Piacenza. De his enim verba faciens R. P. Schober asseruit: sicut non est necesse singulas classes in subalternos ordines dividere, ita nec duplicia I classis esse distribuenda in tres ordines, duplicia II classis iterum in tres ordines, duplicia maiora in duos, duplicia minora in quinque, semiduplicia in sex, simplicia in octo ordines, *uti fabulantur* Ephemerides Liturgicae (*an. 1888 pag. 614-636*). At profecto, minus sapienter id fuisse dictum confitendum est. Etenim res quascumque similes, quae tamen inter se aliqua ratione discriminantur, varios posse ordines constituere, nemo dubitavit unquam. Sed plura duplicia 1.

cl. habentur in Rubricis, quae ad praelationem quod attinet differunt in se: item plura duplicia 2. classis, plura dupl. maiora, duplicia minora, semiduplicia, et simplicia, pariter inter se eadem de ratione differunt; ergo iure merito possunt singula duplicia recensita, semiduplicia, et simplicia in varios ordines dividi, ad similitudinem festorum, quae licet eiusdem ritus, tamen diversae sunt solemnitatis; et eiusmodi divisioni fundamentum praestant ipsae Rubricae. Non ergo cl. Doct. Piacenza fabulatus est, neque fabulatae sunt Ephemerides; sed potius, nisi fabulatae Rubricae fuerint, quod nefas est dicere, fabulâtus est ipsissimus R. P. Schober.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

DE LUMINUM NUMERO IN MISSA.

Saepe in quadam Ecclesia quaestiones oriuntur circa luminum numerum, in quibusdam Missis adhibendum. Nonnulli enim tenent, quacumque de causa quae peculiarem aliquam ferat solemnitatem, omnes Sacerdotes, quicumque sint, quatuor vel etiam sex candelas in Missis privatis adhibere posse, quod alii absolute negant. Quidam in solemnioribus Missis sex omnino candelas volunt ex lege Caeremonialis Episcoporum, alii vero quatuor tantum ex pecuniae pe-

nuria satis esse contendunt. Insuper, cum Episcopus in usum revocaverit tertium cereum in Missa, iuxta Rubricam Missalis (*Rubr. Gen. Tit. XX*), docent aliqui, illum esse adhibendum non solum in Missis, in quibus duae de more candelae accenduntur, sed etiam in aliis, in quibus quacumque de ratione accenduntur plures. Imo nec solemniorem Missam excipiunt, in qua etiam eumdem tertium cereum adhibendum esse contendunt, quod alii probare non valent.

Hinc quaeritur:

1. *Quaenam sint causae unde ortum habuerint, seu lumina in Missis, seu determinatus diversusque eorum numerus, iuxta qualitatem Missarum vel Celebrantium?*

2. *Quid erui certo possit circa eiusmodi luminum numerum in Missis seu privatis seu cum cantu, et solemnioribus?*

3. *Qui de tertii cerei accensione iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Eutichiani Cioci alumni Seminarii Pii, habita in Ecclesia Cong.nis Missionis prope Curiam Innocentianam die 11 Maii 1892: acta Epitoma per R.mum Dom. Felicem Zualdi (1) **Presbyterum Cong.nis Missionis.**

I. Quaeritur primo de causis quae originem dedere luminibus in Missa, nec non determinato eorumdem diversoque numero iuxta qualitatem Missarum et Celebrantium.

Petitione in duas partes divisa, dicemus primo de causis, quae luminum usui dederunt in Missa. Et ante omnia praenotandum, sicut in Missa, ita in ceteris

(1) E vivis sublatum Mense Martio vertentis anni 1893.

ecclesiasticis functionibus, sive noctu sive diu, ab Ecclesiae incunabulis consuetudinem adhibendi lumina semper extitisse. Namque idem usus communis erat omnium populorum, ut Aegyptii, Hebraei, Graeci, Indi, Synenses, sicut fidem facit omnium temporum historia, lumina accendere consueverint in Religionis actibus. Quod ceterum Sacra Biblia de Hebraeis luculenter testantur, uti in Exodo, in Levitico, in Numeris. Hinc praeceptum de septem lucernis (*Exod. 25, 37*), et Candelabrum cum lucernis (*H. 40, 4*), de quo pluries in Numeris, in Libro primo et altero Machabaeorum, et alibi. Nil ergo mirum, quod a Synagoga eadem transierit in Ecclesiam Christi consuetudo: quippe quae sicut primis fidelibus, ita et Apostolis ipsis arrisit, et Conventibus nocturnis veluti necessariam iudicarunt. Hinc in primis saeculis, cum sacra fierent in cryptis et hypogaeis, non diu tantum, sed et noctu, ipse lucis naturalis defectus lumina accendendi causam potiorem subministravit. Quam profecto naturalem causam cum Gavanto profitentur omnes, qui de hoc negotio liturgici auctores loquuntur. Sed ita eam esse admittendam causam naturalem, ut alia quaevis symbolica excludenda veniat, hoc profecto concedi nec potest, nec debet. Opportune hic Meratus in Gavantum notat, noctis vel loci tenebras causam quidem fuisse accendendi lumina in prima Ecclesiae aetate, nullo vero pacto praecipuam. Non enim prioribus illis saeculis fideles semper in cryptis sacros conventus agebant. Hinc prosequitur: " Reddita vero Ecclesiae pace, etiam in die accensi sunt cerei, non ad fugandas tenebras, ut scite Hieronymus adnotavit, sed vel in laetitiae signum, vel ad maius sacrificii decus et pompam (*Pars I, Tit. XX, n. 8*) „. Eliberitanum Concilium prohibet ab accendendis lucernis in Ecclesia

energumenos (*Can. 37*): quod in luminibus accensis profecto symbolismum mysteriumque significat. Tertius ex Canonibus apostolicis mentionem quoque facit de oleo ad luminaria offerendo. Sed prae ceteris auctoritatibus una valeat, Canon videlicet sextus Concilii Carthaginiensis, S. Cypriani aetate habiti; qui loquitur de acolythi ordinatione, et hac se ratione exprimit: " Acolythus cum ordinatur... accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat, se ad accendenda lumina Ecclesiae mancipari. „

Imo in Actis proconsularibus (*Apud Baron. an. 58, n. 70*) cerei referuntur, candelae et candelabra, et haec sive aenea, sive etiam argentea. Notum est enim septem fuisse argenteas lucernas traditas Diocletiano, undecim aeneas cum catenulis, duo magna candelabra, et parva septem, cum relativis lucernis. Adeo ut Prudentius in hymno V *in Catameria* cecinerit:

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quae suffixa micant per laquearia;
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma iacit vitro:
Credas stelligeram desuper arenam
Ornatam gemmis stare trionibus
Et qua phosphoreum etc.

Eadem comprobatur veritas ex hymno in natali III S. Felicis, in IX, et XI, sicut etiam apud Venantium Fortunatum (*Lib. V, Carm. 5*).

Hinc minus antiqua testimonia uti certum exploratumque id referunt. Peculiariter audiendus Micrologus, dicens (cap. XIV): " Iuxta Ordinem Romanum nunquam Missam celebramus absque lumine, *non utique ad depellendas tenebras,* cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cuius Sacramentum ibi

conficimus, sine quo et in meridie palpamus sicut in nocte. „ Quod auctoritas confirmat Benedicti XIV, ac denique Concilii Tridentini definit, dicentis: " Pia mater Ecclesia caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, *lumina*, aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia Religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur (*Sess. XXII, De sacrif. Missae, cap. V*) „.

Ex dictis ergo iure merito concludere liceat praesentis primam hanc petitionis partem, dicentes, causas ex quibus luminum consuetudo in Ecclesiam derivavit, fuisse: 1. Defectum luminis naturalis: 2. Venerationem in sanctum altaris sacrificium: 3. Functionis maiestatem et splendorem: 4. Mentes et corda fidelium ad caelos evehere: 4. denique aeterni atque inextinguibilis luminis, qui Christus est, significationem (1).

---

(1) Symbolicis significationibus oleum peculiariter et ceram gaudere, ex quibus tantum de iure sacra alenda lumina sunt in Ecclesiis, norunt omnes. De oleo significante Christum, quatenus typum dulcedinis, lucem veram, ignem ardentem, etc. non est cur dicamus, cum divinae ipsae paginae crebro nos doceant. Sed libet symbolum referre aeternae divini Verbi generationis in apum generandi ratione significatum, ex quibus cera. « Apes sunt frugales in sumptibus, in procreatione castissimae; aedificant cellulas cereo liquore fundatas, quarum humanae peritiae ars magistra non coaequat. Legunt pedibus flores, et nullum damnum in floribus invenitur. Partus non edunt, sed ore legentes concepti foetus reddunt examina, sicut exemplo mirabili Christus ore paterno processit. Fecunda est in his sine partu virginitas, quam utique Dominus sequi dignatus, carnalem se matrem habere virginitatis amore constituit (*E Sacrament. Gelasiano, apud Duchesne, Origines du culte chrétienne, pag. 243*) ». Et nihilominus quaenam in praesenti Ecclesiae luminibus ex cera apum utuntur? Equidem

Ad alteram modo pergentes quaesiti partem, dicendum est pariter, plures esse procul dubio causas, unde determinatus et multiplex invectus est in Missis luminum numerus. Symbolicis tamen seu mysticis hic causis relictis, duas tantum referemus, in quibus ceterae forte continentur, et quae ex actuum explendorum natura, et ratione personae constituuntur. Namque Missa, licet eadem semper, si eius substantiam inspicias, saepe saepius nihilominus quoad aliqua accidentia differt externae solemnitatis. Hinc Missa, quae lecta seu privata communiter nuncupatur, et altera quae dicitur cum cantu. Haec autem vel solum habere potest Sacerdotem, vel etiam ministros: illa simpliciter cantata, ista solemnior appellatur. Item Missa ipsa privata potest plus minusve rationem habere solemnitatis: sive quia pro solemni dicitur, sive quia ex festi celebritate quamdam potest solemnitatem desumere, vel ex aliis quoque rerum temporumque adiunctis. Quae omnia optimas valent causas constituere, ex quibus diversus luminum numerus pro Missarum diversitate adhibeatur. Ecquis enim dubitat, maiorem luminum collucentium numerum apprime habere posse locum in Missa solemniori, quam in simpliciter cantata, et in hac eadem maiorem, quam in privata? Quinimo, nonne haec eadem plura poterit habere lumina, si ad altare aliquod celebretur, in quo solemnitas aliqua recolitur, puta Sancti, cuius ea die festum cum pompa agitur? Haec quidem satis ostendunt externam quamdam solemnitatem, vel peculiaria rerum ac temporis

---

videtur nobis esse confitendum, hodiernam cuncta innovandi et corrumpendi cupiditatem, quae ex auri sacra fame in artificibus et mercatoribus derivat, notabile damnum et dedecus, ad mysticas quod attinet significationes luminum, Ecclesiae intulisse.

adiuncta, licitas constituere causas diversi, sicut et determinati luminum numeri, in Missa.

Praeterea ipsa ratio Celebrantis, aliam valet sapientem efformare rationem luminum in Missa discriminis. Namque inter Presbyteros, alii tantum Sacerdotali dignitate fulgent, alii vero dignitate quoque praelatitia sunt insigniti. Imo inter ipsos simplices Sacerdotes dari quandoque potest peculiaris ratio discriminis, puta si Sacerdos recens sit ordinatus, ut prima vice sacrificet, si Missam agat pro anno quinquagesimo Sacerdotii. Insuper adsunt Episcopi Sacerdotibus superiores, quos in Missa, ad lumina etiam quod attinet, distingui optimae rationes suadent. Hinc aliae luminum numeri diversitatis causae, quae, uti primae recensitae reales, ita hae personales dici possent. Fatendum quidem, relatas causas vix in primis Ecclesiae saeculis potuisse influere, ut discrimen istud induceretur. Sed pluribus de rationibus, successu temporis factum est, ut, aucto Sacerdotum, et Praelatorum numero, ex sapientia Ecclesiae statutum fuerit quid, seu Missarum qualitate, seu Celebrantium personis inspectis, servandum esset. Adeo ut eadem Ecclesiae sapientia dum decori consuleret divinae functionis, personarum quoque celebrantium relativae dignitati provideret.

II. Sed praestat ad aliam transire petitionem, ut videamus, qualis iste sit seu diversus seu determinatus luminum numerus in Missis, prout et earum qualitas, et Celebrantium discrimen requirunt?

Itaque plures, uti iam innuimus, Missas privatas inter se distinguamus oportet. Sitque *a*) primo de illa, quae *stricte* appellari potest et est *privata*. De hac igitur Missa nulla oritur controversia, cum conveniant omnes, in illa duo tantum lumina adhiberi posse.

Equidem Rubrica Gen. Missalis (Tit. XX) sequenti ratione circa lumina in Missa privata se exprimit: " Super altare, *nempe*, collocetur Crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere „. Ex his verbis palam fit, non minus quam duo exigi lumina in Missa privata, quin tamen inferri possit, plura esse vetita. At cum in pluribus decretis S. R. C. maiorem luminum prohibeat numerum Praelatis, qui Episcopis sunt inferiores, certum ex praefata Rubrica coniicitur, duo sola lumina esse in hac *Missa stricte privata* accendenda.

b) Sit secundo de Missa privata quidem, quae nihilominus quamdam praesefert rationem solemnitatis, puta, si Missa sit parochialis, si celebretur pro alumnorum Seminarii aut Collegii communione, si cantari deberet vel de iure posset, et aliquo de impedimento non canitur, uti accidit de Missa conventuali, de Missa Neopresbyteri, cui plures invitati assistunt, de Missa iubilari etc. Huiusmodi Missae a primis, de quibus superius, differunt, cum stricte privatae dici nequeant, adeo ut veluti *late solemnes* nuncupari possent. Hinc etiam tales considerantur quod ad lumina attinet, et plusquam duo lumina accendi in illis possunt. Constat ex Decreto in *Molinen.* ad dubium VII et IX simul collata (*12 Sept. 1857*), nec non ex altero *Northantonien.* ad III (*6 Febr. 1858*). Haec enim Decreta plusquam duas candelas in Missis parochialibus, Communitatum et Conventualibus, maxime diebus solemnioribus, permittunt, quod tamen in aliis stricte privatis interdicitur.

Idem a fortiori concludas de Missis privatis quidem, sed ad altare lectis, quod plures habet candelas accensas ratione alicuius imaginis expositae vel sacrae reliquiae. Namque maior in casu luminum numerus

non Missam afficit, sed altare, in quo aliqua solemnitas recolitur. Plane ergo risu dignum foret, si ea lumina, quae ratione solemnitatis accensa continuo manent, ob Missam lectam ibi dicendam deberent extingui, quod duo tantum lumina Missa privata exigit.

Quod si quaeras, utrum in his Missis determinatus sit lege luminum numerus, quando solito maior adhiberi potest, respondemus negative. S. R. Congñi enim maiorem in dictis Missis numerum luminum indulgere placuit, determinare non placuit. Et sapienter, quia ratio maioris numeri candelarum in casu, non est persona, sed solemnitas, quae celebratur; iure ergo in facultate relinquitur et devotione Ecclesiae, in qua eiusmodi Missa facienda est. Imo notandum hic venit, id comprobari etiam in Missa novella et iubilari. Quamvis enim videantur hae duae Missae relationem personis dicere, nihilominus maior luminum numerus, non ratione personarum directe permittitur, sed ratione potius illius Missae, quae celebratur, et ratione solemnitatis qua gaudet.

Semper tamen, monet Tridentina Synodus, curandum: " ut candelarum certus numerus qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione inventus est, removeatur (*Sess. XXII, Decr. De observ. et vitand. in celebr. Miss.*) ".

c) Sit tertiio de Missa cum cantu, sine ministris. S. R. C. in *Baionen.* declarat, hac in Missa, quae cum cantu esse debet, quamvis desint ministri, plusquam duo lumina adhiberi posse (*25 Sept. 1875 ad 1*). Verum eorum numerus determinatus pariter non est. Nihilominus dicendum videtur duo tantum non sufficere, quia habetur haec Missa uti conventualis, eamque plura decet habere lumina quam privatam. Praeterea

S. R. C. in *Briocen.* exigit, ut *in Missis de requie cum cantu, saltem quatuor* candelae in altari colluceant; ergo et in Missa cantata vivorum idem videtur saltem numerus requiri (*12 Aug. 1854 ad VII*). Si nihilominus haec Missa, licet conventualis, canenda sit diebus ferialibus, vel alterius ritus simplicis, etiam duae sufficiunt (*Caerem. Episc. cap. 12, n. 24*).

d) Sit quarto de Missa solemniori, seu cantata cum ministris. Eiusmodi in Missa, iuxta Missalis Rubricam sex videntur lumina esse adhibenda. Etenim cum de thurificatione altaris agitur, Ritus celebrandi notat, ter ducendum esse thuribulum, prout distribuuntur candelabra, quae cum tria ex una, et tria ex altera parte, vi Caeremonialis esse debeant, sequitur totidem esse debere lumina. Quod citra dubium, Caeremoniali, et universali consuetudine inspectis, in festis solemnioribus servandum est; in aliis vero minus solemnibus, si quatuor tantum candelas adhiberent Ecclesiae, vi legis, notari censura non possent (*Caerem. Episc. loc. cit.*).

Hic notandum, Missam Pontificalem esse vere solemniorem, in eaque sex adhibentur lumina ut in solemnioribus, nisi et septimum collucere debeat ratione Episcopi Ordinarii functionem agentis.

Num autem plus quam sex candelae accendi possint, nonnulli dubitant; et Gavantus docet, posse quidem, modo quae dictum excedunt numerum, in alia linea ponantur. Consuetudo nihilominus fert romana, ut in solemnioribus Missis numquam praefatus numerus adaugeatur.

Progrediamur nunc ad numerum luminum, qui varius esse potest, nihil solemnitate perpensa, ratione personae Celebrantis. Sed ad hoc quod spectat negotium, vix difficultas exurgit. Nam 1. simplex Presby-

ter nonnisi duas solas candelas adhibere potest in Missa privata. 2. Praelati inferiores Episcopis, ad quodcumque collegium pertineant, unica acta exceptione, de qua mox dicemus, simplicibus Presbyteris aequiparantur. Ita Constitutio APOSTOLICAE SEDIS OFFICIUM Pii Papae IX ad num. XVIII. Nihilominus quatuor lumina deneganda non videntur iis Protonotariis Apostolicis, sive *ad instar*, sive a fortiori *participantibus*, qui Romae Pontificalium usu frui non possunt. Ratio est, quia quamvis quatuor lumina non sint explicite permissa in citata Constitutione, inter res ibidem vetitas neque recensentur (*V. n. XIX*). Id tamen intelligas, dummodo ea omnia serventur circa solemnitatem, quae in citato numero XIX praescripta sunt. 3. Haec forte unica facienda exceptio, a qua si abstrahamus, sicuti Protonotarii Apostolici, ita quicumque alii Praelati, duobus in privata Missa luminibus contenti esse debent. Explicite hoc declaratum est de Canonicis et Dignitatibus (*Oritana, 19 Iul. 1659*), de Vicariis Generalibus (*Cusentina, 5 Iul. 1631*), de Abbatibus et aliis Praelatis, qui usu Pontificalium gaudent (*Decr. Gen. 27 Sept. 1659*).

Quod si de Episcopis agatur, ii quatuor de iure lumina ad Missam adhibent in solemnioribus festis, id permittente Caeremoniali Episcoporum (*Lib. 1, c. XXIX, n. 4*). Quod certe maxime in solemnioribus ipsis agendum est, nihilominus in aliis quoque festis minus solemnibus, imo in ipsis feriis eodem luminum numero uti possunt Episcopi, uti optime De Herdt animadvertit (*Prax. Pontif. Lib. 1, cap. XXIX, n. 4*).

III. Tertia petitio inquirit, quid de accendendo tertio cereo iudicandum sit, uti in casu exponitur.

Iuvet imprimis Missalis Rubricam hoc super negotio referre, quae sequens est: " Ab eadem parte

Epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus (*Rub. Gen. Tit. XX*): „ quem paulo ante elevationem a Ministro Missae accendendum, et post sumptionem Sanguinis extinguendum, alia Rubrica declarat (*Rit. celebr. Miss. Tit. VIII, n. 6*).

Nunc autem refert casus, Episcopum in usum revocasse tertium cereum: quod supponit, Rubricam hanc in desuetudinem abiisse. Cl. De Herdt asserit: " Ut communiter dicitur, nulla huius (*cerei*) est obligatio, et haec Rubrica non est praeceptiva, sed directiva tantum (*Prax. Liturg. pars 1, n. 185, not.*) „. Super quo animadvertimus, primam propositionem esse veritati conformem; et impraesenti dicti cerei accendendi non dari obligationem. At falsitate laborans dicenda est altera propositio de hac Rubrica directiva tantum, non praeceptiva. Si enim etiam Rubricae modum adhibentes imperativum dici directivae possent, de omnibus Rubricis actum esset; et praeceptivum non a lege ipsa, et a voluntate legislatoris dependeret, sed unice ab hominum placito, quod admitti nec potest, nec debet. Id quidem, abstractione facta a quaestione de praeceptivis et directivis, seu nulla ratione obligantibus *per se* Rubricis. Haec ergo lex non obligat impraesenti, sicut leges aliae obligationem amplius non inducunt, quae per consuetudinem contrariam abrogatae sunt, quamvis per se praeceptivae sint.

Consequenter obligatio cerei huius accendendi cessavit, non vi Rubricae, quatenus directivae, sed vi consuetudinis contrariae, quae auctoritate vidente et silente inducta est. Nisi cl. auctor dicere voluerit, eiusmodi Rubricam quamvis per se praeceptivam, veluti directivam nunc considerari posse, quatenus obligationem non inducit, quod concedi potest. Ex quo

sequitur, resumpta iterum consuetudine accendendi cerei, sicuti ceterae, ita et haec Rubrica servanda est, per se enim praeceptiva est.

Sed nonnulli docent, ait quaestiuncula, hunc cereum semper in Missa privata accendendum, etsi alia lumina, praeter duo consueta, adhibeantur; imo etiam in Missis cum cantu et solemnioribus, illum accendendum esse. Ad primum quod attinet, ancipites haeremus. Primo, quia Rubrica Missalis non supponit necessario duo tantum in Missa privata lumina, cum dicat tantum, non minus esse accendenda quam duo, uti exposuimus. Possent ergo (vi tantum Rubricae) plura lumina accendi, praeter duo; et nihilominus alium cereum Rubrica exigit ad elevationem accendendum. Quamvis ergo plures candelae in Missa privata accendantur, servanda quoque videtur Rubrica de hoc alio cereo. Insuper, si audiamus Quarti (*Pars. I, Tit. XX, Explic. litt. n. tert.*), cereus iste ad elevationem accendendus est, *ut detur circumstantibus signum adorationis.* Quod ab omnibus confirmatur optimae notae auctoribus, quales sunt, Gavantus, Catalanus, Bissus, Bauldry etc. Imo alius non videtur esse posse finis ipsius legis. Cum ergo, sive duo, sive plura adhibeantur lumina in Missa privata, finis Rubricae huius non obtinetur, nisi cum alio cereo; semper in omnibus Missis privatis videtur accendendus. At ex opposito, Ecclesiae, in quibus semper consuetudo viguit huius cerei accendendi, ita se gesserunt, ut nunquam illum accenderint quando alia, praeter duo, in Missa privata lumina adhibeantur. Praeterea huiusmodi cereus, non solum significat, adesse Sacramentum in altari, sed accenditur etiam in eiusdem Sacramenti honorem. Quid ergo censendum? Respondemus, cum de Rubrica agatur, quae impraesenti non

obligat, aliunde qui eam observarunt, ita semper intellexerunt, ut tunc tantum hunc cereum accenderint, cum duo lumina adhibebant, laude dignos iudicabimus, qui semper eum indiscriminatim accenderent, sed censura notare eos profecto non audebimus, qui laudabilem hucusque servatam retinent consuetudinem cereum accendendi in solis Missis privatis cum duobus luminibus, et eos pariter, qui eidem consuetudini se conformant. Haec quidem, usquedum S. R. Tribunali aliquid in contrarium decernere placuerit.

Ad alterum quod attinet, reponimus, hunc cereum in Missis cum cantu et a fortiori in solemnibus, nullo pacto accendendum. Illi enim cereo in Missis solemnibus Rubrica duo intorticia subrogat, ait enim: „ Ad finem praefationis accenduntur duo saltem intorticia ab acolythis, quae extinguuntur post elevationem calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post communionem (*Rit, celebr. Miss. Tit. VIII, n. 8*). Habetur ergo per haec intorticia adorationis signum: plura quoque, quam duo, habentur lumina, cum de Missa solemni agatur; ergo tacente lege, in Missis solemnibus locum habere non debet alius cereus.

EXPLICATIO

CUIUSDAM AMBIGUITATIS IN RE LITURGICA

(*Contin. V. n. 7, pag. 425*)

Articulum in prox. praeter. numero inceptum abrumpere coacti fuimus, quem nunc resumimus, uti spopondimus. Itaque cl. P. Lafrasse negat quod Ephemerides dixerunt, id est, sententiam tenentem, com-

memorationem simplificati ante semiduplex (si abstrahamus a casu, quo dimidiatae sunt Vesperae), fuisse ex errore ortam. Idque negat ob duplicem rationem: primo, quia ex collatione Rubricarum nil potest erui, quod alteri potiusquam alteri sententiae faveat: secundo quia vix credibile est, talem negligentiae aut imperitiae notam tot ac tantis viris inuri posse.

1. Circa primum animadvertere liceat, Rubricam Tituli IX manifeste evidenterque agere de commemorationibus festorum et officiorum, quae recoli per integrum nequeunt, idque a primo numero ad undecimum usque. Aliquem ex his libemus (n. 1): " *Commemorationes* fiunt de festis simplicibus, quando in eorum diebus incidit festum novem lectionum etc. „ (n. 2): " De feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum etc. fit *commemoratio*, quando festum novem lectionum in illis feriis occurrit etc. „ (n. 3): "... fit *commemoratio* de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum etc. quando festo duplici impediuntur. De aliis Dominicis *nulla fit commemoratio*, occurrente festo duplici, quia festum in illis occurrens transfertur, aut de eo fit *commemoratio* etc. „. Idem dicitur de diebus infra octavam, de iis commemorationem nempe faciendam, si impediantur: idem de aliis festis aut officiis quando impediuntur festis maioribus etc. Peculiariter notanda Rubrica num. 8, quae dicit: " Commemorationes fiunt hoc modo: Post Orationem diei in primis Vesperis dicitur antiphona etc. „. Iam nunc, reliquis huius Tituli numeris omissis, quippe qui relatis perfecte cohaerent, inquirimus: Quando ultimus numerus, qui undecimus est, loquitur de commemorationibus, de quibusnam commemorationibus loquitur? Numquid loquitur de commemoratione quoque concurrentis officii in Vesperis? Hoc negamus omnino, omnes enim et sin-

guli numeri Tituli IX de commemorationibus officiorum, quae celebrari non possunt, evidenter verba faciunt.

Quando ergo in numero undecimo Rubrica docet ordinem in commemorationibus, si plures fuerint, servandum, de quonam ordine loquitur? Numquid inter eas comprehendit etiam commemorationem concurrentis officii in Vesperis? Hoc quoque prorsus negamus. Namque iuxta Titulum IX Rubricarum, n. 11, ordo servandus in commemorationibus hic est: 1° de duplici, licet agatur tamquam simplex, 2° de Dominica, 3° de semiduplici, etiam quando reducitur ad modum simplicis, 4° de die infra octavam etc. At inquiri iure potest: Commemoratio in Vesperis, seu praecedentis, seu sequentis, de quo actum est vel agendum officium, quandonam facienda est? Ante, post, inter praefatas? Silet hic Rubrica, alibi ergo eundum est: quo? Profecto ad Titulum XI de Concurrentia.

Haec autem docet, duplici concurrente cum duplici, si eadem utrumque gaudeat solemnitate, Vesperas praecedenti competere usque ad capitulum: a quo competunt sequenti *cum commemoratione praecedentis* (n. 2). Quod si inaequalis solemnitas fuerit, festa maiora totas habebunt Vesperas, sed *cum commemoratione minorum*, si facienda sit (*Ib. loc. cit.*). Duplici concurrente cum semiduplici, cum Dominica etc. Vesperae totae erunt de duplici, sed cum *commemoratione* alterius, quod concurrit, si fieri quidem debeat (n. 3). Eadem sequenda lex in duplici vel semiduplici concurrente cum simplici sequenti: fiunt nempe de illo totae Vesperae, sed cum simplicis commemoratione, quod concurrit (n. 4). Quod si duplex vel semiduplex cum feria concurrat, de illo totae sunt Vesperae, sed de ista nihil, quia non concurrit, etc. etc. etc.

Iam nunc quaerimus: Commemoratio ista, nunc praecedentis, nunc sequentis, de qua in singulis numeris Tituli huius, est ne eiusdem iuris cum aliis, de quibus in Titulo de commemorationibus agit Rubrica? Non credimus; ibi enim agitur de commemorationibus officiorum *occurrentium* simul cum officio quod reapse persolvitur: et si inter eas aliquando adsunt commemorationes quae pertinent, uti accessorium, ad officium *concurrens*, nihilominus evidenter ibi Rubrica tacet de officii reapse *occurrentis* commemoratione: hic vero agitur de commemorationibus festi vel celebrati vel celebrandi, quae citra controversiam aliis praestant. Hinc festum dup. 2. classis, quod per se commemorationem diei intra octavam excludit, eam nihilominus admittit quando in secundis illius Vesperis idem dies infra octavam habet concursum. Ergo si conferantur Tituli IX et XI Rubricarum inter se, palam fiet, commemorationem festi concurrentis potioris esse iuris, quam alias festorum, quae concursu non gaudent: quod nos diximus, et erat probandum.

Circa secundum momentum, vix esse scilicet credibile talem negligentiae aut imperitiae notam tot et tantis viris inuri posse, respondemus, eiusmodi notam nos inussisse nemini, nec inurere ullo pacto voluisse; sed nec id necessarium esse censemus, ut proposita a nobis sententia sustineatur. Ad ea cl. Consociatum remittimus, quae sapienter, hoc super negotio, animadvertit Doct. Piacenza in Ephemeridibus, peculiariter Vol. II, pag. 221 et seq.

Ad decreta quod attinet silere cogimur impraesenti; sed sententiam, quam propugnamus, non reiicimus, nec reiiciendam cum bona obiicientis pace iudicamus. Titulus enim IX uti diximus, respicit quidem commemorationes, sed non de *concurrenti officio*, pro

quo consulendus est Titulus XI de Concurrentia. Et quemadmodum contra ordinem foret, ut commemoratio cuiuscumque simplicis fieret in Laudibus ante commemorationem et Orationem diei; ita eamdem, plus minusve inordinationem sapit, si inter duas officiorum concurrentium commemorationes et Orationes in Vesperis, aliae interponerentur, quae extra officium sunt. Rubricam autem Tabellis Occurrentiae et Concurrentiae suppositam eodem, et non alio, intelligendam sensu arbitramur.

2. Nunc ad alios quosdam convertimur, qui zelo nimio adducti plus aequo vocitant contra interpretationem Decreti *Ord. Min. S. Franc. de Observ. Prov. Concept. B. M. Virg. in Regno Portug.* d. d. 18 Dec. 1779 ad 1, 2 et 3, quam dederunt et rectam iudicarunt *Ephemerides Liturgicae.* Sed imprimis substantia Decreti ad litteram referenda, ut postea obiecta, atque etiam cavillationes refellamus. Decreti substantia est commemoratio Sanctorum, qui tractari debent ad normam Rubricarum de festis simplicibus, seu in occursu seu in concursu. Generalissime hinc quaeritur: "Utrum huiusmodi Sanctorum commemoratio praeponenda, vel postponenda sit commemorationi Dominicae, vel Octavae, seu infra octavam, si cum illis concurrat? (1)" Responsio autem sequentis tenoris est: "Quoad ordinem vero, si die eorum propria aliae commemoratio-

---

(1) *Concurrat* in casu nullius est liturgicae significationis, quod patet: 1° Ex contextu eorum quae exponuntur in Dubio primo: 2° ex inexacto loquendi modo in Dubiorum expositione, nam Dub. 5 explicite nominat *occurrentiam* in Vesperis inter Octavam SS. Apostolorum, et aliud festum duplex minus: 3° ex sapienti S. R. Congregationis responso, quod occursum et concursum complectitur.

nes occurrant (1), servetur, ut prius fiat commemoratio de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur Officium, aut Vesperae, aut Capitulum, aut dimidiae „. Ephemeridum interpretatio, sequens fuit: Prima post Orationem diei commemoratio ad Laudes vel ad Vesperas agenda, nempe in occursu vel concursu, illius esse debet officii, quod, impedimento secluso, fuisset ea die recitatum. Ex qua interpretatione palam sequitur, ius ad Officium et ad Vesperas tribuere festo primas in ordine commemorationum: hoc est, festum de quo faciendum esset Officium, aut Vesperae, vel in toto vel in parte, nisi impeditum fuisset, ante omnia post Orationem diei commemorandum est, seu ad *Benedictus* seu ad *Magnificat*. Negotium adeo clarum videtur, ut nulli possit esse difficultati obnoxium. Sed cum aliter Decretum praefatum exponatur, hinc querelae, tricae, ipsaque dicteria: quae nihilominus omnia nil contra veritatem profutura confidimus.

Ponamus itaque casum: Sabbato factum est de semiduplici, crastina die occurrit Dominica 2.ae classis, simulque dies octava et duplex minus non transferendum: feria autem II insequenti pariter de semiduplici faciendum est. Quaeritur: quinam esse debet ordo commemorationum agendarum? Ephemerides respondent: Ad Vesperas, seu in Sabbato seu in Dominica, prima commemoratio post orationem diei agenda est de semiduplici. Ratio est, quia semiduplex in casu ius habet ad Vesperas, tam in Sabbato (2) quam in

(1) *Occurrant* stricto sensu liturgico nequit accipi, cum verba ibi fiant de officio et Vesperis, seu de occursu et concursu, uti videre est.

(2) Semiduplex in casu, non solum ius habet ad Vesperas, sed ipsas Vesperas de facto, at nihil id interest. Nam ratio Ve-

Dominica: et, secluso impedimento, de eo revera Vesperae celebratae fuissent, vel in toto vel in parte: atqui iuxta Decretum praefatum prius facienda commemoratio est de eo, de quo, secluso impedimento, Vesperae recitarentur, vel in toto vel in parte; ergo.

Iam audi tricas: Si S. R. C. id intelligere voluisset, tunc contenta fuisset tantum respondere, *Quoad ordinem... servetur, ut prius fiat commemoratio de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur Officium aut Vesperae.* Sed S. C. ulterius e contra processit, addens, AUT CAPITULUM AUT DIMIDIAE. Hinc ita argumentantur: Si negetur festis ad simplicem ritum redactis ius concurrendi, tunc, excluso officio impediente, seu Dominicae, evidens est eidem competere INTEGRAS Vesperas. Sed vero, cum S. R. C. addat AUT CAPITULUM AUT DIMIDIAE, quaerimus: Cuinam dicunt relationem haec ultima verba? Profecto, non ad semiduplex, quia iam fuit demonstratum illi Vesperas in casu competere INTEGRAS. Ergo ea referuntur ad festum instar simplicis redactum, quippe quod impedimento solutum iura sua acquisivit. Quousque ergo non demonstretur, semiduplici in casu inhaerere ius non ad Vesperas integras, sed tantum dimidiatas aut a Capitulo, sustinebimus, Decretum Ephemeridum sentiendi modo esse contrarium.

Respondemus, Decretum *Ord. Min.* de quo supra, ne mentionem quidem de semiduplici facere, uti relegenti facile patebit; et supponit tantum plures agendas esse commemorationes, inter quas aliquae sunt

---

sperarum de facto, non est quia semiduplex praefertur Dominicae, quippe quae illi praevalet, sed quia, cum primas Vesperas Dominica nonnisi a Capitulo habeat, usque ad Capitulum de semiduplici fiunt, de cuius celebratione actum est, et adhuc agendum.

de festis, vel duplicibus vel semiduplicibus, ad instar simplicium redactis. Ulla ergo sine causa insistit argumentatio in iure semiduplicis ad Vesperas integras, seu potius ad Vesperas dimidiatas, aut a Capitulo. Namque S. R. C. non resolvit in *Decr. Ord. Min.* casum particularem, sed pro omnibus similibus resolvendis casibus normam exhibet. Haec autem norma supponit, officia, occurrentibus omissis, concurrentia, ut in casu, ius habere nunc ad integras Vesperas, nunc ad dimidium, nunc a Capitulo; docetque primam commemorationem semper esse debere illius festi, de quo eaedem Vesperae, vel integre fierent, vel partialiter, si impedimentum abesset. Quo ergo appellent omnia verba, quae circa semiduplex in argumentatione fiunt, non intelligitur.

At fortasse argumentatio non Decreto innititur, sed peculiari casui, quem supra posuimus, id est: Sabbato factum est de semiduplici, cras occurrit Dominica 2.[ae] classis, de qua agendum, et dies octava ac dup. min. instar simplicium redigendi: feria II autem insequenti occurrit aliud semiduplex, de quo celebratur officium. Verum, hoc posito, respondemus, satis esse erroneum, ut eodem in casu tribui velint semiduplici et Vesperae integrae, et dimidiatae et a Capitulo; ex his enim tribus nonnisi unum habere potest. Si ergo semiduplici integrae in casu competunt Vesperae, verba Decreti AUT CAPITULUM AUT DIMIDIAE ad idem semiduplex referri *nequeunt.* Ergo, subsumunt tricarum auctores, ea verba ad festum referuntur, quod in simplicis modum redactum est: adeo ut non semiduplex sit impeditum, sed festum simplificatum, cui proinde prima competit commemoratio contra Ephemerides, quippe quod iterum acquisivit iura sua. Reponimus, commemorandum esse simplificatum ante

semidup. sustineri fortasse contra Ephemerides posse, sed aliis de rationibus, non profecto de illa, quae in medium allata est, sapit enim absurditatem. Quomodo enim iura sua acquirere possit simplificatum contra festum quod agitur, quis intelligere valet? Et quis potest capere, festum nullum ius habens ad officium, consequenter nec ad Vesperas, ius habere ad concursum supra eadem festa, quae per integrum celebrantur? Haec explicatione indigent, quae dum desideranda relinquitur, nil contra Ephemerides vim habebunt.

Addunt: *Concurrentia* definitur duorum officiorum *occursus*, duobus consecutivis diebus obviam sibi euntibus. Si festum in simplicem redactum ritum nequit concurrere; remoto impedimento, ut vult decretum, unum in arena remanet officium: quod cum ius concurrendi servare non possit, quia *occursus* non datur, in ordine commemorationum communium redeat oportet, illumque sumere locum per Gen. Rubr. Breviarii sibi assignatum.

Reponimus primo: quid est ille loquendi modus dubitativus, *si festum simplex non potest concurrere?* De eo quod certum est, dubitari non debet; cumque iuxta Rubricas concurrentia in solis habeatur Vesperis, et simplicia, vel simplificata in casu, omni ad Vesperas iure sint destituta, manifestum est eadem festa non posse ullo modo concurrere. Secundo, falsum est, unum remanere in arena officium, sunt enim duo in casu: quod impedit, et est Dominica: quod impeditur, et est semiduplex. Illa impedit in primis et in secundis Vesperis semiduplex: in primis, quia sumit sibi Vesperas a Capitulo quae alias semiduplex praecedens habuisset: in secundis, quia integras sibi sumit Vesperas, quas habuisset Semiduplex sequens, et cui aliter Vesperae tributae fuissent nisi impedito. Haec ergo duo festa vere concurrunt;

quae autem concurrendi vi destituuntur, sunt festa alia simplificata, videlicet dies octava et duplex minus. Falsa ergo tricarum auctorum illatio, id est semiduplex non concurrere, eiusque commemorationem in ordine aliarum communium tantum invenire locum posse; solis enim hoc simplificatis convenit. Alia omittimus, quae anomalias appellant, cum probationes quas afferunt, nullius sint momenti, et anomaliae eorum phantasiae partus sint.

Ergo in sententia eadem iure perseveramus, tenemusque, primam in Vesperis commemorationem agendam, esse illam quae ad officium concurrens pertinet, quia illi uni ius Vesperarum inest, sive in toto sive in parte, haud vero simplicibus per accidens, quibus concurrentiae in Vesperis ius repugnat.

DE ORDINE COMMEMORATIONUM IN VESPERIS

Nobis, qui quaestionem de ordine commemorationum primi in harum Ephemeridum paginis promovimus, licitum sit aliquid reponere, ad ea quae cl. Lafrasse scripsit denuo in ultimo numero.

Summo gaudio accepimus quod nostra sententia apud S. R. C. favorem adepta sit; neque contrarium formidandum erat, est enim sententia nostra magis conformis Rubricis, et eiusdem S. Congregationis decreto 18 decembr. 1779, N. 4395.

Sicut enim satis superque probavisse nos credimus in nostra solutione (*Ephem. lit. anni 1888, pag. 220*), necessarium omnino est binam *impedimenti* speciem recognoscere, atque utriusque impedimenti effectus prae oculis retinere.

Habemus, ergo, impedimentum *occurrentiae* quando *officium* minus dignum *impeditur* a digniori; habemus autem et impedimentum *concurrentiae*, quando 2^ae^ *Vesperae* praecedentis officii, minus digni impediuntur a 1^is^ *Vesperis* sequentis dignioris officii, et viceversa.

Effectus vero impedimenti occurrentiae quot sunt? omnes norunt, tres esse hos effectus, nempe: I. quod aliquando officium minus dignum penitus extinguitur (ex. gr. quando simplex vel semiduplex, aut etiam duplex, non doctoris, *occurrit* eadem die cum duplici 1.^ae^ classis). II. Quod officium minus dignum transferatur alia die. III. Quod de officio minus digno fiat saltem commemoratio. E contra qui sunt effectus impedimenti *concurrentiae?* Tres pariter sunt. I. Quod de Vesperis officii minus digni, ideoque impediti, nihil penitus agatur, (quando ex. gr. semiduplex aut duplex maius vel minus *concurrit* cum duplici 1. classis). II. Quod de *Vesperis* officii minus digni fiat tantum commemoratio. III. Quod *Vesperae* ita dimidiantur, ut officium praecedens, in pace conveniens cum officio sequenti, a capitulo partem Vesperarum illi cedat, ut fit quando ex. gr. concurrunt duo duplicia minora.

Cum ergo citatum S. R. C. decretum 18 Decemb. 1779 aperte iubeat: *ut prius fiat commemoratio de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur* OFFICIUM, *aut* VESPERAE *aut* Capitulum,

aut dimidiae, nobis erit inquirendum de quo impedimento hic loqui S. R. C. intelligat.

Nos vero statim respondemus de utroque impedimento *occurrentiae* et *concurrentiae* loqui voluisse, seorsim tamen accepto. Sciendum enim est quod S. R. C. hoc suo decreto omnibus casibus commemorationum providere intellexit, scilicet tam de commemoratione in Laudibus etc. *officii* impediti, quam de commemoratione officii impediti in *vesperis,* ideoque opportune et scienter primo decernit, fieri *prius commemoratio de quo secluso impedimento* (occurrentiae, ut patet), *die illa celebraretur* OFFICIUM. Hoc ergo valet in casu quo plures agendae sunt commemorationes de officiis eadem die incidentibus, et a legibus occurrentiae impeditis. En casus; dies 21 Octobris est dominica III eiusdem mensis; agendum est ergo de Puritate B. M. V. at in mea Ecclesia dies 21 octobris est festum duplex SS. Ursulae et Soc., est VII dies infra octavam dedicationis, est IV dies infra octavam S. Florentii Protectoris, et festum simplex S. Hilarionis. Quomodo ordinandae commemorationes in mea Ecclesia dicta die 21 Octobris, cum incidat in dominica quae est III mensis? Citatum decretum probe docet. Secluso enim impedimento occurrentiae a festo Puritatis B. M.V. producto, ageretur officium SS. Ursulae et Soc. duplex; secluso SS. Ursulae et Soc. impedimento, ageretur officium de occurrenti dominica; secluso huius dominicae impedimento, ageretur de die VII infra octavam dedicationis meae Ecclesiae; secluso huius dedicationis impedimento, ageretur de IV die infra octavam S. Florentii Protectoris; secluso denique hoc quoque impedimento, ageretur

de S. Hilarione simplici. Itaque ecce nunc ordo commemorationis officiorum die 21 Octobris in mea ecclesia impeditorum, cum *prius agenda sit commemoratio de quo secluso impedimento die illa celebraretur* OFFICIUM, in casu proposito, in festo digniori Puritatis B. M. V. ego commemorationem faciam 1. de SS. Ursula et Soc., 2. de dominica 3ª de octava Dedicationis, 4. de octava Patroni, 5. de S. Hilarione simplici.

Hoc dicimus, quia liquido profluit e prima parte citati S. R. C. decreti. Quando vero inquiritur quomodo ordinandae sint commemorationes in Vesperis, apprime respondet secunda pars eiusdem decreti, ubi dicit: *ut prius fiat commemoratio de quo secluso impedimento die illa celebrarentur.....* VESPERAE *aut* capitulum *aut* dimidiae. En *impedimentum concurrentiae,* et nihil aliud nisi impedimentum concurrentiae; hoc bene advertant adversarii.

Nihil facilius quam id demonstrare cum omnibus logicae severioris legibus. Dicimus ergo in hac secunda parte S. R. C. loqui noluisse, nisi de impedimento *concurrentiae* de eiusque effectibus, et illico probamus.

Si S. R. C. in citato decreto loqui voluisset tantum de *impedimento occurrentiae,* scilicet, si revera ordinem commemorationum statuens, voluisset distinctionem agere inter commemorationem officii impediti in die a legibus *occurrentiae,* et officii impediti in vesperis a legibus *concurrentiae,* sufficiens fuisset quod suum responsum ad solam primam partem se extenderet; videlicet, satis fuisset quod diceret: *prius fiat commemoratio de quo secluso impedimento die illa celebraretur Offi-*

cium. Si ergo ultra processit et adiecit: *aut Vesperae, aut capitulum, aut dimidiae,* certum est sacrum tribunal loqui quoque voluisse de impedimento *concurrentiae,* scilicet distinctionem ponere inter commemorationem officii impediti in die a legibus *occurrentiae,* et commemorationem officii impediti in vesperis a legibus *concurrentiae.* Hoc nobis luce meridiana clarius apparet, praesertim ob verba, quibus explicit responsum, nempe *aut Capitulum aut dimidiae.* His enim verbis tacite innuit S. R. C. quod licet aliquando officium concurrens reapse non habeat aut *Vesperas, aut capitulum, aut dimidias* ob maiorem dignitatem alterius festi concurrentis, nihilominus ius ad illas vesperas habet omnino, ad quas nullum ius amplius habet officium impeditum in die a legibus *occurrentiae,* ob rationem infra explicandam. Ergo, quando inquiritur qualis ordo habendus est inter plures commemorationes in vesperis agendarum, distinguendum omnino est inter commemoranda festa impedita in die ob leges *occurrentiae,* et festa impedita in vesperis ob leges *concurrentiae.* Exemplum habe: Hodie est dies III Martii, et officium persolvimus de occurrenti feria III post Dominicam Quinquagesimae; cras vero, licet sit festum S. Casimiri C. semid., cum occurrat feria IV Cinerum, agendum erit de feria cum commemoratione S. Casimiri. Quomodo tamen recitabimus vesperas in feria III? Omnes liturgici doctores et Calendariorum redactores absque haesitatione, et laudabili unanimitate respondent: Vesperae erunt de feria III cum commemoratione S. Casimiri, semiduplicis simplificati cras occurrentis.

Quare hoc? Nonne si cras non occurreret fe-

ria IV cinerum, hodie vesperae essent de S. Casimiro absque commemoratione feriae III? Quomodo ergo S. Casimirus iure suo privatur?

Ratio in promptu est, a Rubricis Generalibus *(Tit. XI n. 10)* nobis suppeditata, quae decernit: *Cum occurrit, ut festum simplex* (et hodie addendum est: *aut ad ritum simplicis redactum*) *veniat... in feria quarta Cinerum... Vesperae antecedentes erunt de feria communi per annum, non autem de sequenti.... Quod ideo non fit, quia sequens feria habeat primas Vesperas; sed quia cum festum simplex* (adde *aut simplificatum*) *in sequenti die non habeat officium propter feriam praedictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in praecedenti die.*

Ex qua luculentissima Rubrica, liquido fluit principium a nobis supra indicatum. In casu proposito, S. Casimirus impeditur *impedimento occurrentiae,* a Feria IV cinerum; cum ergo effectus sit impedimenti occurrentiae, ut de impedito festo *non amplius ea die fiat* OFFICIUM, sed vel penitus omittatur, vel commemoretur, vel transferatur, restat ut festum S. Casimiri, quatenus impeditum a legibus occurrentiae, iure *officii* eo anno destituatur; eiusque porro officium tamquam mortuum in praelio *occurrentiae,* nullam amplius vim habeat ut cum alio officio dimicet.

In vesperis ergo feriae III nostri casus, officium feriae totam et solus vim possidet in conflictu, habemus enim *officium* feriae III, dimicans non cum *officio,* sed cum sola *commemoratione* S. Casimiri.

Distinguendum ergo est, in ordine commemorationum in Vesperis agendarum, a commemora-

tione *officii* impediti in die, a legibus *occurrentiae*, et a commemoratione officii impediti in vesperis a legibus *concurrentiae*. Officium impeditum a legibus *occurrentiae*, in vesperis, prout vidimus, et allata Rubrica nobis docet, nullam vim habet in conflictu cum officio concurrenti. Licet ergo ex. gr. in dominica III Adventus commemorationem egimus diei octavae Immaculatae Conceptionis, et duplicis simplificati; in vesperis prius commemorationem faciemus sequentis S. Eusebii *semiduplicis* et postea de die octava Immaculatae, quia *secluso impedimento Vesperarum Dominicae* (puta si dominica ob aliquam causam vesperis careret), vesperae essent de S. Eusebio, prius ergo de eo quoque commemorationem fieri oportet.

Diximus in principio huius articuli, summo gaudio accepisse nuntium, quod haec nostra sententia Romae favorem adepta sit; nihilominus hic proponimus modum facilem et aequum, quo adversariis nostris aliquid concedatur, et principiis a nobis positis satis simul fiat.

Propositionem nostram iam protulimus in solutione citata, *Ephem. liturg.*, anni 1888, pag. 229, in postremis verbis: « Officium quodcumque » etc. et absolvimus cum aliis verbis: « Sic utraque sententia in hac quaestione, coalescet in una ». Cum vero Proto-typographus multa in allata periodo omiserit, nemo certe ex lectoribus mentem nostram intellexit. Denuo ergo hic proponimus hunc modum in Rubricis fundatum, si ab auctoritate legitima probandus videbitur.

In vesperis post orationem quae dicitur statim ac repetita fuerit Antiphona ad Magnificat, fiant omnes commemorationes quae factae sunt

ad Laudes illius diei si vesperae sint de praecedenti, et postea fiat commemoratio de festo sequenti cum omnibus commemorationibus quae faciendae erunt ad Laudes sequentis diei. Si vero vesperae, vel saltem capitulum fuerit de sequenti, tunc post eius orationem fiant statim omnes commemorationes quae in crastino faciendae erunt ad Laudes, et postea fiat commemoratio praecedentis, cum omnibus commemorationibus quae ad laudes illius diei factae fuere. Aliis verbis, in vesperis uti omnes liturgici magistri docent, duo tantum sibi vindicant prioritatem officia concurrentia, praecedens nempe et sequens; ceterae ergo commemorationes dividantur in duas classes, prout accessoria ad festa concurrentia. Quae pertinent ad praecedens officium, fiant post huius orationem, quae vero pertinent ad sequens, fiant item post huius orationem. Rem explicabit exemplum. Dies III Decemb. est dominica I Adventus, agitur ergo de ea cum commemoratione S. Francisci Xaverii duplicis simplificati; ac in mea ecclesia cum commemoratione octavae Titularis. Sabbato ergo in vesperis post orationem dominicae, de qua dictum est a capitulo, facienda erit commemoratio S. Francisci utpote accessorium in casu officii dominicae, et postea S. Bibianae praecedentis, ac dein de infra octavam Titularis, est enim accessorium officii praecedentis. Die autem dominica, vesperae erunt de sequenti S. Petro Chrysologo, cum commemoratione S. Barbarae (simplicis), quia accessorium sequentis festi, et postea commemoratio Dominicae praecedentis, ac dein de S. Francisco duplici simplificato et

de octava Titularis utpote accessoria in casu officii dominicae.

Nescimus an haec propositio nostra placitura sit, nihilominus eam in medio protulimus uti modum pacificandi animos in hac quaestione dimicantes.

Ceterum, si haec propositio auctoritati non placeat, adversarii nostri in hoc agant et sistant ut S. R. C. decretum emendet 18 decembris 1779, N. 4395, quod si hoc restat decretum, sententia nostra iam in tuto sita est, neque argumentatio ulla illam infirmare poterit.

Doct. PETRUS PIACENZA.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Pluribus locis.* **De commemoratione Sacramenti in die translato Inventionis S. Crucis.** Anno insequenti 1884 Inventio S. Crucis, occurrens cum Ascensione Domini, apud nos transferenda est in diem 29 Maii, quae prima dies libera est, sed infra octavam Corporis Christi, duplicia 1, et 2, cl. non excludentem. Nunc quaeritur: In festo Inventionis S. Crucis, quod infra dictam octavam recolitur, facienda ne est com. Sacramenti, utpote privilegiata?

Resp. Prudens quidem dubitandi ratio. Namque, uti adm. Rev. Inquirentes animadvertunt, Decretum *Strigonien.* d. d. 30 Aug. 1892 (*V. Ephemer. vertentis anni, n. 1, pag. 9. et 13*), ad Dubium IX, decernit omittendam commemorationem Crucis in Suffragiis,

quando fit officium Votivum de SS. Euch. Sacramento, ratione identitatis mysterii. Nonne ergo ob paritatem rationis com. Sacramenti videtur quoque omittenda cum officium celebratur de Inventione S. Crucis? Comprobatur enim et hic identitas mysterii. Ita quidem credimus. Principium namque in Decreto *Strigonien.* statutum, in aliis quoque Decretis eadem S. R. C. confirmat. Ut aliud enim Decretum *Emeriten.* in Dubii IX expositione Decreti *Strigonien.* opportune citatum praetereamus, satis sit recentissimum Generale afferre atque ineditum, quod omnia antiquiora complectitur et compendi facit d. d. 2 Maii 1893. In eo decernitur, in officio votivo Passionis omittenda *com. de S. Cruce, aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi.* Idque enunciato innititur principio, nempe: *Commemorationes in suffragiis nunquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur officium.*

Nunc autem, sive commemoratio rationem habeat Suffragii, sive rationem partialis officii, eadem semper extat illius omittendae ratio, ne scilicet bis de eodem fiat.

Neque obstat, octavam Corporis Christi esse privilegiatam, proindeque nunquam omittendam. Haec enim causa apprime valeret, si omitteretur ratione ritus, puta quia Octavae com. in dup. 2. cl. facienda non est; sed omni vi in casu nostro destituitur, cum ideo eam omittendam dicamus, ne eiusdem com. obiecti bis fiat. De qua obiecti identitate nobis dubitandum non videtur, quia in Cruce, in Passione, in Instrumentis Passionis eiusdem, idem recolimus supremum Liturgiae Obiectum Christum Dominum in almo Sacramento, quod est Passionis Christi Memoriale perpetuum. Haec quidem, salvo meliori iudicio.

II. *E Benevento.* **De Episcopi assistentibus in solem-**

nibus benedictionibus cum Venerabili. Quando Episcopus in Cathedrali Ecclesia solemniter cum Venerabili populo benedicit, Capitulo assistente, quidam autumant, quod duo Diaconi throni Ei assistere debent, cappa, vel rochetto et superpelliceo induti: alii e contra quod a Diacono ac Subdiacono paratis hoc officium Ei praestandum sit. Insuper in prima sententia, Archidiaconus cappa, vel rochetto ac superpelliceo pariter indutus, thus administrat; Sanctissimumque Sacramentum Episcopus accipit ab aliquo Presbytero, vel a primo Diacono, qui stolam ad hoc induit: in altera sententia e contra thus nunc a Diacono parato ministratur, nunc vero ab Archidiacono, qui quandoque cappam, quandoque sibi induit pluviale. Nunc ergo quaeritur: quid agendum?

Resp. Ut admodum Rev. Inquirenti plenum satisfaciensque demus responsum, de variis casibus, in quibus Episcopus in Cathedrali Ecclesia benedictionem solemniter impartitur, nobis loquendum est; ex diversis enim rerum adiunctis in quibus ante benedictionem Episcopus reperitur, solutio quaestionis de assistentibus dependet. Quatuor ergo casus dari possunt, in quibus solemniter Episcopus cum Venerabili populo benedicit: 1. Episcopus benedictionem impartire potest immediate post Vesperas per ipsum decantatas. In hoc casu, cum neque Diaconus neque Subdiaconus, altari ministrantes, adsint, duo Diaconi throni, dalmatica induti, Episcopo assistent; neque necessum est, ut primus ex ipsis stolam assumat. Et revera Caeremoniale Episcoporum dum de Processione agit in festo Corporis Christi (*Lib 2, c. 33*), expresse docet, quod Episcopo, qui sacris indumentis cestitus iam Missae aderat, duo Diaconi assistere debent: " Diaconus assistens a dextris accedet ad altare.... accipiet

Ostensorium cum SSmo de altari, et illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit (*ib. n. 20*) „. Et tota ratio huius praescripti in hoc unice sita est, quod iam antea duo Diaconi throni, haud vero Diaconus et Subdiaconus Episcopo assistebant.

Similiter in hoc casu, Archidiaconus, qui Vesperis aderat, eamdem quodammodo actionem prosequens, thus Episcopo ministrabit (*Caer. Ep. L. 2, c. 33, n. 19*): " Ministrante naviculam Presbytero assistente „: Diaconorumque primus e throno SSmum Sacramentum assumet, ac Episcopo tradet.

2. Episcopus populo benedicit immediate post Missam solemniter a se decantatam.

In hoc secundo casu. Diaconus ac Subdiaconus qui iam antea in Missa Episcopo inservierant, pariter inservient ei, manipulo tamen deposito. Ratio est, iuxta Caeremoniale Episcoporum (*Lib. 1, c. 8, n. 3*), quia dum Episcopus *cst apud Altare*, Diaconus Subdiaconusque ordinarie ei assistunt, dum Diaconi e contra ipsi ministrant cum *est apud sedem*. Ita pariter S. R. Congregatio (*19 Aprilis 1681, Caesenaten. dub. 5*) declaravit: " Convenientius ministrari per Diaconum et Subdiaconum; quia *ipsi sunt qui ministrant*, alii vero Diaconi *solummodo dicuntur assistentes* „. Nihil tamen prohibet quod et in hoc casu etiam duo Diaconi, dalmatica induti, Episcopo assistant ad latus ministrorum stantes. Ac etiam in hoc secundo casu Archidiaconus naviculam pariter thuris ministrabit.

3. Episcopus solemniter populo benedicit immediate post Missam aut Vesperas, quibus *in pontificalibus* aderat. Cum eodem Caeremoniali huic alii casui similiter respondemus. In eo enim (*Lib. 2, c. 33, n. 17*), dum de festo agitur Corporis Christi, reperimus; " ..... Et descendentibus duobus Diaconis assistentibus, ad se pa-

randum in loco suo, duo ultimi iuniores Canonici venient ad assistendum Episcopo, donec primi revertantur, quibus reversis, et ipsi ad se parandum ibunt „. Ideoque, cum huic simillimus sit casus noster, dicimus, sub finem Vesperarum aut Missae discedere debere Diaconum throni, ad assumendas dalmaticas convenienti in loco, et interim ab aliis duobus Canonicis ut Episcopo in throno assistant, usque ad primorum reditum.

Duorum ergo Diaconorum assistentium est, cum dalmatica in benedictionibus Episcopo assistere. Sed in hoc tertio casu thus a primo Diaconorum ministrandum est, ex eo quod Archidiaconus tunc throno assistit, haud quidem pluviali indutus, sed habitu chorali.

Neque hic exemplum festi Corporis Christi adduci potest, cum ob processionem omnes Canonici, ideoque et Archidiaconus, illa die parati sint, hinc ei pertinet illa die thuris ministratio. In casu nostro e contra paratus minime cum sit, neque ob solam thuris administrationem pluviale assumere possit, relinquitur Diacono hoc officium Episcopo praestandum.

4. Ultimus demum casus est dum Episcopus cum Venerabili solemniter populo benedictionem impertit, independenter a quacumqua alia functione antecedente vel subsequente: uti verbi gratia si unice ad populo benedicendum Cathedralem adeat. Tunc in hoc novissimo casu, quamquam integrum assistat Capitulum, duo Canonici Episcopo assistere debent, veluti Diaconus unus, veluti Subdiaconus alter, ac sine Archidiaconi interventu pro thure ministrando. Diaconus vero, hoc in casu stolam assumere debet. Haec est Urbis praxis, dum Eñus aliquis Pater Purpuratus cum Venerabili benedicit in Ecclesia sui tituli, etsi aliquod

adsit Capitulum (1). Sed praeter allatam rationem, ad rem nostram facit Decretum S. R. Congregationis (*in Messanen. 28 Novemb. 1739*). Inquirentibus enim an servanda consuetudo immemorabilis standi a duobus Canonicis assistentibus, Diaconali ac Subdiaconali officio fungentibus, dum Rm̃us Archiepiscopus cum Venerabili populo benedicit: responsum est: " Servandum esse Caeremoniale Romanum, nempe, Canonicos pro *Diacono* et *Subdiacono* assistentes debere genuflectere dum Archiepiscopus actu Sacramento benedicit ".

Hic ergo de *Diacono* et *Subdiacono* fit sermo, haud vero de *Diaconis*.

III. *E SS. Conceptione in Chile.* **De officio Patroni Monasterii a monacho extra degente recitando.** Conventuales alicuius Monasterii, qui extra ipsum degit et curam animarum in exposituris gerunt, tenentur ne ad officium dicti Monasterii Patroni, eodem ritu ac in Monasterio celebrandum?

Resp. Suppono, Patronum Monasterii, esse Patronum peculiarem eiusmodi Monasterio legitime concessum, ut Regulares habent proprium Fundatorem, vel etiam nonnulli Patronum Provinciae. Quo posito, reponimus, Monachos, de quibus in casu, ex eo quod ab Episcopo deputentur ad aliquam paroeciam gubernandam, non sequitur, eos egredi de corpore in quod cooptati fuere. Namque ipsi vere parochi esse nequeunt,

(1) Feliciori tempore (quod Deus acceleret) in pervigilio Conceptionis Imm. Deiparae, Summus Pontifex ad Basilicam pergebat SS. duodecim Apostolorum, in eaque benedictionem solemniter impertiebat cum Venerabili. Nunc autem ea in functione, haud Purpurati Patres ex ordine Diaconorum, qui cetero aderant, assistebant ipsi Pontifici, sed duo Praelati, videlicet Diaconus et Subdiaconus Capellae Pontificiae.

sed simpliciter vicarii seu oeconomi curati, ut de gremio Monasterii semper remaneant. Atqui uti ad tale Monasterium pertinentes Monachi, ad officium Patroni eiusdem Monasterii tenentur. Ergo etsi alibi degant, cum ad illud pertineant, illiusque sint partes, Monachi in casu tenentur ad officium Patroni Monasterii recitandum. Nec ulla fieri de ritu quaestio potest quia cum una eademque sit ratio talis officii celebrandi, palam sequitur, nonnisi eumdem esse debere ritum, omnibus conventualibus communem.

IV. *Ex eodem loco.* An Monasterium non habens Dedicationem propriae Ecclesiae, ad officium Dedic. Eccl. Cathedralis teneatur? Et an eodem modo, ac si haberet Dedicationem propriae Ecclesiae? Et si affirmative, an celebrandum in Monasterio sub ritu dup. 2. classis?

Resp. Posito, Monachos, de quibus in casu, degere in civitate episcopali, ius liturgicum magis esse non potest perspicuum, vi cuius ii tenentur ad Dedicationem Ecclesiae Cathedralis sub ritu dup. 2, cl. sine octava. Hoc autem est independens a Dedicatione Ecclesiae propriae Monachorum: adeo ut celebretur, vel non, eorum Ecclesiae Dedicatio, anniversarium Dedicationis Cattedralis Ecclesiae semper fieri ex lege positiva debet, et ritu dup. 2. classis. Fortasse Adm. Rev. Inquirens hoc in proponendo dubio, cogitabat de anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis, vel Dioecesis. Tunc enim omnes eodem die Ecclesiae Dedicationem celebrant ritu dup. 1. cl. cum octava, sive Ecclesiae propriae, si consecrata fuerit, sive principalis Dioecesis aut Ordinis, si illa tantum benedicta. Sed casus propositus longe alius est.

Et notandum hic, ut ultimo satisfaciamus Dubio, Dedicationem Ecclesiae Cathedralis pro Regularibus,

nonnisi uti secundarium festum considerari posse, sicut ex ritu, quo recolendum praecipitur manifestum fit. Praeterea, eiusmodi officium longe minorem habet cum Regularibus relationem quam officia proprii Ordinis: ut si illud cum aliquo ex his in paritate ritus occurreret, vel concurreret, non dubitemus, primarium et magis proprium secundario et minus proprio esse praeferendum.

V. *E Dioecesi Veronensi.* **De Absolutione pro defunctis in festis solemnioribus.** S. R. C. decr. in Urgellen. diei 11 Ianuarii 1884 ad 1. declaravit, post Vesperas, etsi adsit consuetudo, cantari non posse absolutionem pro defunctis in Festis solemnioribus. Decreto vero in Nicosien. 22 Iulii 1892 (Vide Ephem. Liturg. 1892 pag. 519) declaravit servari posse consuetudinem recitandi Officium Defunctorum. expleto Officio diei, etsi occurrat duplex 1ae classis, dummodo submissa voce fiat. Quaeritur:

1.° Utrum in Festis dupl. 1ae classis, et Octavis privilegiatis (exceptis *Festis solemnioribus* Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, etc.) ad Vesperas, expleto Officio diei, liceat publice *decantare* Officium Defunctorum, vel tantum recitare submissa voce?

2.° Utrum in *Festis solemnioribus,* in quibus vetita est Missa solemnis de Requie praesente cadavere, liceat sub Vesperas publice recitare officium defunctor. dummodo submissa voce fiat?

Resp. 1. Festa solemniora hic intelligi debent omnia duplicia primae classis, et alii dies de more privilegiati, in quibus omnibus Absolutio pro defunctis censenda est prohibita: haec veritas. Adhaerendum proinde Decreto *Urgellensi,* revocatumque censeas Decretum *Nicosien.* quamvis recentius. Idem inferas circa responsorium quod Monialibus per Decretum *Lama-*

cen. concessum est decantare (8 *Iul. 1741*): videlicet prohibitum illud esse in omnibus duplicibus primae classis, Decretumque citatum pro reformato habeas. Neque distinctio facienda in publicam et privatam recitationem, elata voce vel submissa; sed absolutionem et Responsorium in cunctis duplicibus primae classis, aliisque dictis vetita iudices. Consequenter ad propositum Dubium certa et approbata responsio est: Negative ad utrumque.

Resp. 2. Ex expositis iam patet ad alterum Dubium responsio, nempe: Negative. Quoad *submissam vocem* animadvertas velim, aut talis recitatio constituit actum publicum, aut non: si primum, stat data responsio: si alterum, quid ad nos? Unusquisque enim private et ex se agere etiam solemnioribus diebus potest pro defunctis, quidquid illi devotio in defunctos suggerit.

APPENDIX

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

De prohibito circa missarum stipendia mercimonio.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros, aliasque merces facilius cum clero com-

mutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

« I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et » poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque » modo missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus » eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve » merces rependunt:

» II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, » nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus » celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respon- » deant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis » missarum carentibus subvenitur:

» III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogatio- » nes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab » Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis » permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, » sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel in- » crementum impenditur:

» IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi » atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus » vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, merca- » toribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non re- » cipiant quidquam ab iisdem praemii nomine:

» V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et » coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et mercato- » ribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, ha- » rum pretio sive imminuto sive integro:

» VI. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex elee- » mosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere » solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consu- » latur, quando praesertim ea propriis reditibus careant: »

In peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit:

« Ad I. Affirmative.

» Ad II. Negative.

» Ad III, IV et V. Affirmative.

» Ad VI. Negative, nisi de consensu oblatorum ».

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiant ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior missarum numerus congeritur quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII in const. *Cum saepe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos qui eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit:

et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, die 25 Maii 1893.

ALOYSIUS Card. E.pus Sabinensis, *Praefectus.*

L. SALVATI, *Secretarius.*

E SACR. RIT. CONGREGATIONE

Quatuor Decreta vulgata sunt a S. R. Congregatione: quae confirmant cultum ab immemorabili tempore praestitum Servis Dei: Angelo a Pisis Ordin. Min. S. Francisci, Beato nuncupato (*Decr. 30 Aug. 1892: confirm. 4 Sept. an. eod.*): Lanuino Sacerdoti professo Ordinis Carthusianorum, Beato nuncupato (*Decr. 14 Ian. 1893: confirm. 4 Febr. an. eod.*): Guillelmo a Tolosa Ordin. Eremitarum S. Augustini Sancto et Beato nuncupato (*Decr. 15 Apr. 1893: confirm. 18 eiusd. mens. et anni*): Falco Eremitae, Patrono oppidi Palenae, sancto nuncupato (*Decr. 27 Iun. 1893, confirm. d. 11 Iul. eodem anno*).

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Contin. V. n. 7, pag. 390*)

IX.

1. Symboli cantu, quando in Missa locum habet, expleto, Sacerdos populum salutat excitatque ad orandum, et cantorum schola incipit *Offertorium*, seu antiphonam illam, quae tempore oblationis canitur, ad imitandum, ait Innocentius III, Israeliticum populum, de quo legitur: " Iussit Ezechias, ut offerrent holocausta super altare: cumque offerrentur holocausta, coeperunt laudes canere Domino (*Paralip. 2, c. IX*) „. Huiuscemodi autem nomen *Offertorii* vel *Offerendae* haec Missae pars ab oblationibus olim a populo fieri solitis, adscita est.

Sed Amalarius nonnullique alii veteres haud solum antiphonam a schola canendam sub hoc nomine Offertorii comprehendebant, verum et ea omnia quae a Sacerdote et Ministris fiunt et recitantur a praedicta salutatione ad conclusionem usque ultimae Orationis, cum alta voce intonat Sacerdos *Per omnia saecula saeculorum* in initio Praefationis.

Nomen hoc Offertorii cantus iste semper retinuit, quod impraesentiarum etiam obtinet, quamquam imposterum (iuxta aliquos circa saeculum nonum), huiusmodi populi oblationes, ob abusus non paucos in

humanis irrepere solitis, cessaverint. Et sapienter; etsi enim populi oblationes defecerint, numquam tamen panis et vivi oblationes defecerunt, Deo Patri Sacerdotum ministerio totius fidelium coetus nomine porrectae.

2. Quis hanc antiphonam cantari instituerit, non liquet. Quidam enim, ait Macrius (*Hierolex. ad verb.* Offertorium), a divo Gregorio has antiphonas compositas fuisse, autumant, quidam vero Caelestino, vel Eutychiano Pontificibus tribuunt. Quidquid sit, hoc unum in praesenti exploratum videtur: S. Augustini, nempe, temporibus mos Carthagine introductus fuit aliquem hymnum, oblationis tempore, canendi ex Psalmis excerptum. Confer Augustinum, hunc morem contra Hilarum quemdam tribunum defendentem. Hilarus enim morem, " Qui tunc esse apud Carthaginem coeperat, ut Hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive quum distribueretur populo, quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere (*Aug. Lib. 2 Retract. c. 11*) ".

Ex Africa postea ad universam extensus est Ecclesiam laudabilissimus mos iste antiphonae canendae tempore oblationis. Laudabilissimum diximus morem: per huiusmodi enim antiphonae cantum, offerentium laetitia significatur, iuxta illud Davidicum: " Ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec, et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria (*Paralip. 1, c. 29, v. 17*) ".

3. Toto oblationis decursu Offertorium canebatur, ut ea nimirum modulatione fideles hilari mente ad munera Deo offerenda excitarentur. Ideoque singula tunc Offertoria, sicuti videre fas est apud Gregorium, plures

habebant versus adnexos, imo et quandoque integrum psalmum, et post unumquemque versum repetebatur antiphona: " Deinde salutat Episcopus populum dicens, *Dominus vobiscum:* postea dicit *Oremus.* Tunc canitur *Offertorium cum versibus.....* Interim cantores cantant Offertorium cum versibus; et populus dat oblationes suas, id est, panem et vinum.... Episcopus redit in sedem... et ille (Archidiaconus), resalutato eo (Pontifice), et cantantibus adhuc cantoribus accedit ad altare... Tunc surgens Pontifex a sede; et cantantibus adhuc cantoribus descendit ad altare: et orat, et salutat altare... post oblationem ponitur incensum super altare: et Pontifex inclinans se paululum ad altare, *respicit scholam,* et annuit ut *sileant:* et convertit se ad populum dicens, *Orate* (*Ordo, Rom. II, 9*) „.

4. Cantus iste Offertorii antiphonus erat, haud responsorius, a choro enim decantabatur. Ideoque in Ordinibus non reperimus ante Missam denunciatos Pontifici singulares Cantores Offertorii, sicuti pro Responsorio Gradali ac Alleluia factum legitur.

Ad naturam denique quod pertinet huiusce cantus Offertorii, audiatur cl. Kienle, qui in suo libro, iam pluries citato, eiusdem physiognomiam hisce verbis sapienter sculpit: Offertorii modulatio in motibus se placet, quibus abundat. Illius procedendi ratio ornatior est magisque complexa: intervalla sunt maiora, melodici ambitus magis extensi atque animosi, ac rytimicae difficultates graviores. Diceres artem sacram Liturgici Cantus huic reservasse parti suos nobiliores effectus. Quod si aliquando accidisset, ut cantus citius finiret, quam tota sacra functio oblationum absolveretur, cantores tunc pluries eadem verba repetere solebant. Plura extant huiusmodi exempla in Antiphonario S. Gregorii.

Sed hodie, innuimus iam, cum defecerint populi oblationes, ac organa domum Dei ingressa fuerint, quibus pulsantibus, Offertorium saepe legitur, non canitur, versus illi resecati fuere, sola relicta antiphona.

En tandem exemplum Offertorii vigiliae Nativitatis Domini, a cl. Cari desumptum:

Primus cantorum chorus, Primicerio inchoante: *Tollite portas principes vestras; et elevamini portae aeternales...* usque ad partem dimidiam.

Secundus chorus sequentia respondet: *Et introibit Rex gloriae.*

Primus chorus ℣. I. *Domini est terra et plenitudo eius; orbis terrarum et universi qui habitant in ea.*

Secundus chorus Offert. *Tollite portas* etc. vel *Et introibit Rex gloriae.*

Primus chorus ℣. II. Ipse super maria fundavit eam; et super flumina praeparavit eam.

Secundus chorus Offert. *Tollite portas* etc. vel, *Et introibit Rex gloriae.*

DE NOVA QUADAM PARAMENTORUM MATERIA

S. R. Congregationi paucis abhinc mensibus novi generis textile examinandum propositum fuit a Rm̃o Antistite Dioecesis Cenetensis, ut Sacrum Tribunal iudicium ferret, num illud adhiberi licite posset pro sacris paramentis conficiendis. Notitia, quae hoc super negotio permultam habere potest gravitatem, Ven. Consociatos nostros fraudare nolumus, cum de sacris agatur indumentis, quorum usus est Ecclesiasticorum omnino proprius.

Itaque eiusmodi textile, quod examini S. R. Congregationis subiecit praefatus Antistes inventum recenter fuit a quodam Iosepho Pasqualis eiusdem Dioeceseos. Nova materia textilis ex fibris constat, extractis ex ramusculis recentibus plantae, quam sub *Mori* nomine novimus. Ex his fibris deducti fili arte summa elaborati ad textile redacti fuerunt. Plura, et prudenter, specimina ad S. R. Congregationem missa sunt, ex quibus alia ex puro Moro textilia, alia ex puro serico, alia ex utroque mixta: ut Sacrum Tribunal comparativo instituto studio, per se vel per alios, facilius et securius iudicium proferret. Textile nihilominus, cuius exquisita est approbatio, illud tantum est, quod ex serico et moro est commixtum.

Porro S. R. Congregatio praefata specimina videnda et examinanda pluribus exhibuit peritis: ipsimet ea oculis nostris perspeximus, et cl. Pasqualis studia, labores, expensasque actas, ut scopum attingeret, admirati fuimus. Inter peritos autem peculiari mentione dignum ducimus cl. Ioseph Antonelli, Scientiarum naturalium Professorem in Lyceis et Gymnasiis S. Petri ad Vaticanum, et R. P. *Massimo* e S. I. in Urbe. Hinc, antequam S. R. Congregationis authenticum lectoribus nostris exhibeamus responsum, rem autumamus gratam facere Consociatis, eiusdem Professoris heic legendum tradere

SUFFRAGIUM (1).

De speciminibus traminum ac textilium ex serico et Moro confectis, pro sacris paramentis.

---

(1) Italice elucubratum, atque in exterorum gratiam in Latii linguam versum.

Libentissimo animo, ut demandatum mihi negotium a Rm̃o S. R. Congregationis Secretario curarem, examini subieci specimina quaedam traminum ac textilium, mori fibris confecta. Neminem enim latere potest, nonnullas apud gentes, praecipueque apud Iaponenses ac Sinenses populos ab immemorabili mori usum viguisse, ad conficiendas vestes, telas, chartas ac textilia: dum in Italia e contra, ubi mori frequentiores sunt quam in aliis Europae Statibus, pro bombycibus alendis solummodo ille adhibeatur. Nonnullarum plantarum, quae texturae inservire valent, habebatur quidem notitia, et earum quaedam, uti linum, cannabis et gossypium, etiam in Italia, praecipueque in meridianis Paeninsulae locis, et in Sicilia excoluntur. Sed ad morum quod spectat, nihil aliud quam experimenta ac conatus usque adhuc visa sunt, ut eiusdem fibrae utilitati verterent; egregii nihilominus, optimique effectus ab illustri Prof. Pasquali nunc obtenti, efficiunt, ut textilia eius excellant multis de causis ceteris omnibus vegetalis regni.

Ex mori historia colligitur, Henrico IV imperante, Oliverium quemdam de Serres in Galliis, mori stamina novisse, recentiusque Ioannem Baptistam Marasi ex moro telas obtinuisse. Nunc vero clarus Gulielmus Scott, nec non et Dom. Pasquali, pater scilicet et filius, alacriter operam dederunt, ut extractionem textilis partis mori in melius redigerent et perficerent.

Compertum est, morum de familia esse *Urticarum* in variasque dividi species, ex quibus duae tantum varia tamen de ratione, hic apud nos excoluntur, nempe: *Morus alba, L.* et *Morus nigra, L.* Illa latius excolitur quam ista, ex eo quod huius ultimae frondes haud ita ac aliae bombycibus placeant, quamquam etiam ex ipsis manducent, ac aeque aestimabile sit sericum

inde proveniens. Truncus huius plantae, ac rami, sicuti aliae huius generis, cortice vestiuntur, ex multis exiguis concentricisque stratibus constante: qui ex elementis oblongis seu *fibris*, et canalibus plus minusve extensis seu vasis pariter componuntur. Verum tam ista quam illae ita conglutinantur, ut quid unum efficere videantur, et nonnisi mechanicis vel chymicis operationibus separari valent, glutineque quo uniuntur expulso. Nunc, fibrae ad texturam aptae, praecipue ex cellulosa constant materia, quae acidis resistit, sulphorico et phosphorico exceptis, sicuti etiam solutionibus alcalinis.

Ex quo manifestum fit, actu has fibras haud magnam afferre utilitatem, nisi ab invicem et ab incrustante sic dicta materia separentur. Hinc conatus, experimentaque omnia usque in hodiernum diem protracta, ut fibrae mori ab eius trunco ac ramis extractae prodessent, incassum ivere, quia in operationibus unice mechanicis fundata, et quia adhuc ignota erat natura incrustantis materiae. Ast, en Professor Pasqualis, qui in chymica studia sedulo incumbens, materiam qua conglutinantur mori fibrae perspexit, eiusque naturam plane cognovit. Postea vero, operationibus chymicis omnino propriis, fibras tandem obtinuit ad texturam aptas. En ergo rationem, ob quam in praesentiarum tantum mori planta nobis uti licebit, cum maxima utilitate, pro textili materia.

Professor M. A. Savorgnan in excellenti suo libro " *Coltivazione ed industria delle piante tessili* ecc. *U. Hoepli, Milano 1891* „ ex quo multa excerpimus, ita de methodo Domini Pasqualis loquitur: " Laetamur tandem de illius nodi solutione, qui industriae deditos usque adhuc multos detinebat. Lucrum ex mori ramis emergens non potest quin magnam afferat utilitatem patriae

nostrae, cum haud parvum tribuat pretium rei, quod antea illi non erat; pauci enim sciunt morum eamdem utilitatem ac sericum afferre posse (*pag. 248*) „. Ideoque egregius hic auctor iure in alio loco (*pag. 9*) praelaudati sui libri conqueritur quod morus, uti texilis planta, nimis neglectus maneat. Similiter perillustris Professor G. Boccardo in sua " *Nuova Enciclopedia italiana, 6. ed. Torino 1880* „ dum de moro agit, eius utilitatem extollit. Enimvero, ait, mori fibrae flexibiles sunt, longiores teneriores que quam ligni, incolores et lucidi: insuper ex eius cortice fila obtineri possunt, quae apte disposita adhiberi valent ad restes conficiendas, telas atque tessuta sericis simillima (*Vol. X, pag. 19*). Insuper (*vol. IX, pag. 400*) de mori fibris etiam loquitur ex eius cortice excerptis a quodam Laumellinensi, in stamina postea ac tessuta immutatis.

Sed ad examen veniamus, cui specimina a Domino Pasqualis confecta subieci. Imprimis stamina comparavi cum sericis filis; et hoc inveni, quod si serici tenacitatem perfecte non attingunt, quam maxime tamen ei appropinquantur. Postea tessuta huiusmodi forcipe produxi, et nullo modo conscissa sunt, etiam in minimo. Tandem post tessutorum perfricationem continuatam, nullam traminum conscissionem vel lanuginem reperi, quod saepe in aliis traminibus non comprobatur.

Ope microscopii, fibrae vasaque vegetalia in eis conspiciuntur. Nihil melius tandem, quoad colorem, in eis desiderari potest, ita ut videantur sericum aemulari, sicuti dixit iam citatus Boccardo.

Ea propter, et ex auctoritatibus superius relatis, quae magnis efferunt laudibus tessuta mori fibris confecta, ex experimentis de eorum maxima tenacitate et ex coloris fulgore, reor, cum, sicuti in speciminni-

bus, mori fibris sericum adnectitur, tessuta sic confecta posse sericum aequare, et quandoque eius locum tenere.

Romae 10 Ianuarii 1893.

IOSEPH ANTONELLI.

Scient. Natur. Prof. in Lyceis et Gymnasiis S. Petri ad Vatican. et R. P. *Massimo.*

Iudicium relatum et alia, approbatio S. R. Congregationis secuta est, quam transcribimus:

CENETEN.

Rm̃e Domine uti Frater, Minime latet Amplitudinem Tuam preces a D. Iosepho Pasqualis istius Dioeceseos Ceneten. huic Sacrae Rituum Congregationi fuisse porrectas, ut quoddam tessutum a se nuper confectum ex serico et mori fibris cuius plurima et variata specimina transmisit, pro sacris paramentis efficiendis licite adhiberi posset.

Sacra porro Congregatio ea de re peritorum sententiis exquisitis, in Ordinario Coeto ad Vaticanum die 15 vertentis mensis habito, eiusmodi precibus rescribere rata est:

Posse adhiberi, dummodo textum de quo agitur, numquam, nova adiecta materia, immutetur. Haec dum pro mei muneris ratione Amplitudini Tuae significo, ut ipsa Domino Pasqualis faveat hoc rescriptum communicare, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuae — Uti Frater.

Romae, die 21 Aprilis 1893.

Rm̃o Dño uti Fratri
SIGISMUNDO BRANDOLINI ROTA
Episcopo Ceneten.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

Nota. Praefata omnia simplex animadversio compleat. Paramenta quaecumque ex serico, et alia ex diversa materia commixta, uti gossypio, lana, bombycinis filis etc. S. R. C. tolerat solum: quae vero ex serico et novo textili de quo hucusque commixta sunt, non iam tolerat, sed vere et positive permittit: POSSE ADHIBERI.

DE INSIGNIBUS HONORIFICIS CANONICORUM TITULARIUM

UTRUM ET QUOMODO PARTICIPENT HONORARII LAURETANAE ECCLESIAE.

VOTUM.

1. « Apud veteres Canonistas, cl. De Herdt animadvertit, vix aliqua reperitur mentio de Canonicis honorariis, acceptis eo sensu, quo nostra aetate intelliguntur, videlicet quatenus quodam honoris iure perfruuntur sine veris obligationibus (*Prax. Capitular. cap. VI*, § *2*) ». Indubia nihilominus res est, honorariorum Canonicorum, sensu quo impraesenti accipiuntur, institutionem esse legitimam; nam Sancta Sedes in novorum erectione Episcopatuum quandoque permittit, ut Canonicis titularibus aliqui addantur honorarii. Constat ex Bulla erectionis Episcopatus Vallis-Guidonis, 30 Iun. 1855, et ex pluribus Brevibus SS. Pontificum, Alexandri VII, Pii IX, et etiam Leonis XIII feliciter regnantis, uti opportune videbitur. Hinc cl. Nardi scribit: « Viget hodie in universo Orbe catholico usus honorarios Canonicos

creandi quosdam clericos doctrina et meritis insignes. Id Romae, quae exemplar est ceteris ecclesiis, id in Germania, Italia, aliisque regionibus frequentatur etc. (*Dei Parrochi, Tom. II, fogl. 307*) ». Declarationes S. R. Congregationum hanc non reprobant praxim, neque ulla extat, si probe intelligatur, lex ecclesiastica eam inhibens. Ut proinde, omnibus inspectis, nil prohibeat, quominus ecclesiastici nonnulli viri de religione bene merentes hoc possint honore condecorari, et consuetudinem eiusmodi legitimam esse nemo non videat. Creantur autem Canonici Honorarii, vel a Capitulo, assentiente Episcopo, vel ab Episcopo assentiente Capitulo (*S. R. Conc. 26 Febr. 1639: et 6 Iul. 1867: Pallottini, Canon. § II, n. 39 et seq. De Angelis, Lib. III, tit. VIII, n. 3*).

2. Dari Canonicorum Collegia sine ullis honorificis Insignibus vix supponendum: num autem omnium Insignium, quibus ipsi fruuntur, et honorarii participes fiant, nunc disputatur. Cumque specifice quaestio praesens Canonicos honorarios respiciat Ecclesiae Lauretanae, iam reliquis praetermissis, ne in longum abeamus, videndum primo necessario est, quaenam eiusmodi sint peculiaria Insignia, quibus Lauretani Canonici titulares fruuntur, ut postea videamus, utrum et sub quibus limitibus evadant eorumdem participes honorarii.

3. Quatuor sunt exhibita nobis Brevia Pontificum, in quibus haec Insignia conceduntur et recensentur, quae proinde ad verbum, hac in parte, referre iuvat. Primum est Pii Papae VII d. d. 1 Iul. 1803, conceditque Dignitatibus, Canonicis, Beneficiatis, Clericisque Beneficiatis Basilicae praefatae: *Mantellettam et vestem oblongam viola-*

ceas cum asulis et globulis eiusdem violacei coloris, tam intra quam extra dictam ecclesiam, in quibusvis functionibus et actibus publicis quibuscumque, Canonici autem vestem oblongam similiter violaceam intra ecclesiam praefatam atque in processionibus, et in singulis functionibus dumtaxat gestare. Praeterea Dignitates et Canonici Crucem ante pectus pendentem cum flosculo nigro tam in choro et intra basilicam, et civitatem Lauretanam, quam extra eas, ac tandem Beneficiati Clericique Beneficiati ovale numisma ante pectus ibidem pendens, in quarum et quorum antica Deiparae Lauretanae imago, in postica vero parte idem basilicanum Conopaeum, iuxta formas nobis exhibitas sint insculpta, pariter deferre illisque respective uti libere et licite possint et valeant, auctoritate Apostolica... concedimus et indulgemus.

Pius Papa IX d. 23 Nov. 1858 addidit: *ut Dignitates Capituli Lauretani flocco et tibialibus violacei coloris uti valeant. Dignitates et Canonici talarem vestem cum globulis rubri coloris, et manicis panno serico vel laneo coloris eiusdem ornatis, nec non palmatoriam in Sacro faciendo adhibere valeant.*

Tertium Breve est Leonis XIII d. d. 11 Iulii 1882, qui exoratus, ut ampliora dignaretur, quam praedecessores sui, privilegia concedere, indulsit: *tibialia violacea et floccum in pileo violacei pariter coloris gestare, candela insuper, seu bugia ut vocant, et libro Canonis, intra limites tamen propriae dioecesis, uti libere liciteque possint et valeant.*

Denique per aliud Breve d. d. 22 Apr. 1884 idem Pontifex Leo XIII, ut concessa iam Insignia

extenderet quoad locum exoratus, addidit: *ut omnes... Lauretanae Basilicae... Canonici etiam extra fines Lauretanae eiusdem Dioeceseos, excepta tamen iugiter hac alma Urbe, Nostra, et locis in quibus Curia Pontificia residet, vel Generale Concilium habetur, pileo cordulis et flocco violacei coloris ornato, et tibialibus et focali eiusdem coloris induti incedere licite possint et valeant.*

4. Itaque ex praefatis Insignibus concessis Lauretanae Ecclesiae Canonicis, alia sunt ecclesiastica, alia civilia, alia ecclesiastica simul quodammodo et civilia. Hinc dicti Canonici deferre possunt in Ecclesia Lauretana, sicut in eundo et in redeundo ab eadem, Mantellettam violaceam supra vestem talarem item violaceam in omnibus functionibus publicis, sive intra sive extra Ecclesiam: vestis autem talaris potest esse ornata asulis et globulis seu violaceis, seu rubeis: habere quoque potest manicas, sericis vel laneis ornamentis in extremitate decoratas. Insuper gestare possunt focale violaceum et tibialia violacea. Ante pectus gestare possunt crucem pendentem cum flosculo nigro: hanc tamen deferre possunt non solum in Ecclesia in civitate Lauretana. sed etiam extra ipsas. Insuper in Missa uti possunt palmatoria et Canone: idque in Ecclesiis cunctis totius Dioecesis. Denique ex mere civilibus ornamentis uti possunt pileo nigro, sicuti ceteri presbyteri, cum cordulis tamen et flocco coloris violacei, ubicumque sint, Roma excepta, et ubi Curia residet Pontificia, et ubi habetur generale Concilium. Haec ex quatuor relatis Apostolicis Litteris, simul collatis. Ornamenta, de quibus postremo loco diximus, mere civilia appellari possunt; et iure me-

rito, ni fallimur, cum locum habere in Ecclesiis sacrisve functionibus nequeant.

5. Devenimus nunc ad controversiam, quae magis urget, et primo, num Canonici honorarii eorumdem privilegiorum sint participes, quibus cohonestati fuere titulares Lauretanae Ecclesiae. Nihil haesitantes, respondemus affirmative. Namque Canonici sunt honorarii, hoc est vacuum nomen habent Canonicale ad praebendam quod pertinet, et ad alia Canonicorum veri nominis onera, nomen videlicet sine re, et nomenclaturam inanem, ius adeo tenue et exile, ut de vento reputetur, eorumque Canonicatus quasi in aere sit, uti scriptum legitur in causis *Fulginaten.* 4 Mart. 1684, *Terracinen.* 19 Ian. 1788, et *Montis Politiani* 4 Februarii 1804 (*V. Scarfanton. Lib. I, Tit. XIV, animadv. XIV*). Ad iura vero et honores quod attinet Canonicorum titularium propria, eorum omnium participes sunt; namque Canonici dicuntur ad honorem. Nequeunt ergo honoribus eiusmodi privari, quin denominatio ipsa canonici sub omni respectu futilis evadat, ac propemodum irrisoria. Hoc autem ex iure positivo in aprico est, cum S. C. Conc. declaraverit, iis ea tantum iura et honores competere, quae in Canonicatuum institutione concessa et concordata fuerunt. Ita in *Nicien.* 29 Febr. 1744, Zamboni Tom. IV, § 4, Bouix, De Capitulis, pars I, sect. II, cap. XVI, § 4, Pallottini, Canonic. § 2, n. 24 et seq. Praeterea ea quoque iura et privilegia Canonicis honorariis competunt, quae iisdem dari ex consuetudine solent: uti apud Scarfantonum videre est supracitato (*Loc. cit. n. 8*). Cl. De Herdt explicite et peculiariter notat, tamquam certum et explora-

tum, Insignia honorifica Canonicorum titularium propria, honorariis quoque competere, dicens: « Communiter gaudent iure deferendi habitum cum Insignibus canonicalibus (*Canonici honorarii*), habentque stallum in choro, eique, si illis placuerit, assistere et interesse valent (*Prax. Capit. Cap. XI, § 2, n. VI*) ». Ipsa autem S. R. C. declarat, honorarios Canonicos titularibus esse aequiparandos quoad usum Insignium cum sacris funguntur ministeriis in choro Cathedralis (*Baionen. 25 Sept. 1875, Dub. II, et Patavina 16 Martii 1876*). Itaque ambigendum non est, Canonicos honorarios gaudere iure Insignia deferendi, quae Canonicis titularibus competunt. Hoc autem et in peculiari casu nostro de Canonicis Basilicae Lauretanae apprime comprobari, dubitari non potest; etenim ex litteris Archiepiscopi Amaseni constat, in exemplari misso ad electos Canonicos honorarios praefatae Basilicae, ut ii de receptione docerentur, inscripta quoque esse iura, privilegia et Insignia, quorum, vi receptionis in Canonicos honorarios, participes fiunt (*Litt. Archiep. Amaseni ad Emum Rampolla, 12 Dec. 1892 n. 11008*).

Sed adhuc urgentior manet tractanda quaestio, videlicet: an Insignia praefata deferendi iure ubique locorum gaudeant Canonici honorarii, an certis sub limitibus tantum. Cui quaestioni simplex dari responsum non potest, cum et naturam privilegiorum considerare oporteat, et qualitatem Insignium. Nihilominus et unum iam asseri tuto potest, hoc est: Canonici honorarii, sicut illis tantum frui privilegiis possunt, quae illis conceduntur, ita iis tantum in locis uti Insignibus possunt, qui sunt determinati in Brevibus conces-

sionis. Namque magis esse nequeunt privilegiati Canonici honorarii, quam titulares; atqui titulares et illis tantum gaudent honoribus, qui in Brevibus concessionis illis dati sunt, et in locis tantum, quae in iisdem Brevibus sunt nominata; ergo a fortiori id de honorariis Canonicis tenendum est. Imprimis ergo ad Brevia consulenda redeundum nobis est.

7. Uti iam diximus, quaedam conceduntur in Brevibus Insignia, quae mere ecclesiastica sunt; quae scilicet in solis functionibus ecclesiasticis adhiberi possunt. Eiusmodi sunt: Mantelletta violacei coloris, quam nonnisi in functionibus sacris Praelati induunt, item palmatoria et Canon in Sacro agendo. Ecclesiastica et civilia sunt: vestis talaris cum suis ornatibus violaceis, vel rubeis, focale et tibialia eiusdem coloris. De primis indumentis et alteris, palmatoria et Canone exceptis, dicitur, Canonicos titulares ea posse deferri tam intra quam extra Ecclesiam Lauretanam in omnibus functionibus publicis. At quaenam huiusmodi functiones sunt? Num tam sacrae, quam profanae? Eiusmodi intelligentia repugnat: primo, quia Mantelletta ibi nominatur, quae in solis sacris adhibetur: secundo, licet Breve Pii VII loquatur in favorem Dignitatum et Canonicorum, Beneficiatorum, Clericorumque beneficiatorum, de actibus *publicis quibuscumque,* in quibus vestis oblonga cum suis ornatibus conceditur; nihilominus postea solis Canonicis eadem vestis oblonga indulgetur in *processionibus, et in singulis functionibus*, et quidem *intra Ecclesiam dumtaxat.* Ita autem interpretari verba Brevis, ut plus concedant Beneficiatis Clericisque beneficiatis, quam

Canonicis, absurdum est. Expositione ergo indigent verba Brevis, adeo ut hoc et non aliud significent: Posse Canonicos Mantellettam et talarem vestem ornatam deferre in solis et quibuscumque publicis functionibus ecclesiasticis (1). Cum tamen inter eas functiones aliquae sint, quae extra Ecclesiam fiunt aut fieri possunt, uti processiones, et insuper nonnulla ex praefatis indumentis mixta, seu ecclesiastica et civilia sint, uti vestis talaris, tibialia et focale, et crux e pectore pendens, quae proinde et extra Ecclesiam deferri necessum est; hinc Breve omnia in genere indulta peculiaria indumenta gestari posse permittit tam intra quam extra praefatam Lauretanam Ecclesiam. Ergo certis sub limitibus eiusmodi praefata Insignia indubie, quoad locum saltem, coarctantur.

Nihilominus ex duobus recentioribus Brevibus Leonis Papae XIII certo constat, eosdem Canonicos titulares Basilicae Lauretanae uti posse Canone dum Sacrum faciunt, item palmatoria, seu dum Sacrum agunt, seu quandocumque de more adhiberi solet, in singulis Dioecesis Ecclesiis. Ergo et istud privilegium minus quidem, sed in solis Dioecesis Ecclesiis limitatur. Habent denique dicti Canonici ex Insignibus mere civilibus, privilegium deferendi floccum et cordulas violacei coloris in

(1) Verba relata Brevis Pii Papae VII quamdam praeseferre videntur obscuritatem (V. n. 3), adeo ut fortasse in actibus etiam civilibus permissa, vi illius, dici possit vestis oblonga cum ornamentis relativis: quid iudicandum nescirem, Emis Patribus negotium relinquo; sed intra semper civitatem Lauretanam, nunquam extra, cum verba latiorem sensum pati nequeant.

pileo, praeter focale et tibialia, etiam extra Dioecesim, quibusdam tantum exceptis locis (*Breve Leonis XIII, 22 Apr. 1884*). Ergo et haec Insignia minus etiam quam reliqua superius recensita coarctantur, coarctantur tamen.

8. Nunc autem huiusmodi omnibus gaudere privilegiis et Insignibus Canonicos honorarios, iam, ni fallimur, demonstratum est. Manet ergo dicendum sub quibus limitibus iisdem frui possint; sed negotium istud videtur, prima saltem fronte, nullius esse laboris. Nam sub iisdem Canonici honorarii limitibus fruuntur privilegiis, sub quibus indulta sunt Canonicis titularibus; quod proinde de istis, aeque de illis dicendum est. Ergo Canonici honorarii de quibus in casu: 1. Libere et licite uti possunt Mantelletta violacea, focali violaceo, veste talari violacea cum asulis et globulis violaceis aut rubeis, et pendente cruce, ac violaceis tibialibus in Ecclesia Lauretana et extra eamdem Ecclesiam, sensu quidem superius exposito (*n. 7*), in omnibus functionibus publicis ecclesiasticis. 2. Uti possunt Canone in Missa, item palmatoria seu in Missa, seu in aliis functionibus sacris, in quibus adhiberi solet, in omnibus et solis Ecclesiis totius Lauretanae Dioecesis. 3. Deferre possunt pileum nigrum cum cordulis et flocco violaceis, focale et tibialia violacea etiam extra Dioecesim Lauretanam, non tamen in Urbe, neque ubi residet Curia Romana, neque ubi Concilium Generale habetur. Haec autem certa omnino videntur, nisi, ut superius exposuimus, velimus dicere, plus honorariis Canonicis, quam titularibus esse concessum, quod absurdum est.

9. Infer 1. Canonicos honorarios, si in Ecclesia Lauretana versentur, optimo iure posse Mantellettam induere, et quidem super talarem vestem violaceam cum asulis et globulis violacei vel rubri coloris, et etiam forte in aliis Ecclesiis, intra tamen sola civitatis Lauretanae confinia existentibus, in functionibus ecclesiasticis universis, nisi forte et in civilibus, quod non arbitror (*V. not. ad n. 7*). Si vero in aliis sint Ecclesiis vel propriis vel alienis, extra praefatam civitatem, nullo pacto dictis Insignibus uti poterunt; quia dictorum locus Insignium determinatus est in Brevibus Apostolicis, cuius ipsis limites statutos praetergredi non licet. Et sane quo id iure liceret? Canonicis titularibus dicta privilegia Pontifices concessere in civitate tantum Lauretana; num ergo iidem titulares, esto assentiente Episcopo, honorariis largiri possent pro aliis Ecclesiis, quod ipsis non est concessum? Profecto si titularibus in aliis Ecclesiis eiusmodi ornamentis uti non licet, nec licere honorariis poterit: quod enim ab iis non possidetur, aliis non potest ab iisdem dari. Ceterum Canonicis titularibus Lauretanae Basilicae ius inest cum Episcopo, honorarios Canonicos instituendi. At, sodes, cuiusnam Ecclesiae Canonicos honorarios? Citra controversiam Lauretanae. Ergo Lauretana, vi receptionis, erit honorariorum Canonicorum Ecclesia. Sed Canonici, sint titulares, sint honorarii, Insignibus canonicalibus uti non possunt extra propriam Ecclesiam. Ita S. R. C. *Dubium* 10 Sept. 1650: *Capuana* 15 Iul. 1651: *Panormitana* 12 Mart. 1678. Neque obiiciendum, Canonicos in Lauretana Ecclesia honorarios, alterius Ecclesiae esse posse titulares. — Libenter

concedimus, at Insignibus praefatis gaudent tantum quatenus honorarii illius, nulla ratione quatenus titulares alterius. Damnandus ergo potius est inanis ambitus; et si Canonici honorarii Lauretanae Ecclesiae velint obtentis Insignibus frui, eamdem Lauretanam pergant Ecclesiam.

10. Infer 2. Canonicos Lauretanae Ecclesiae honorarios, ubicumque Missam faciant intra Dioecesim Lauretanam, ius habere adhibendi Canonem et palmatoriam: qua etiam uti possunt in aliis sacris functionibus, quae illam admittunt. Extra vero dictam Dioecesim neutrum adhibere ipsis licet: quod post dicta, vix probatione indiget. Namque ex Brevibus constat, hoc iure intra praefatos limites gaudere Canonicos titulares; ergo eodem et honorarii gaudebunt. At extra praefata confinia titulares, vi Brevium, non fruuntur palmatoria et Canone; ergo neque frui iisdem poterunt Canonici honorarii. Rationes ceterum superius allatae contra usum Mantellettae et talaris vestis cum ornatibus, extra civitatem Lauretanam, aequo marte militant contra palmatoriam et Canonem extra Lauretanam Dioecesim.

11. Infer 3. Competere Canonicis honorariis pileum nigrum cum cordulis et flocco violaceis, focale et tibiala eiusdem coloris, non solum intra, sed etiam extra Dioecesim Lauretanam; id enim Canonicis titularibus indultum est. At ex hoc sequitur ne Canonicos honorarios Lauretanae Ecclesiae, si alterius sint titulares, focale et tibialia violacea in illa Ecclesia cuius titulares sunt gestare posse? Respondemus, huiusmodi consequens satis esse nobis incertum; ex una enim parte ratio Pontificii Indulti honorariis Canonicis favere

videtur sicut titularibus. Ex altera vero parte gravia in oppositum momenta militant, vi quorum credimus Indultum Pontificium favere quidem titularibus, haud vero Canonicis honorariis. Sententiam nostram libere proferimus, quam Emorum Patrum ac Rmorum Officialium S. R. Congnis sapientiori humiliter submittimus.

12. Indultum Apostolicum favet Canonicis titularibus Lauretanae Ecclesiae, adeo ut intra et extra Dioecesim praefata Insignia deferre iure valeant: hoc certum est. At animadvertendum Ecclesiam, in qua haec Insignia gestant, esse illorum propriam: ut quascumque in ea functiones merito peragere et possint et debeant. Intra Dioecesim autem ipsi utpote senatum constituentes Episcopi proprii, quamdam quidem auctoritatem possident; in illius vero Ecclesiis nullam, nisi cum Episcopo capitulariter intersint, exercere functionem possunt, generaliter loquendo. Idem a fortiori et absolute comprobatur de aliis quibuscumque extra Dioecesim Ecclesiis: adeo ut si in eis versentur, non tamquam Canonici, sed tamquam exteri Presbyteri considerentur, omni prorsus iurisdictione destituti. Si ergo in iisdem Ecclesiis focale deferant et tibialia violacea, haec adhibent tamquam civilia, non vero ecclesiastica ornamenta.

At longe aliter de honorariis Canonicis iudicandum est. Ecclesiam enim propriam hi duplicem habent, alteram tamquam honorarii, nempe Lauretanam, alteram uti titulares, illam videlicet, in qua praebenda fruuntur, et sacras agere functiones possunt et debent, et auctoritatem exercent. Si ergo praefatis Insignibus Canonici honorarii in ista perfrui possent Ecclesia, sicut in Lau-

retana, melioris essent conditionis, quam Canonici titulares, quod admitti non debet. Siquidem iis ornati Insignibus titulares, in una tantum Ecclesia, hoc est Lauretana, ius habent et onus sacras agendi functiones: dum honorarii idem exercere ius possent, tam in Lauretana quam in alia, cuius titulares sunt. Praeterea Canonici titulares lauretani, uti alias dictum est, nonnisi propria communicare privilegia queunt; atqui ipsi ius non habent exercendi functiones canonicalibus ornati Insignibus in aliis Ecclesiis, praeterquam in Lauretana; ergo aliud communicare nequeunt honorariis. Proinde Canonici honorarii in Ecclesia, cuius sunt titulares, gestare nequeunt focale et tibialia violacea,

13. Obiicies: privilegium Pontificium est dictis Insignibus posse uti, tam intra quam extra Dioecesim Lauretanam; atqui Ecclesia, cuius Canonici in casu titulares sunt, extra Dioecesim extat, ergo illa Insignia etiam in ista Ecclesia gestare iure valent. Respondemus distinguendo maiorem: privilegium Pontificium est dictis Insignibus posse uti, tam intra quam extra Dioecesim Lauretanam, *tamquam ornamenta civilia* concedo, *tamquam ecclesiastica*, seu in sacris functionibus publicis, subdistinguo: in propria Ecclesia Lauretana, concedo: in aliis ecclesiis, nego. Data autem, licet distingui posset, minore, negamus consequens. Ut ratio distinctionis atque subdistinctionis perspiciatur, liceat primo Breve perpendere Leonis XIII, quod usum praefatorum Insignium extra Dioecesim Lauretanam extendit. Summus Pontifex eo in Brevi praemittit, Canonicos Lauretanae Ecclesiae pluribus fuisse privilegiis decoratos, *ea tamen*

lege, ut iisdem uterentur intra Dioecesis tantum Lauretanae limites; nunc vero, prosequitur Pontifex, *in votis admodum ipsis Canonicis esse, ut etiam extra Dioecesim iisdem uti, frui, impetrata a Nobis venia, queant. Nos igitur* inde concludit, *piis hisce votis* QUANTUM CUM DOMINO POSSUMUS, *obsecundare volentes etc. etc. concedimus, ut... Lauretanae Basilicae... Canonici, etiam extra fines Lauretanae eiusdem Dioecesis*, nonnulla ex praedictis uti privilegiis valeant. At quaenam ista sunt? Num Mantelletta? Num vestis talaris exornata? Num crux e pectore pendens? Num palmatoria et Canon in Missa? Negative. Quaenam ergo? Pileum cum cordulis et flocco violaceo, tibialia, focale, et nihil aliud. Quare ista tantum? Quia, ni fallimur, eiusmodi ornamenta vel in civili tantum usu deferri possunt, uti pileum cum cordulis et flocco: vel, si in functionibus etiam ecclesiasticis, uti focale et tibialia, latere Summo Pontifici profecto nequibat, his non esse illos Canonicos in dictis functionibus usuros, quippe quos nulla in Ecclesiis extradioecesanas iurisdictione pollentes. Vel certe, si eiusmodi Insignia deferre voluissent in casu, nonnisi saltem de Ordinarii loci facultate id facere potuissent. Manet ergo, ut haec postrema Insignia Summus Pontifex concesserit, eo tantum fine, ut tamquam mere civilia extra sacras solummodo functiones deferri a Canonicis Lauretanis, etiam extra Dioecesim possent. Consequenter focale et tibialia violacea a Canonicis Lauretanae Basilicae, sicuti titularibus ita et honorariis, deferri quidem possunt, tam intra quam extra Dioecesim Lauretanam, sed intra in

sacris etiam functionibus, extra vero in solo usu civili.

Quod ut luculentius fiat, et summa Pontificis prudentia effulgeat in eiusmodi limitibus determinandis, graviorem liceat agere animadversionem. Supponi ne potest, tanti sapientiam Pontificis eo devenire voluisse, ut vel minimum Episcoporum Ordinariorum, iisque insciis, iura tangeret? Pluribus de causis, aliunde notis, neque hic exponendis, verum iudicamus oppositum. Nunc autem, si praefatis Insignibus uti Canonici honorarii possent in Ecclesia, ubi non honorarii sed titulares sunt, ingratiis Episcopi, eiusmodi Insignia deferrent, eiusque profecto imminueretur dignitas. Praeterea, odiosum certo est ut aliquis ex Canonicis in sacris functionibus, dictis appareat exornatus Insignibus, qui forte, ut Antistes Amasenus animadvertit, minus est aliis dignus, meritisque carens, si ambitionem excipias; dum reliqui consuetis tantum Insignibus Capituli propriis induti una simul cum illo apparent. Num et id supponi potest voluisse Pontificem? Denique innumera sunt Decreta S. R. Congregationis, quae Insignia propriae dignitatis induere prohibent Canonicis, Praelatis, ipsisque Episcopis in alienis Ecclesiis, sine Ordinarii venia. Quomodo ergo in casu huiusmodi Canonicis Insignia praefata deferre liceret, in Ecclesia, quae propria quidem est illorum, quatenus titulares, sed vere aliena tamquam honorarii, sine ulla venia respectivi Episcopi, imo et eo reclamante? His quoque sapientissimis S. R. Congñis dispositionibus tenendum ne est voluisse per suum Breve Pontificem derogare? Id profecto non licet credere; imo contraria veritas iam manifesta facta

est. Unum enim ex nobis allatis authenticis documentis (*Epist. ex Secret. Sacr. Rit. ad Emum Rampolla*) refert, anno 1884 ab Rmo Dom. Dom. Episcopo Lavallensi S. R. Congni idem propositum fuisse resolvendum dubium, utrum nempe deferri possent a Canonicis honorariis Lauretanae Ecclesiae Insignia in Ecclesiis, ubi sunt titulares. Porro S. R. C. die 9 Iunii eiusdem anni 1884 generalissime respondit: « *Privilegia, (de quibus in casu)* intelligenda esse, non ubique, sed intra Dioecesim (*Lauretanam*) ». Ex eadem Epistola palam fit, eidem petitioni iterum, et paucis abhinc annis, a Secretaria Brevium idem exhibitum fuisse, seu eodem in sensu, responsum. Hinc certa, quantum capimus, videtur nobis conclusio, alio senso praedictum Breve intelligendum non esse, iurisque heic regulae locum dari: « In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus (*81*) ». Ergo, licet focale et tibialia violacei coloris concessa sint Canonicis Lauretanae Ecclesiae honorariis, tam intra quam extra dictam Dioecesim, iisdem nihilominus uti ipsi nequeunt in Ecclesia, cuius non sunt honorarii, sed titulares Canonici.

15. Omnium ergo hucusque discussorum sequens sit anacephalaeosis: 1. Canonici honorarii Lauretanae Ecclesiae praeter communia, Insignia, quibus peculiariter decorati fuere, hisce tantum sub limitibus deferre possunt: Mantellettam violaceam super vestem talarem eiusdem coloris vestem, asulis et globulis violaceis vel etiam rubeis exornatam, sicut et manicis cum laneis vel sericis violacei aut rubri coloris ornatibus in extremitatibus: focale ac tibialia item violacea:

crucem denique ante pectus pendentem cum flosculo nigro; eaque omnia in cunctis sacris functionibus publicis, sive intra Ecclesiam Lauretanam fiant, sive extra, in civitate tamen, et non alibi, nisi ut dicetur. 2. Canonem et palmatoriam dum Missam faciunt, et palmatoriam in aliis quoque actibus sacris, in quibus adhiberi solet; et haec in omnibus Ecclesiis, sive Civitatis Lauretanae, sive totius Dioecesis eiusdem. 3. Pileum nigrum cum cordulis et flocco violaceis, focale ac tibialia eiusdem coloris violaceis quocumque perrexerint, Romae tantum excepta, ubi residet Pontificia Curia, et ubi habetur Generale Concilium: nunquam tamen in sacris functionibus publicis, nisi in Civitate Lauretana sint persolvendae.

Omnia dicta sint sub censura Emorum Patrum, ac Rmorum Officialium, Sacris tuendis Ritibus praepositorum.

C. MANCINI P. C. M.
Sacr. Rit. Congnis Consult

INSTITUTIONES LITURGICAE

(Contin. V. n. 6, pag. 342.)

§ 4.

DE MISSA PRO SPONSIS.

Quaeres 1. Utrum Missa pro Sponsis sit praeceptiva in celebratione Matrimonii?

Resp. Affirmative, maxime tempore et ritu festi eam permittentibus, si eiusmodi Missam Sponsi peterent, eleemosynam subministraturi. Primo, quia Rituale Romanum dicit: " Si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro sponso et sponsa.... CELEBRET (*Tit. VII, cap. 3, n. 4*) ". Id quoque praecipit Missale Romanum (*Rub. ante Missam pro spons.*). Confirmatur et Decreto *Limburgen.* S. R. Congregationis, quod declarat Missam in nuptiis, *semper debere esse votivam* ut in Missali, nisi ritu impediatur (*23 Iun. 1853 ad 1*). Quod si eleemosyna pro tali Missa daretur, legi liturgicae, alia accederet iustitiae, uti patet.

Quaeres 2. Quonam tempore Missa pro sponsis sit prohibita?

Resp. 1. Missa pro Sponsis prohibita semper est tempore clauso, quo ipsa interdicitur benedictio. Hinc si nuptiae eo tempore celebrentur, Missa diei recitanda, in qua nec ulla permittitur pro Sponsis commemoratio (*Montispessulani 31 Aug. 1839*). Optima hanc legem ratio confirmat; dedecet enim ut Ecclesia

Missam aut Orationes recitari eo tempore permittant, quod longe aliis sanctisque operibus insumi peroptat.

Resp. 2. Missa pariter pro sponsis est vetita, quoties mulier iam in aliis nuptiis benedictionem accepit (*Aquen. 3 Mart. 1761 ad 4*). Ratio enim eiusmodi Missae, benedictio nuptiarum est, quae cum dari nequeat viduae iam benedictae, ut alibi dictum est, ipsa Missa prohibetur.

Quaeres 3. Quando Missa pro sponsis prohibeatur, et quando permittatur ratione ritus?

Resp. Prohibetur in omnibus duplicibus primae et secundae classis, in tota octava Epiphaniae, Pentecostes atque in huius vigilia, in die octava Corporis Christi, in omnibus denique diebus cuiuscumque sint ritus, quae duplicia secundae classis excludunt: denique in omnibus Dominicis festisque de praecepto. His exceptis, in aliis quibusvis diebus Missa pro sponsis permittitur: omnia hic dicta S. R. Congregationis Decreta declarant.

Quaeres 4. In Ecclesia, ubi una tantum dicitur Missa, potestne Parochus Missam pro Sponsis facere triduo Rogationum, et in Com. omnium Fidelium Defunctorum?

Resp. 1. Affirmative in primo casu, si non fiat processio: secus negative. Ratio est, quia si processio habeatur, Missa Rogationum in praecepto est (*Marsorum 12 Nov. 1831 ad 37*). Praeceptum autem istud ex Missa conventuali oritur, quae eo die a Parocho dicenda est, ut Missae votivae pro sponsis locus non sit.

Resp. 2. In altero autem casu, aut officium decantatur pro defunctis, aut non. Si primum, Missa quae officium sequitur, defunctorum esse debet, ne functio diei mutila relinquatur: si alterum, iure po-

test Parochus Missam pro sponsis dicere, quae lege positiva permittitur (*Veronen. 7 Sept. 1850 ad 4*).

Quaeres 5. Quid Parocho agendum, quando Missa pro sponsis est vetita ratione ritus?

Resp. Si nuptiae celebrari debeant, ritusque diei Missam pro sponsis prohibeat, Missa diei currentis celebranda est, cum commemoratio eiusdem Missae pro sponsis, a qua orationes omnes accipiendae pro nuptiarum benedictione, in Missa quam recitat, impertienda.

Quaeres 6. Utrum Parochus ad applicationem pro sponsis teneatur, sicut ad Missam?

Resp. Ad applicationem Missae pro sponsis non tenetur Parochus, nisi ratione stipendii, sine quo nulla illi Missae applicandae obligatio inest (*S. C. de Prop. Fide, 23 Mart. 1844, et 7 Iun. 1853*). Ratio patet, quia applicatio haud eiusdem iuris est ac Missa, lex autem ad hanc obligans, illam relinquit in arbitrio Parochi.

Quaeres 7. Cuiusnam generis sit, et quomodo Missa pro sponsis celebranda?

Resp. 1. Huiusmodi Missa ad votivas pertinet, et privatas, est enim omnino extra festi aut diei officium; et rationem solemnis, sive lecta sit sive cum cantu nunquam habet. Hinc Hymno angelico et symbolo nunquam gaudet: 2 tres Orationes admittit, et quascumque occurrentes commemorationes: 3. *Benedicamus Domino* et Evangelium S. Ioannis semper habet in fine (*Derthonen. 20 Apr. 1822*).

Resp. 2. Si Missae pro sponsis, quatenus impeditae, alia sit sufficienda, ritus diei servabitur, sed nunquam commemoratio pro sponsis omittenda, etsi duplici primae classis occurrente (*Decr. Derthonen. sup. cit. ad 6*).

Quaeres 8. Quare paramentorum color in Missa pro sponsis praescribatur albus?

Resp. Rituale Romanum, ac Missale colorem praescribunt album in Missis pro sponsis, sicut in agendis et benedicendis nuptiis, quia ait Gavantus, supponitur carnis integritas in sponsa benedicenda, hinc viduae nuptiae non benedicuntur (*Pars 1, XVIII, lit. c.*). Haec quidem ratio originis albi coloris in nuptiis, qua tamen nec posita, idem adhuc adhibendus praescribitur color, ut factum iuri subsit.

Quaeres 9. Utrum pro pluribus nuptiis eodem tempore celebrandis, plures dicendae sint Missae?

Resp. Negative, cum in una Missa plures nuptiae benedici valeant (*S. C. S. Off. 1 Sept. 1841*). Quinimo nec pluries benedictionis orationes Parochus recitabit, sed semel, nec eas ulla ratione immutabit, sed prout in Missali iacent, recitabit: ita communiter. Ratio est, quia eiusmodi orationes et difficilius se mutationibus aptant, et uti prostant optime intelligi de singulis possunt, sicuti plura in Sacra Liturgia exempla demonstrant.

§ 5.

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

Quaeres 1. Quid benedictio mulieris post partum, et unde eius origo?

Resp. 1. Benedictio mulieris post partum est complexus rituum et caeremoniarum, quos Ecclesia catholica instituit in favorem puerperarum, ut Deo gratias agant, seque et prolem illi offerant.

Resp. 2. Eiusdem benedictionis origo ad antiquum ascendit foedus, uti ex Levitico palam fit (*Cap. XII*,

v. 4 et 5). Legali cessante, alio licet fine, benedictionis huiusce consuetudo ab Immaculata Deipara, exemplum primo dante, usque nunc in Ecclesia servata fuit. Adeo ut fideles mulieres hoc erga se prolemque suam pietatis officium impleant, benedictionem in templo post partum petiturae: de quo et Graeca Ecclesia praestat exemplum.

Quaeres 2. Num eiusmodi benedictio praeceptiva sit?

Resp. Negative. Nusquam enim haec praescripta legitur, quamvis ad eam recipiendam puerperas Ecclesia adhortetur. Hinc ipsum Rituale Romanum mulierem puerperam, ea super benedictione, in sua libertate relinquit (*Tit. VII, cap. 3, n. 1*).

Inferes, nulla lege mulieres se ab ingrediendo Ecclesiam abstinere tenentur, cum lege non adigantur ad purificationem. Nihilominus laudabiliter eas adhortantur Parochi, ut almam cetera purissimam Virginem imitentur, in abstinendo per aliquod temporis a templo ingrediendo, et in petenda recipiendaque benedictione.

Quaeres 3. Num Parocho huiusce benedictionis impartiendae ius tantum competat?

Resp. Negative, pluribus namque hac de re simul collatis, seu S. R. Congregationis seu Concilii Decretis, hoc unum resultat certum exploratumque, Parochum proprium in sua Ecclesia teneri, quemcumque vero Sacerdotem sive saecularem sive regularem posse, benedictionem puerperae quocumque in templo impertire, si fuerit expetitus.

Quaeres 4. Utrum dari haec benedictio extra templum possit?

Resp. Negative. 1. Quia Rituale Romanum explicite loquitur de Ecclesia, in qua eiusmodi benedictio

danda est. 2. Quia natura caeremoniarum et Rituum praescriptorum templum omnino exigunt. 3. Quia ratio prudentiae dictat, esse satis indecens, ut Parochus vel quicumque alius Sacerdos dictam benedictionem in domo mulieris impertiat.

Quaeres 5. Utrum cuicumque puerperae benedictionem petenti, impertienda sit?

Resp. Negative, sed illi tantum, quae ex legitimo matrimonio peperit; nonnisi enim ad illam convenienter applicantur orationes, ab Ecclesia pro casu institutae.

Inferes 1. Eas tantum ius habere puerperas ad hanc benedictionem, quae in Ecclesia catholica sunt; qui enim ante matrimonium committi defectus potuit, per subsequens sanatur Sacramentum: qui vero postea, sanari quidem potest, sed non ita ut per benedictionem evitetur scandalum, quando notorius ille fuit ac publicus. Non tamen quaestio fit de defectu occulto, cum praesumptio bonae famae mulieri faveat. 3. Mulieri, cuius proles, etiam sine baptismo, decessit, non esse hanc benedictionem denegandam, quod et S. R. C. declarat (*Molinen. 11 Sept. 1857 ad XX*).

Quaeres 6. Num benedictio ista cadere super puerperam demortuam valeat?

Resp. Negative. Formulae enim precum, Rubricae singulae, atque omnes caeremoniae Ritualis Romani, vivam supponunt puerperam, ita ut mortua subiectum omnino incapax constituat huiusce benedictionis. Cum itaque praescriptae formulae mutari nequeant, manifesto sequitur, puerperam demortuam nulla posse ratione benedici.

Quaeres 7. Quare color albus hac in benedictione Rituale praescribat?

Resp. Supra superpelliceo stola coloris albi induere debet Sacerdos puerperam benedicturus, hac unica de causa, quia haec benedictio in memoriam peragitur Purificationis almae Virginis, quo in festo color praescriptus est albus.

Quaeres 8. Utrum benedicenda puerpera deferre secum in templum possit et prolem?

Resp. Nulla id lege prohibetur, quamvis Rituale Romanum de sola matre loquatur, et benedictio non super prolem, sed tantum super matrem cadat. Nihilominus, si perpendamus, hanc benedictionem, saltem indirecte, et prolem respicere, et almam Virginem cum divo Infante ascendisse templum; si alicubi eiusmodi vigeret consuetudo, haud facile damnari posset.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IX.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

In aliquibus Religiosis Familiis non levis saepe oritur conscientiae inquietudo circa ritum, qui de more servatur in communione ad Confratres vel Consorores infirmas deferenda. Etenim valetudinarium contiguum quidem est Cappellae Communitatis, sed amplum nimis, ut pluribus constet cubiculis et una area, in qua et altare situm est. Nonnulli autem ex infirmis, in Cappella Celebrantem audiunt, sed non omnes. Nunc

autem in Missa, quae in eadem Cappella fit Communitatis, Celebrans post communionem Sanguinis, duas e tabernaculo pyxides extrahit, quarum alteram ipse sumit ut sanos communione reficiat, alteram vero alius Sacerdos, pro infirmis. Ad quos iste rite pergit, nempe superpelliceo, stola, veloque humerali indutus, Sacramentum sub umbella deferens et cum duobus cereis, quos Confratres vel Consorores gestant. Id valetudinario autem ut pervenit, alius statim dat Communionem omnibus, nullis praemissis ex praescriptis in Rituale precibus: alter ab aspersione incipiens, omnes praefatas, sed semel tantum, orationes praemittit: unus eas repetit, quando nempe cubicula nimis distant: alius semper eas dicit quoties alicui ex infirmis communionem distribuit: ille *Misereatur*, et *Indulgentiam* in singulari, iste in plurium numero recitat. Infirmis omnibus communione refectis, nullus dat benedictionem; sed ad altare reversus in Cappella, pyxidem super altari singuli deponunt, quam Celebrans statim, vel suo tempore, in tabernaculo claudit. Haec omnia unus ex Cappellanis perpendens tamquam uniformitati in ritibus opposita, inquirit:

1. *Quid ferat antiquitas Ecclesiae seu graecae seu latinae, circa disciplinam SS. Eucharistiam deferendi et ministrandi ad infirmos?*

2. *Quid circa delationem et administrationem communionis huiusce praescribant seu Rubricae Ritualis seu S. R. Congregationis Decreta?*

3. *Quid de iis, quae in casu exposita sunt probandum, quid respuendum?*

SOLUTIO.

Ex Dissertatione Rev. Dom. Antonii Vuiovich alumni ex Pontif. Collegio Urbano de Propag. Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 8 Iun. 1892: acta Epitoma a Rmo Dom. Dom. Petro Canon. Pisani Milvi, ex apostolic. Caeremoniarum magistris.

I. Christus Dominus, qui Adventu suo mundum recreavit, miseris Adae natis captivis providere se placuit, ut fortitudinis subsidiis post supernaturalem generationem munirentur, et in hora exitus illorum, iisdem nunquam subsidiis deficerent. Hinc Eucharistia, fortium videlicet cibus, quo viventes et morientes refici perfacile possunt. Piae autem matri Ecclesiae, ab initio divini fundatoris vestigiis inhaerenti, maxima semper cura fuit, ut filiis suis Sacramentum Eucharistiae morientibus administraretur; sicque eumdem, quem in vita habuerunt socium, et in morte possiderent solatium, ac ducem in aeternitatis semitam. Equidem in primaeva Ecclesia viguit usus, ut fideles Eucharistiam in templis receptam, non tantum sumerent, sed et extra in proprias deferrent domos, in iisque servarent: ut spiritualis vitae necessitatibus, quam tot exagitabant persecutiones et praelia, obviam irent. In sequentibus vero temporibus, postquam videlicet vel persecutores iniqui poenas scelerum luerant, vel eos Ecclesia, quos converterat, sibi conciliaverat; haud omnibus, sed solis aegrotis coeptum est deferri Eucharistia, ut ad iter in aeternitatem agendum vires sumerent. Hinc vox *Viaticum*, qua primum in Nicaena Synodo usi sunt Patres. Et quamvis antiquitus pro Viatico non solum divina Eucharistia significaretur,

sed et alia, uti *poenitentia*, *reconciliatio*, etc. nihilominus brevi factum est, ut Viaticum Christi Corpus exclusive significaret. Ea propter petitio prima inquirit: Quid ferret antiquitas Ecclesiae, seu Latinae, seu Graecae, ad disciplinam quod attinet Eucharistiae ad infirmos deferendae.

Epistola Synodica Ecclesiae Africanae ad S. Cornelium Pontificem, quae est quinquagesima quarta inter Epistolas S. Cypriani, de pace lapsis maturius danda ob persecutionem ingruentem, satis superque demonstrat antiquitatem disciplinae circa communionem ad infirmos deferendam. In illa enim aperte dicitur, communionem non solum infirmis esse ministrandam, sed etiam iis, qui ob imminentes persecutiones erant martyrium facturi: " Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio danda etc. „ Ex quibus verbis cum Catalano ((*Comment. ad Rit. Rom. Tit. IV, cap. IV, n. 1*), toto iure inferimus, morientibus tunc temporis consuetudinem iam viguisse ministrandi Eucharistiam; hinc et pro Christo pugnantibus, tamquam mortem pro eodem subituris. Quod Canone XIII Concilii Nicaeni I confirmatur, quippe qui manifesto eamdem consuetudinem supponit. Namque iuxta Gentiani Herveti interpretationem dicto in Canone legitur: " In summa autem de quolibet excedente, et Eucharistiae participationem petente, (Episcopus) cum examinatione oblationem impertiat „. Hinc Catechismo Romano docemur: " Ex veteri Ecclesiae catholicae instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc Sacramento e vita excedat (*Pars 2, cap. IV n. 5, § de Viatic.*) „. Et haec sint satis, agitur enim de Sacramento, quod essentiale nutrimentum est animae, et ex hac vita discessuris maxime necessarium. Hinc dubitandi non

datur ratio, semper Ecclesiam fuisse maximopere solicitam, ut fideles hoc Sacramento muniti e vita migrarent.

Ad modum potius transeamus quo Eucharistia deferebatur ad infirmos. Licet in primaeva aetate Ecclesiae, ullà sine mortis necessitate indiscriminatim fideles in proprias deferrent domos Eucharistiam; successu tamen temporis accidit ut ad solos deferretur infirmos. Et quamvis Episcopi ac Sacerdotes ministri essent pro huius Sacramenti distributione ordinarii; poterant nihilominus sibi substituere non solum Diaconos, quibus ex officio dispensatio Corporis et Sanguinis commissa erat, sed etiam clericos, imo et laicos. Cuius rei, ait Catalanus (*Loc. sup. cit.*), insigne nobis exemplum suppeditat Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum (*Lib. VI, Hist. Eccles. Cap. 44*) de Serapione sene, qui infirmus ad mortem, e puero nepote suo acceptam a Sacerdote Eucharistiam recepit.

Eiusmodi agendi ratio pluribus perseveravit saeculis, adeo enim consuetudo inoleverat, ut nonnisi maxima cum difficultate abrogari potuerit. Hinc in Rhemensi Concilio Decretum legimus praefatam deplorans et damnans consuetudinem, quod tamen nonnisi sub IX saeculi initio celebratum fuit: " Pervenit ad notitiam nostram (*ibi legitur*), quod quidam Presbyteri in tantum parvipendant divina Mysteria, ut laico aut feminae sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis etc. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria praesumptio ulterius fiat, sed omnimode Presbyter per semetipsum infirmum communicet „. Quibus haud obstantibus, abusus perdurabat; et Episcopus Veronensis Ratherius saeculo decimo in Synodica scripsit Epistola ad Presbyteros: " Nullus pra-

sumat tradere communionem laico aut feminae, ad deferendum infirmo. Edmundus Martene (*De Antiq. Monach. Rit. Lib. 1, cap. V, Art. II*) de communione infirmorum verba faciens, iudicat abusum huiusmodi post decimum saeculum habuisse finem. Atque ita lege et consuetudine statutum est, ministrum Eucharistiae ad infirmos, uti ad sanos, ordinarium esse tantum Presbyterum, extraordinarium autem, Diaconum. Et quamvis in Codicibus Monasterii Casalis Benedicti legatur, Subdiaconum deferre Eucharistiam ad infirmum, sicuti etiam per acolytum quandoque delata fuit; nihilominus usus de illius delatione per laicos, semel extincto, amplius non revixit. Haec de ministro.

Ad ritum quod pertinet, Decretum habetur Honorii III Pontificis sub initio decimi tertii saeculi, in quo legitur: " Presbyter eam (*Eucharistiam*) in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat et referat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praeeunte „. In Constitutionibus S. Edmundi Cantuariensis Episcopi (*Cap. 25*) verba fiunt etiam de cruce, quae ad infirmum defertur, et de tintinnabulo pulsando, ut excitetur devotio fidelium.

Antiquitus Eucharistia administrabatur infirmis post susceptam Extremam Unctionem, uti refert Surius in Vita S. Gulielmi Archiepiscopi et in Vita S. Stephani Regis. Seu ante, seu post acceptum Viaticum fideles consueverunt preces ad Deum fundere in ipsius iuvamen infirmi. Sacerdos peculiari ab antiquissimo tempore usus est formula *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam:* si utraque administrabatur species, *Sanguis Domini Nostri redimat te* etc. Quando utraque in una formula:

Corpus et Sanguis Domini Nostri etc. uti apud Martene refertur (*Loc. cit. n. IV*).

Sacerdotale Romanum loquitur, praeter alia, de campana, pro delatione Eucharistiae pulsanda ut convocentur fideles, *qui volunt sociare Corpus Christi:* de intorticiis accendendis, de lanterna ab altero ex clericis, e de aqua benedicta ab altero, ferendis: de mappa albissima in domo infirmi paranda, super qua reclinandum tabernaculum Corporis Christi: de cyathis denique ibi verba fiunt, cum vino et aqua, parandis (*De communic. Infirm.*).

Quae hucusque diximns sequentia absolvant. Sicut in occidentalibus ita in orientalibus ecclesiis ad saeculum usque decimum circiter usus viguit, in proprias domos deferendi Eucharistiam; ut fideles, maxime Monachi sumerent quotiescumque pro opportunitate, et manu propria sumerent. Postea Graeci non minus ac latini Eucharistiam deferre ceperunt ad infirmos: quod optime demonstrant vasa, in quibus SS. Christi Corpus asservabant, uti pyxis, peristerion etc. quae huic fini peculiariter inserviebant. Sicut in latina, ita et pariter in orientali Ecclesia, Viaticum sacer minister ad aegrotum deferens, sacrum panem in sanguine Christi intinctum porrigebat infirmo. Qui ritus ait Martene ((*Loc. sup. cit. num. IV*), adhuc apud Graecos impraesenti viget. Eucharistiam deferre consueverunt Graeci, non solum cum luminibus, sed et Diaconorum comitatu: quod etiam in redeundo ab infirmi domo observabant, ut refert Allatius. Adeo ut, si substantiam spectes, utraque, seu latina seu graeca, Ecclesia in hoc convenerint.

II. Secundo inquiritur quid impraesenti Rituale et Decreta S. R. Congregationis praescribant ad huius Communionis quod attinet delationem et administra-

tionem. Pro delatione Rituale praescribit: 1. Decentem habitum in ministro, nempe super talarem vestem superpelliceum et stola, velumque humerale; ac si ratio solemnitatis id exigeret, etiam pluviale. 2. Campanae signum pro fidelibus vel Confraternitate convocandis, ut cum luminibus intersint processioni, prout rerum locorumque adiuncta postulant. 3. Clericum umbellam deferentem, nisi baldachinum adhiberi debeat. 4. In domo infirmi duo vascula, alterum pro vino si opus fuerit, alterum pro aqua: mensam linteo mundo coopertam pro Sacramento deponendo, et linteum mundum ponendum ante pectus communicandi. Item bursam cum corporali, ac purificatorio ad Sacerdotis digitos abluendos. 5. Clericus praecedit campanulae dans signum transeuntis Viatici: illum sequuntur qui lumina gestant, denique Sacerdos pyxidem deferens cum sacris hostiis, quam tenet ante pectus ambabus manibus, velo tectam, psalmos interim decantans. 6. Si noctu deferatur Sacramentum (quod nonnisi urgente necessitate agendum), clericum exigit quoque Rituale, qui lanternam deferat, ne forte sine lumine Sacramentum maneat: alter praeterea clericus adsit pro vasculo aquae et aspersorio, pro domo infirmi benedicenda, nisi in eadem domo paratum antea vas fuerit. 7. Sacerdotem psalmos concinentem sequuntur fideles Sacramentum comitantes, et laudes precesque recitantes. En praecipua, quae Rituale in casu praecipit pro Eucharistia ad infirmos deferenda.

Circa administrationem vero, en quae habentur ex Rituali Romano. 1. Sacerdos ut pervenerit domum infirmi, recitat *Pax huic domui* etc. tum deponit Sacramentum, adorat, reliquis interim genua flectentibus. 2. Infirmum benedicit, eumque et cubiculum aspergens sub formula *Asperges me* etc. cum reliquis ora-

tionibus in Rituali inscriptis. 3. Accedit ad infirmum, cuius audit, si opus fuerit, confessionem (quod tamen antea faciendum), et illum absolvit. 4. *Confiteor* per clericum dicto, *Misereatur* et *Indulgentiam* Sacerdos recitat de more, sed versus, ad infirmum; consuetam autem formulam communionis in alteram pro Viatico mutat, ut in eodem Rituali, si ad modum Viatici communicare debeat infirmum. 5. Communione administrata, pyxidem loco suo ponit, Sacramentum adorat, si plures in illa positae particulae fuerint; digitos abluit, appositam recitat Orationem super infirmo, quem demum Sacramento benedicit, reditque processio in ecclesiam. 6. Si una tantum sacra particula in pyxide studio posita fuerit ex necssitate, de qua Rituale; tunc solae preces praescriptae super infirmo dicuntur, cetera omittenda, et privatim redeundum.

Quae autem ex S. R. Congregationis Decretis constant, haec sunt: 1. Semper infirmo Viaticum petenti, publice deferendum, et non occulte, nisi vera necessitas aliud exigat. 2. In deferenda pyxide vas sacrum et manus Celebrantis velo cooperta esse debent. 3. Confirmatur obligatio deferendae lanternae ob difficultatem itineris, viarumque asperitatem. 4. Si minister Communionis fuerit Diaconus, omnia peraget, uti in Rituali, ipsamque dabit benedictionem cum Sacramento. 5. Si communio deferenda esset infra Missam infirmis in hospitalibus degentibus, plura notanda forent. *a*) Sacerdos ad comunicandos infirmos pergens, nihil dicet, sola, dum dat communionem, consueta formula contentus. *b*) Si infirmi sint in cubiculis, ad eis Eucharistiam administrandam accedere non debet, amitteret enim e conspectu altare. *c*) Preces *Misereatur* et *Indulgentiam* ab altari dicuntur, uti ter *Domine non sum dignus*, sola formula respectiva pro communione

administranda, ad lectum infirmorum pronuntiatur. Haec ad alteram quod spectat petitionem, sive Rubricis sive Decretis inspectis.

III. Tertio quaeritur plurium resolutio casuum, uti in quaestiuncula proposita videre est. Rubricae ergo et Decreta, quantum fieri potest, applicanda, ut singulis, propositis Dubiis fiat satis. Agitur itaque de valetudinario Cappellae Communitatis attiguo, quod ex area et cubiculis pluribus constat: ad quod alius a Celebrante Sacerdos vadit pro communicandis infirmis, dum Celebrans, in cappella eadem post sumptionem Sanguinis, sanis communionem distribuit. Hoc posito, sequentia proponuntur dubia resolvenda: 1. Est ne iuxta regulam, ut alius a Celebrante Sacerdos tunc temporis pergat ad communicandos infirmos? 2. Recte ne umbellam adhibet, et Confratres vel Consorores pro intorticiis deferendis? 3. Cum pars valetudinarii cappellam prospiciat, altera vero non, tenetur ne semel, aut pluries, vel nunquam, aspersionem facere, relativa utens formula, aliasque recitare preces *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Ecce Agnus Dei?* 4. Preces *Misereatur* et *Indulgentiam* dicendae ne sunt a Sacerdote singulari vel plurium numero? 5. Debet ne semel, pluries, vel nunquam dare infirmis benedictionem cum Sacramento?

Ad primum quod spectat, nulli videtur legi liturgicae oppositum. Namque idem saepe fieri videmus in communionibus generalibus, ut nempe alius Sacerdos, praeter Celebrantem, alia cum pyxide eumdem Celebrantem adiuvet, sive ne functio nimis protrahatur, sive ne Celebrans nimis defatigetur. Id autem accidit, quia communioni actus natura, cum plures respiciat, non impedit quominus a pluribus fieri possit.

Ad alterum respondemus, optime in casu umbellam adhiberi posse non solum, sed et debere. Etenim

si communio ista ratione temporis, rerumque adiunctorum ad Missam pertineat; loco inspecto, tamquam extra Missam considerari potest, et Sacerdoti longe eundum est ab altari. Iure merito ergo et umbella debet adhiberi, sicut et lumina; hinc et indumenta ministrantis Eucharistiam ea sunt, quae pro communione extra Missam, et extra Ecclesiam adhibenda Rituale praescribit. Quod si Consorores vices clericorum agant, id fert omnino necessitas, quae vitari non potest, uti patet, quin aliis forte gravioribus incommodis eatur obviam.

Quoad tertium, confitendum est, aliquid, et quidem gravioris, difficultatis pati: quantum autem videmus, sequenti modo ratiocinari liceat. Partes singulae valetudinarii, non plures, sed unum tantum valetudinarium efformant, cuius praecipua pars anterior altare prospicit, in quo fit Missa, quam Confratres vel Consorores optime audiunt. Quod si plures e remotiori loco audire eam non valent, nec Celebrantem videre, quid refert? Nonne omnes qui in eadem sunt Ecclesia grandiori, et intra etiam laterales cappellas, saepe accidit, ut et nihil audiant et Celebrantem non videant? Ecquis nihilominus non iudicat, fideles omnes et singulos unum populum constituere? Nonne id comprobari quoque potest de singulis, iuxta casum propositum, infirmis? Sunt qui audiunt et non vident: sunt qui nec audire Celebrantem valent nec videre; at sciunt omnes, quid dicatur quidque agatur, et singuli unum corpus efficiunt, ut aliis alii supplere optime possint. Hoc posito, inquirimus: Pro infirmis e conspectu altaris manentibus facienda ne aspersio, dicendae ne preces *Misereatur Indulgentiam*, et *Ecce Agnus Dei?* Certo certius, negative; ergo neque pro reliquis, eiusmodi enim preces iam ad altare dictae sunt. Aspersio

autem omittenda, quippe nonnisi in communione extra Missam Rituale praescribit. Ceterum, si pro uno infirmo haec agenda essent, ex identitate rationis, agenda et pro singulis forent, qui in cubiculis manent: quod profecto ridiculum saperet. Consultius ergo est, infirmos omnes tamquam unum populum considerare, pro quo universo ea quae agenda et dicenda sunt, iam Celebrans ad altare persolvit. Sacerdos ergo, quin unquam pyxidem deponat, contentus sit unicuique ex infirmis Sacramentum porrigere cum nota formula *Corpus Domini nostri* etc.

Circa quartum responderi posset: Provisum in tertio; ut nihilominus singulis satisfaciamus, hoc placet animadvertere. Cum communio defertur ad unum infirmum, quamvis Rituale haud perspicue se explicet, quia praetas formulas incipit tantum; nihilominus fere omnes conveniunt, dictas preces singulari numero recitandas, quia intentione Ecclesiae soli applicantur infirmo. Ita De Herdt, Martinucci, Cavalieri, Baruffaldus etc. Quae tamen in casu nostro locum non habent, sed valere neque possunt, cum de pluribus agatur, qui Communitatem efformant. Non ergo in singulari, sed plurali numero dicendae forent dictae preces, nisi omittendae essent.

Cohaerenter ad tertium et quartum, quintum et ultimum resolvimus Dubium. Agitur enim de communione, quam intra Missam infirmi agunt. At benedictio cum Sacramento ad communionem pertinet extra Missam; ergo ea dari non debet. Consequenter omnibus et singulis Eucharistia distributa, ac si sani essent, Sacerdos revertitur ad altare, super quo pyxidem deponet, a Celebrante in Tabernaculum recondendam.

Haec videntur nec Rubricis, nec Decretis opposita, et recto sensui liturgico apprime conformia; et ex dictis patet, quid in casu probandum, quidque respuendum.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*V. N. 5. huius anni*)

(*Contin. Tit. VII. n. 1*).

(171) *De octava fit officium, vel saltem commemoratio* (*quando aliquo festo vel Dominica impeditur*) *per octo dies continuos.* Testante enim Radulpho de Rivo de Breda Tungrensis Ecclesiae Decano (*De Canonum observantia prop. 19*): " Cum festivitatum termini regulariter ponantur de Vespere ad Vesperum, magnitudo festi id exigit, ut prius incipiatur, et tardius terminetur „ Anticipatur vero per vigiliam, et tardius terminatur per octavam, ac proinde Maiores per annum Solemnitates vigiliam habent, et postea octava decorantur. Octavae ergo, cum praecipuae ac potioris dignitatis prae aliis festivitatibus indicia sint et notae, ut docet Guyetus (*L. 1, c. 18*), haudquaquam tritae debent esse nec vulgares. Octava ita cum festivitate iungitur, ut quasi unum et idem conficiatur, neque aliud sit nisi eius quaedam prorogatio, imo omnes dies octavae pro una festivitate computantur. Hinc Rubrica dicit officium fieri octavae *per octo dies continuos*, igitur in hoc numero octonario comprehenditur et dies festus,

qui proinde est *prima* dies ac solemnior totius octavae, intermedii autem dies dicuntur ***secundus III, IV, V, VI et VII*** infra octavam; octavusque dies, quo octava explicit, vocatur simpliciter *octava*. Dicit vero... de octava ***officium fieri vel saltem commemoratio,*** quia infra octavas minus solemnes aliquando occurrunt festa de quibus agendum est officium, et tunc de octava fit tantum commemoratio; aliquando tamen festa occurrentia tali solemnitate celebrantur, ut de octava nihil agatur, nec ipsa commemoratio, prout infra melius explicabitur.

(172) *Fit de octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste in Festo corporis Christi, in festis quibus in Calendario apponitur Octava.* Hinc a Rubrica indicantur solummodo, quatuor festa quae cum octava celebrantur, et in Calendario Breviarii Romani, utpote mobilia, locum non habent; caetera festa, octavam habentia, brevius indicantur, mittendo lectorem ad Calendarium. En ergo festa omnia Universalis Ecclesiae, quae cum octava celebrantur:

DUPLICIA 1 CLASSIS.

1. Pascha Resurrectionis.
2. Pentecostes.
3. Epiphania Domini.
4. Festum Corporis Christi.
5. Nativitas D. N. I. C.
6. Ascensio „ „
7. Assumptio B. M. V.
8. Immaculata Conceptio eiusdem B. M. V.
9. Nativitas S. Ioan. Baptistae.
10. Festum Ss. Petri et Pauli.
11. Festum omnium Sanctorum.

DUPLICIA 2 CLASSIS.

1. Nativitas B. M. V.
2. Festum S. Ioannis Apostoli et Evangelistae.
3. Festum S. Stephani.
4. „ Ss. Innocentium.
5. „ S. Laurentii M.

Ob rationes quas infra feremus, Octavae aliquae privilegiatae dicuntur, ideoque ordo festivitatum 1 classis supra expositus, iuxta maiorem cuiusque festi excellentiam ac dignitatem descriptus est; et octavae, quae subsequuntur primas quinque ex praedictis festivitatibus, plus minusve *privilegiatae* dicuntur.

(173) *Item in festo Dedicationis propriae Ecclesiae, et in festo principalis patroni et Titularis loci vel Ecclesiae.* Ex lege huius Rubricae Dedicatio propriae Ecclesiae, (propriae scilicet, prout docuimus in nota 2 huius nostrae expositionis) agenda est cum octava. Nota autem hic non tantum intelligi quod Anniversarium Dedicationis Ecclesiae agendum sit cum octava, sed, imo maiori ex causa, ipsa quoque dies in qua Ecclesia ab Episcopo consecratur, agi debere cum insequenti Octava, uti res ipsa postulat, et Rubrica Breviarii in officio Dedicationis suadet. Item vi huius Rubricae, quam exponimus, festa quoque Patroni principalis loci, et Titularis propriae Ecclesiae celebranda sunt cum octava. Vide de his quae diximus in notis 6 et 7, ubi de festis Patroni loci et Titularis Ecclesiae fusius disseruimus. Ideoque si hodie Ecclesia ab Episcopo consecratur, tam festum ipsius Consecrationis, quam dein Anniversarium eius, cum octava celebrandum erit, absque ullo recursu ad Apostolicam Sedem. Item si nova erigitur Ecclesia, parochialis saltem, aut cum re-

ligiosa communitate chorum habente, de Sancto Titulari huius novae Ecclesiae festum agendum erit cum octava, sine necessitate obtinendi indultum a Romano Pontifice. Octavae enim Dedicationis Ecclesiae, loci Patroni, et Ecclesiae Titularis, vi huius Rubricae celebrandae sunt: aliae octavae nequeunt celebrari, nisi ex antiqua consuetudine vel ex concessione Sanctae Sedis.

Hic advertendum venit, quod Octava, cum sit nota magnae festi solemnitatis, non celebratur nisi pro festis duplicibus, numquam pro semiduplicibus, iuxta morem Romanum. Imo Duplicia tantum I, et II classis octava decorantur, quamquam in Calendario Taurinensis dioecesis videamus festum S. Rochi Patroni minus principalis agi sub ritu duplicis maioris cum octava.

(174).... *et in festis aliorum Sanctorum, quae apud quasdam Ecclesias, Congregationes et Religiones consueverunt solemniter cum octavis celebrari.* De festis ex consuetudine ante annum 1568 inductis apud aliquas ecclesias, vide notam 8, et applica ad octavas, quae alicubi celebrari consueverunt ante S. Pium V. Ergo post hunc S. Pontificem prorsus vetitum fuit alias inducere octavas praeter illas, quae hic praescribuntur.

(175).... *nisi illa festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur officium cuiuscumque octavae.* Nisi *illa festa,* nempe quae ultimo enumerata sunt, videlicet dedicatio, Patronus loci, et Titulus Ecclesiae, aut alia festa, quae ex consuetudine, aut ex indulto alicubi celebrantur cum octava; reliqua enim festa Ecclesiae Universalis in Quadragesima occurrere nullatenus possunt. Tempore quadragesimali, octavae prohibentur. Siquidem cum hoc tempus Sacratissimum a Domino institutum sit ut fideles poenitentiae operi-

bus vacarent, sicut ait S. Petrus Chrysologus (*serm. 11*). *Quod quadraginta diebus ieiunamus non humana inventio sed auctoritas divina, est,* ita a Concilio Leodiceno (*Can. 5 in Canone* Non oportet *33, q. 5 relato*) praescriptum fuit, ne eo tempore festa agerentur, quod et hodie servatur in orientalibus ecclesiis, et in occidente apud Mediolanensem. Licet ergo tractu temporis rata sit Romana Ecclesia, nonnulla festa in quadragesima peragere, id fecit ne quorumdam Sanctorum natalitia dies honore debito careret; noluit tamen in Quadragesima octavas permittere, quae cum iudicium magnae solemnitatis sint, parum cum luctus diebus convenirent. Quare si Congregatio Cassinensis celebrat cum octava festum S. Scholasticae quando occurrit in Quadragesima, et Ordo Fratrum Minimorum agit cum octava festum sui Institutoris S. Francisci a Paula, si Ecclesia Barcinonensis similiter cum octava festum celebrat S. Eulaliae, et Dioeceses antiqui Dominii Veneti festum Annuntiationis B. M. V. non est nisi ex privilegio ab apostolica Sede concesso. Idem dicatur de octavis S. Thomae Aquinatis et S. Vincentii Ferrerii quas celebrant Patres Dominicani, hi enim Rubricas proprii Breviarii habent, quae a Breviarii Romani satis discriminantur.

(176) *Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et iam per aliquot dies factum sit officium de eius octava, adveniente Quadragesimo, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio.* Scilicet octava abrumpitur, et cessat, adveniente Feria IV Cinerum, sicut et adveniente Festo Pentecostes et die XVII Decembris ut infra videbimus.

Hinc si dies octava incidat in feriam IV Cinerum, Vesperae feriae III, erunt de eadem feria absque ulla octavae commemoratione. Hoc docent Gavantus (*hoc*

loco n. 9) Meratus (*ib.*) cum Cavalerio (*t. 2. Decr. 154, n. 2*) et alii communiter, atque pro hac sententia videtur stare S. R. C. Decretum *23 Iulii 1736 n. 4044;* Guyetus tamen aliter sentit, cui nos subscribimus. Nihilominus, cum apud eamdem S. Congregationem coeptum sit revidere emendari que Decreta in Collectione Gardelliniana contenta, consultius credimus expectare, ut opportuniori tempore nostram sententiam fusius exponamus.

(*Continuabitur.*) Doct. PETRUS PIACENZA.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Gallia.* **De quadam superpellicei forma, utrum permissa.** Superpellicea quaedam non habent manicas, quarum loco nonnisi apertura extat hinc inde ad altitudinem humerorum, per quam brachia introeunt: ex eodem vero loco, hinc inde pariter, duae velut alae exeunt, quae libere vagantur, et quasi dicam volitant. Hoc est superpelliceum, quod apud nos appellatur *surpris á ailes*, et de quo in ultimo Ephemeridum numero (*pag. 428, Dub. III*) dictum est. Re sic exposita, probari ne possunt eiusmodi superpellicea?

Resp. Negative. In ultimo quidem Ephemeridum numero, superpellicea, quae *á ailes* Galli et Belgici appellant, permissa diximus. Sed pro eiusmodi superpelliceis alia nos intelleximus, quibus nos ipsi in Gallia usi fuimus, et quae revera nullo pacto vetita dici possunt, uti ex dubio exposito in praeter. num. patet.

Negotio impraesentiarum explicato, et quae vere superpellicea *á ailes* probe consecuti, responsum affirmativum in negativum, toto iure mutamus. Et revera a forma superpelliceorum, quam omnes Liturgici tradunt, crucis nempe figuram quamdam repraesentantium, haec, de quibus in casu, longe nimis differunt. Est insuper satis eorum forma singularis, pro Gallia et Belgio, quam tamen aliarum nationum Ecclesiae nesciunt. Tertio, manicarum defectus, adeo ut totus in brachiis nigrae talaris vestis color per totam illorum longitudinem appareat, minus sacris functionibus dignam reddit: nisi duae alarum species, quod peius est, ridiculam faciant. Hinc arbitramur, eam superpelliceorum formam non esse a clericis in sacris functionibus adhibendam, et Ritui iam in Galliis obsoleto, et cui Romanus feliciter suffectus fuit, relinquendam.

II. *Ex eod. loco.* **De benedictione cum pyxide, num sit de iure tantum Ordinarii eam permittere.** Rector vel Parochus alicuius Ecclesiae potest ne post Expositionem privatam, ex se populo benedicere cum pyxide, an indiget facultate sui Episcopi?

Resp. Iis inhaerentes, quae alibi exposuimus (*Ephem. n. 7, pag. 429, Dub. V*), respondemus: affirmative ad primum, negative ad alterum. Ratio est, quia benedictio quae Expositionem sequitur, consideranda est velut eiusdem Expositionis consectarium. Res enim sacrae venerationis ergo exponuntur, cultum eis exhibent fideles, et postea, seu ad honorem rei sacrae, seu in fidelium spirituale bonum, cum illis solent benedici, antequam eadem recondantur. Haec antiquissima consuetudo in Ecclesia, sive de reliquiis agatur Sanctorum, sive Deiparae, sive Christi Domini: quanto magis si agatur de re antonomastice sacra, nempe de ipso sacratissimo Christi Corpore et Sanguine, seu

de divina Eucharistia? Iam vero Eucharistiae Expositio est duplex, altera publica, seu ex causa publica, altera privata, seu quae ex causa privata fit. Notum est autem, pro illa requiri facultatem Ordinarii, haud vero pro ista. Sicut ergo facultate pro Expositione publica accepta, alia non requiritur pro benedictione; ita posito facultatem non requiri pro Expositione privata, palam sequitur, nec facultatem pro benedictione, quae eam sequitur, exigi. Atqui admittunt omnes post Benedictum XIV expositionem privatam posse haberi sine Episcopi facultate; ergo sine eadem facultate dari benedictio potest cum pyxide, cum illius sit, uti diximus, consectarium.

Animadversionem sequentem iuvet adiicere. Cl. De Herdt dicit: " In Expositionibus privatis (*nempe cum pyxide*), benedictio cum SS. Sacramento *per se* nunquam dari potest (*Pars 2, n. 30*) ". Id probat ex Commentariis ad Instructionem Clementinam, § 36, n. 10 et sequentibus, cl. Gardellini. Quid nihilominus sentiendum sit de iis, quae Gardellinius hac super materia tenet, iam vidimus et probavimus (*V. Ephem. num. 7 vert. anni, pag. 429 et seq. Dub. V*): hoc est, ratio prohibitionis Benedictionis cum pyxide, eidem benedictionis vetito demostrando satis est impar.

Attamen idem superius citatus auctor notat, ad hanc benedictionem non requiri, ut aliae preces praecedant, quia Decreta et auctores citati harum mentionem non faciunt (*loc. cit. n. 32, not. in fine*). Huic sententiae suscribere nequimus, et verum iudicamus oppositum; quia nullus auctor, nullumque S. R. Congñis Decretum dant facultatem Ecclesiarum Rectoribus, ut pro simpliciter benedicendo populo cum pyxide aperire tabernaculum valeant. Pium ergo aliquod exercitium necessario requiritur, saltem cantus aut *Tantum ergo*

recitatio, ut benedictio impartiatur in fine. Hinc vetitum est, Sacerdotem post Missam populo immediate benedicere cum pyxide, eamque recondere, quin prius aliquid vel dicat vel cantet (*Ravennaten. 8 Iul. 1876 ad 1*). Quod ergo, iterum concludimus, cum Ordinarii facultate Rectores Ecclesiae possunt ad benedictionem cum Ostensorio quod attinet, sine eadem facultate iisdem Rectoribus licet, benedictione cum pyxide inspecta. Haec nostra sentiendi ratio, quoad S. R. Congregatio aliquid in contrarium docuerit.

III. *Appendix* **ad praefatum Dubium.** Unus ex Rm̃is Consociatis ad solutionem quod attinet Dubii circa has benedictiones, prouti in suprarelato Ephem. num. expositum fuit, sequentia animadvertit: " Ephemeridum responsio nonne severior est responsione S. R. Congñis 18 Maii 1878 *Societatis Iesu ad V?* Eiusmodi benedictiones repetitae non videntur prohibitae, uti supponunt Ephemerides (*n. 7, pag. 451*), cum relinquantur in Ordinarii dispositione. Praeterea in citato Decreto *Societatis Iesu* agitur de Expositionibus cum Ostensorio: nonne ergo a fortiori id applicandum Expositionibus cum pyxide? "

Huic animadversioni respondemus: *a*) Quantum capimus, severiores non fuimus Sacro Tribunali Rituum. Namque Decretum *Societatis Iesu* negotium de Benedictionibus cum SS. Sacramento remittit prudenti Ordinarii arbitrio. At de hoc ne verba quidem nos fecimus; sed diximus tantum, si moderatione et prudentia utantur Rectores Ecclesiarum, circa praefatas benedictiones, quae pluries dantur in die, non esse interloquendum. Num id permittere Rectoribus severius est, quam Ordinarii arbitrio stare?

Neque obiiciendum, in Decreto agi de benedictionibus cum Ostensorio, dum in Ephemeridibus agitur

de benedictione cum pyxide. — Reponimus enim primo, non ita esse perspicuum, agi in Decreto *exclusive* de benedictione cum Ostensorio. Sed, hoc quoque dato, cum nos dixerimus, plures benedictiones in eadem Ecclesia dari posse cum pyxide quin Ordinarii exquiratur facultas, dum pro benedictione cum Ostensorio illa exigatur; non est, cur noster sentiendi modus severior sit iudicandus quam S. R. Congregationis.

b) Ait insuper Rmus Inquirens, has benedictiones frequentes non videri prohibitas, cum S. R. C. eas ad iudicium remittat Ordinarii. — Sed ratio allata non sufficit, ut probetur dictas benedictiones non esse vetitas. Saepe saepius namque quod Rectores Ecclesiae *per se* nequeunt, iure possunt ex Ordinarii licentia, ad quam superior auctoritas remittit: de quo plura adesse exempla non est dubitandum, ut ab iis afferendis iure dispensemur. Ceterum nescimus, quo innixus fundamento Rmus Inquirens asserat *per se* frequentes Benedictiones non esse vetitas. Communiter enim hanc prohibitionem omnes admittunt. Cl. De Herdt referre sufficiat: " Nimis frequenter eamdem (*Benedictionem cum SS.*) dandam non esse, demonstrant dicta n. 18, quae enim de frequenti Expositione dicta sunt, maiori ratione de frequenti benedictione dicenda sunt. Sic Innocentius XI decernit, quod in omnibus expositionibus... non possit populo dari, nisi una tantum benedictio cum SS. Sacramento etc. Unde benedictio... sine speciali indulto, in principio sacrarum functionum, quae eo exposito celebrantur, dari nequit. In expositionibus privatis benedictio cum SS. Sacramento *per se* nunquam dari potest (*Pars 2, n. 30*) ". Citationes plures dicta confirmant, uti Gardellini in Comment. ad Institutionem Clementinam, Synodus *Belgica*, Decreta S. R. Congregationis etc. etc. Ratio autem

vetiti frequentis sicut Expositionis, ita et benedictionis, est, quia, ait supercitatus De Herdt, *aliud est recte, et aliud frequenter exponi, cum in frequenti Expositione quaedam occurrere possunt, quae in rara Expositione non occurrunt etc. Experientia quotidiana constat omnia etiam sacratiora usu vilescere, et ex familiaritate contemptum nasci: contra vero, quae rara sunt, pretiosa reputari* etc. Haec et alia plura cl. Auctor in citato num. 18, quae ad Benedictionem cum SS. sive solemnem sive privatam aeque applicat. Non ergo Ephemerides censura notandae, si frequentes Benedictiones vetitas ante supposuerunt, et non vetitas impraesentiarum conatae sunt ostendere.

c) Ex dictis patet, R̃mum Inquirentem, quidquid verbis dicat, severiorem revera fuisse quam Ephemerides. Hae namque dixerunt, praeteritis theoriis valedicto, nunc contra Ecclesiarum Rectores, qui pluries in die cum SS. Sacramento benedicunt populo cum pyxide, sensu superius exposito, non esse obloquendum: dum R̃mus Inquirens Decretum *Societatis Iesu*, quod de pluribus Benedictionibus tantum cum Ostensorio supponit agere, indiscriminatim applicare vellet ad Benedictiones plures cum pyxide. Hoc autem significat, illum severioris esse sententiae: ut Rectores non possint Sacramentum in ipsa pyxide exponere sine licentia Episcopi, quod nemo in praesenti docet, nec consequenter sine eadem licentia populo benedicere, quod nos non admisimus et non admittimus.

Ex omnibus unum concludimus. Dum R̃mo Domino gratias de animadversione facta agimus, Decreto *Societatis Iesu* libenter utimur, ut sententiam nostram confirmemus; et securiores quam in praeterito numero, ita arguimus. Exquisita S. R. Congregatio, utrum occasione aliquarum functionum liceret pluries in die in

eadem Ecclesia benedicere populo cum Sacramento prius exposito, respondit, posse ex prudenti Ordinarii arbitrio. At probabilius in Decreto *Societatis Iesu*, quod de hoc disponit, agitur de Expositione et Benedictione solemni, pro quibus facultas Ordinarii ex communi sententia requiritur. Cum itaque nos agamus de Expositione et Benedictione cum pyxide, pro quibus facultas Ordinarii non exigitur, nobis videtur esse certo inferendum: Rectores Ecclesiarum posse, ulla sine licentia Episcopi, data opportunitate et cum debita moderatione, pluries in eorum Ecclesiis, eodem licet die, et Sacramentum in pyxide exponere, et cum ea benedicere populo. Proinde, plures benedictiones in die sunt in praesenti permissae: si solemnes, cum facultate Episcopi: si privatae, etiam sine licentia Episcopi.

IV. *E Zamora in Africa.* **De tempore accendendi et extinguendi Cereum paschalem.** Cereus paschalis regulariter accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis, et diebus dominicis, usque ad festum Ascensionis Domini, quo die, cantato Evangelio, extinguitur (*S. R. C. 19 Maii, 1607*). Quid autem dicendum de usu hac in regione generali, accendendi quidem Cereum paschalem supradictis diebus et in Missa solemni, sed non ante Missam cum aliis cereis, verum sub initio Evangelii cantati, et eum extinguendi, non post Missam, sed immediate post sumptionem SS. Sanguinis?

Resp. Lex de tempore accendendi et extinguendi Cereum paschalem, haud satis est explicita: ut, si citatum non fuisset evulgatum Decretum, sine fine possent quaestiones fieri. Sed et ipsum Decretum citatum, quod est in *Placentina;* sua non caret obscuritate. Verum, quod magis animadvertendum, tum Decretum ipsum *Placentina,* tum auctores, uti peculiariter Castaldus,

consuetudines hac in re, servandas dicunt. Quod profecto demonstrat, apertam non dari legem, cuius locum tenet consuetudo. Citatus Castaldus idem docet, quod Decretum *Placentina;* et insuper docet cum divo Ambrosio, accendendum quoque Cereum in solemnitatibus Martyrum, quae tempore paschali celebrantur; imo in Missis quoque votivis solemnibus (*Lib. III, Sect. VIII, cap. VIII, n. 3*). Qui tamen in fine num. 4 concludit: " Et haec salvo meliori iudicio de cereo paschali adnotasse sufficiat, cum in re indefinita, ut ita dicam, diversarum Ecclesiarum varius sit usus etc. etc. „.

His positis, quomodo consuetudo, de qua in Dubio, iudicanda? Profecto Decreto *Placentina* ea consuetudo non opponitur; namque ad Missam et ad Vesperas accenditur Cereus paschali tempore; sed accenditur tantum ad Evangelium, et post sumptionem Sanguinis extinguitur. Censemus id esse ad mysterium significandum sufficiens; hinc et consuetudo laudabilis, et apprime servanda.

V. *E Belgio.* **De Prima Hora paulo ante meridiem in choro.** Licet ne Primam in choro dicere hora *undecima* antemeridiana?

Resp. Per se nihil obstat: modo aliae Horae minores ordinatim recitentur, suoque tempore ipsa Missa conventualis cantetur.

VI. *Ex eod. loco.* **De hora Litanias mai. vel min. recitandi in choro.** Quando in Rogationibus non fit processio, Litaniae recitari ne debent in choro post Laudes, an post Nonam?

Resp. Affirmative post Laudes, negative post Nonam. Pro recitatione privata habetur sequens in Breviario Rubrica: " Qui non intersunt processioni Rogationum, privatim *post Laudes* dicunt Litanias cum suis precibus etc. „ Hoc fortasse locum dedit propo-

sito Dubio. Hinc respondendum, aliud quidem esse privatam, aliud recitationem Litaniarum publicam, seu in choro agendam. Nihilominus animadvertendum, rationem ex qua in recitatione chorali Litaniae post Nonam dicuntur, est quia post dictam Horam habetur processio, in qua decantantur iuxta Rubricam. Iam nunc, cum supponat quaesitum, processionem non habere locum, cessat ratio eas recitandi post Nonam. Manet ergo ut eadem Rubrica pro recitatione privata, servetur quoque pro recitatione publica. Hoc profecto consultius iudicamus, salvo meliori iudicio.

VII. *Ex eod. loco.* **De inclinatione ad verba** *Corporis et Sanguinis tui* **in Oratione** *Deus qui nobis* etc. Debetne caput inclinare Sacerdos pronuntians ad Orationem *Deus qui nobis* illa verba *Corporis et Sanguinis tui,* uti plerumque fit in Urbe?

Resp. Negative. Rubricae et Decreta nulla obscuritate hac super re laborant: ut quando inclinatio capitis facienda, quando consequenter non facienda, satis abunde notum sit. Atqui de inclinatione ad praefata verba, silent Rubrica et Decreta; ergo quomodo cohonestari queat nescimus. Privata enim devotio valere aliquid potest in privatis, haud vero in publicis cultus actibus, in quibus ratio uniformitatis praevalere debet, et devotionis excessus non est probandus.

VIII. *E Dioecesi Lavallensi.* **De ordine tenendo inter commemorationem feriae VI post oct. Ascens. et semiduplicis simplificati sequentis.** Si feria VI post octavam Ascensionis factum est de duplici et in Sabbato sequenti semiduplex occurrat ad ritum simplicem redigendum, post Vesperas integras praedicti duplicis, agenda ne est prius commemoratio feriae VI et postea semiduplicis, an vice versa, prius semiduplex et postea feria commemorari debet?

Resp. Negative ad primum affirmative ad alterum. Etenim verum est quidem, hanc VI feriam esse singulariter privilegiatam (1), quatenus ritus est semiduplicis, adeo ut aliquod suboriri possit dubium, utrum alteri semiduplici occurrenti in Sabbato praevalere debeat; nihilominus semiduplex illud feriale infimae dignitatis est, ut alteri cuicumque officio novem lectionum, proindeque etiam semiduplici, cedere debeat, uti ex ipsa speciali Rubrica constat, et ex decreto *Veronensi* d. d. 17 Sept. 1853 ad 4. Hinc manifeste consequitur, semiduplex occurrens in sequenti Sabbato, quod ad Vesperas feriae VI commemorandum est, dignius esse feria VI, licet semiduplici ritu et ipsa gaudeat. Ergo commemoratio semiduplicis semplificati praecedere debet commemorationem feriae in casu. Addas, etiam supposita in utroque semiduplici aequalitate dignitatis, praecedentiam non feriae competere sed eidem alteri semiduplici. Namque ad hoc semiduplex quod attinet, agitur de commemoratione quae stat pro primis Vesperis, quas habere non potest, quia ad modum simplicis redactum, quod de feriali semiduplici non comprobatur. Ergo eadem ut supra, certaque conclusio.

---

(1) Hi duo dies sunt quaedam octavae Ascensionis prorogatio ad decem usque. Hoc autem ideo statutum ab Ecclesia est, ut per hos eosdem dies illorum memoria dierum ageretur, quos Apostoli in coenaculo transegerunt, usquedum in Pentecoste digni facti sunt, qui Spiritu Sancto replerentur.

DECRETUM GENERALE

Iuxta Decretum diei 2 Iulii nuper elapsi, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, et Relatore in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposita fuerit approbanda Catalogus Festorum, quae uti *primaria* vel *secundaria* retinenda sunt; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: Affirmative; *evecto ad ritum Duplicis Maioris, in Kalendario universali, festo Dedicationis Basilicae Ssmi Salvatoris, si Sanctissimo placuerit. Catalogus vero ita se habeat:*

FESTA PRIMARIA

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§. I. *Duplicia Primae Classis.*

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.
Ascensio Domini.
Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Assumptio, et Immaculata Conceptio B. M. V.

Nativitas S. Ioannis Baptistae.
Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V.
Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Patronus, vel Titulus Ecclesiae.
Patronus Principalis Regionis, vel Dioecesis, aut loci.

§ II. *Duplicia Secundae Classis.*

Circumcisio Domini.
Festum Ssmae Trinitatis.
Purificatio B. Mariae V.
Annuntiatio B. Mariae V.
Visitatio B. Mariae V.
Nativitas B. Mariae V.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia Undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum Ss. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annae, Matris B. M. V.
Festum S. Ioachim, Patris B. M. V.

§ III. *Duplicia Maiora per Annum.*

Transfiguratio Domini.
Dedicatio Basilicae Ssmi Salvatoris.
Dedicatio S. Mariae ad Nives.
Festum Ss. Angelorum Custodum.
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum.

Festum S. Barnabae.
Festum S. Benedicti Abb.
Festum S. Dominici C.
Festum S. Francisci C.
Festum Patronorum minus Principalium.

§ IV. *Alia duplicia per Annum.*

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.
S. Raphaelis Archangeli.
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.
Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiae in Ecclesiis Dioeceseos asservantur.

FESTA SECUNDARIA

IN CALENDARIO UNIVERSALI

§ I. *Duplicia Primae Classis.*

Sacratissimi Cordis Iesu.

§ II. *Duplicia Secundae Classis.*

Festum Ssmi Nominis Iesu.

Festum Inventionis S. Crucis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
Solemnitas Ssmi Rosarii B. M. V.
Festum Patrocinii S. Ioseph.

§ III. *Duplicia Maiora.*

Exaltatio S. Crucis.
Duo festa Septem Dolorum B. M. V.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.
Festum Ssmi Nominis B. M. V.
Festum de Mercede B. M. V.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Decollatio S. Ioannis Baptistae.
Cathedra S. Petri Ap., utraque.
Festum eiusdem ad Vincula.
Conversio, et Commemoratio S. Pauli Ap.
Festum S. Ioannis ante portam Latinam.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. I. C.
Ssmi Redemptoris.
Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.
Ssmi Cordis Mariae.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.
Translationis Almae Domus B. M. V.
Exspectationis Partus B. M. V.
B. M. V. Auxilium Christianorum.

Prodigiorum B. M. V.
Apparitionis B. M. V. Immaculatae.
Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum.

Item alia quaecumque festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

Die 22 Augusti 1893.

Facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per me ipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua duplicem Catalogum, prouti superius exstat, approbavit ac vulgari praecepit; elevato ad ritum duplicem maiorem, una cum festo Dedicationis Basilicae Ssm̃i Salvatoris, festo etiam Dedicationis Basilicarum Ssm̃i Petri et Pauli Apostolorum. Die 27, iisdem mense et anno.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Sigilli.

Vincentius Nussi
S. R. C. Secretarius.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

DECRETUM GENERALE.

Postquam anno superiore per Decretum *Urbis et Orbis* festum S. Ioseph Confessoris, Sponsi Deiparae Virginis atque universalis Ecclesiae Patroni, ad ritum duplicem primae classis iampridem evectum, privilegio ditatum fuit translationis in feriam secundam subsequentem quoties illud in Dominicam Passionis incideret, et in feriam quartam post Dominicam in Albis quando die decimanona Martii vel Dominica Palmarum, vel aliqua ex feriis Hebdomadae Maioris occurreret; a nonnullis rei liturgicae peritis Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit, nimirum : *An festum S. Ioseph, Sponsi B. M. V., quum transfertur in feriam II. post Dominicam Passionis, vel ad feriam IV. post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, praeferri debeat tam in occurrentia quam in concurrentia festis primae classis etiam Patroni loci, Tituli et Dedicationis Ecclesiae in praefatis diebus occurrentibus?* Hoc porro dubium quum a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Prae-

fecto in Ordinario Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, propositum fuerit; Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, exquisito voto aliquorum e Rmis Patribus Consultoribus, re mature perpensa, ita rescribere rati sunt, videlicet: *Festum S. Ioseph in casu transferendum ad normam Decreti lati de festo Sanctissimi Cordis Iesu, nempe locum cedat tantummodo Duplicibus primae classis, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiae, locique Patroni, quando haec sub duplici praecepto fiant: quibus in casibus, die immediate sequenti illud reponatur.*

Idem etiam statuit Sacra Congregatio pro simili incidentia quoad translationem festorum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, et Annuntiationis B. Mariae Virginis: suppressis quibuscumque anterioribus decretis diversum, seu contrarium disponentibus. Die 27 Iunii 1893.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatione per me infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habuit, et confirmavit. Die 2 Iulii, anno eodem.

Loco ✠ Sigilli

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Vincentius Nussi S. R. C. *Secretarius.*

AD PREFATUM GENERALE DECRETUM COMMENTARIA

1. Decretum hoc Generale tria statuit, et quidem maximae gravitatis, super quae non possumus quin lectorum nostrorum peculiarem attentionem excitemus. Singula enim Ephemerides nostras multo honore afficiunt, et specialiter coadiutorem nostrum rei liturgicae citra controversiam peritissimum cl. Doctorem Piacenza.

2. Decretum itaque primo statuit, festum S. Ioseph a die 19 Martii translatum, si impeditum evadat ob aliquod ex tribus solemnioribus festis localibus, quae cum feriatione recoluntur, locum his cedere, iterumque transferri in sequentem similiter non impeditam diem.

Nostrum ac super re videndi modum iam anno praeterito exposuimus (*Vid. Ephem. pag. 619, n. 5*), nihilominus aliquantulum haesitantes. Nunc gaudemus nobis, quod S. R. C. auctoritate sua rem definit, ut omnem liceat nobis et ceteris dubitationem deponere; et controversiam dirimit eodem sensu, quo ipsimet nostram opinionem declaravimus. Duo interim impraesenti animadvertenda nobis peculiariter sunt. Primum respicit principium, cui innixi sententiam nostram defendimus, quam nunc S. R. C. in legem convertit. Principium fuit, aequum esse ut officium cederet festo: consequenter S. Ioseph cuius festum iam die 19 Martii celebratum erat, cedere debebat locum S. alicui Patrono, vel Titulari, vel Dedicationi Ecclesiae,

cuius, et quidem cum feriatione, erat festum recolendum. Itaque translatio S. Ioseph in primam diem non liberam privilegium est; sed eo usque non debet extendi, ut festum exturbet cum feriatione celebrandum. Equidem privilegium efficit, ut officium praeferatur festo, quod est praeter communem Rubricarum legem, ut alibi expositum est. Nihilominus si festum celebretur cum feriatione, cessat privilegium, et S. Ioseph, ita disponente lege praesentis Decreti, legi communi subiicitur: quamvis iterum ex privilegio in diem sequentem transferri debeat.

Alterum quod animadvertimus, est, Decreti praesentis dispositionem esse veluti consectarium alterius Decreti circa praelationem festi primarii super secundario, quamvis istud illi dignitate praestantius sit. Et sane, Rm̃us Dom. Dom. Augustinus Caprara in suis animadversionibus ad Catalogum festorum, quae seu primaria seu secundaria sunt, iure docet, primaria festa illa esse, quae variis de causis, quas recenset, solemniora sunt. Nunc autem nemini dubitandum, feriationem maximam inducere in festis solemnitatem: ut proinde in praelatione non possit, quin ad hanc solemnitatis speciem respectus habeatur. Toto ergo iure consequens erat, ut si festum S. Ioseph translatum in festum incideret solemnius in locis cum feriatione recolendum, huic deberet cedere, quippe quod maxima cum solemnitate celebrandum.

3. Sed notandum praeterea, translationem S. Ioseph faciendam esse *ad normam Decreti lati de festo SS. Cordis Iesu.* Ita Decretum praesens. Hoc vero de SS. Corde Decretum explicite de Occurrentia loquitur; sed ad Concurrentiam quod

pertinet cum duplicibus 1. classis, edicit tantum, Vesperas esse ordinandas *ad tramitem Rubricarum et Decretorum S. R. Congregationis.* Quid ergo agendum si Vesperae SS. Cordis concurrant cum Vesperis alterius festi dup. primae classis? Respondet quaesito aliud Decretum Dubii d. d. 5 Sept. 1891 (*V. Ephem. an. 1891, pag. 537*): quod statuit, Decretum de SS. Corde intelligendum esse, *tam pro Occurrentia, quam pro Concurrentia.* Ergo si festum S. Ioseph translatum non solum occurrat, sed et concurrat cum aliquo ex tribus festis in locis solemnioribus praeceptivis, huic semper primas cedet; et in concursu Vesperae integrae fiant de festo solemniori cum commemoratione S. Ioseph.

4. Statuit secundo loco Decretum, idem quod pro translatione S. Ioseph dictum est, intelligendum quoque esse *pro simili incidentia quoad translationem Nativitatis S. Ioannis Baptistae.*

De hac quaestione pluries mentionem fecerant Ephemerides; imo haec eadem quaestio proposita fuit, ut resolveretur, in Academia Liturgica Romana (*V. an. 1892 pag. 649, specialiter ad paginam 656*). Nunc autem eadem Academia eodem sensu quaestionem sibi propositam resolvit, hoc est: Si S. Ioannes Baptista occurrat in die translata cum S. Gulielmo ubi de hoc fit patronale festum, transfertur in diem immediate sequentem, alterius dignitate neglecta, ob maiorem solemnitatem feriationis, qua S. Gulielmus gaudet. Haec nihilominus Ephemerides docuerunt pariter aliqua cum haesitatione, ob Rubricam specialem, quae de festo cum feriatione aut sine feriatione non se occupat, sed tantum de ritu. Ast quod

hucusque dictum fuit cum quadam errandi formidine, nunc omni cum certitudine tenendum est, ita disponente praesenti Decreto. Ex quo inferendum, sententiam Cavalerii contrarium docentem, amplius non posse in praxim deduci; et in casu huiusmodi Occurrentiae, imo et Concurrentiae, festum locale cum feriatione semper praeferri debet, in paritate quidem ritus.

Itaque Rubrica Breviarii (*Tit. 10, n. 2*) dicit: « Si festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem ». Nunc autem ita est intelligenda, ac si ibi additum esset: *quae non sit impedita festo duplici primae classis cum feriatione, tunc enim transfertur iterum in sequentem diem similiter non impeditam.*

5. Sed idem Decretum edicit, idem quod de S. Ioanne Baptista, esse pariter intelligendum de Annuntiatione B. Mariae Virginis. Si itaque festum Annuntiationis etiam cum feriatione transferri contingat, incidatque in unum ex tribus praedictis solemnioribus festis, quod cum feriatione pariter recolatur, iterum transfertur in sequentem diem simili festo non impeditam. Diximus *etiam cum feriatione;* si enim ageretur de mera translatione officii Annuntiationis, nulla foret quaestio, quia Decretum in *Aquen.* 2. Sept. 1741 aperte disponit, hoc festum sine feriatione translatum non praeferri festis dupl. 1. cl. eadem die occurrentibus. Cum autem praesens Decretum anteriora supprimat contrarium disponentia, dicendum est illud non posse intelligi, nisi de Annuntiatione translata simul cum sibi adnexa feriatione.

Nunc autem excitemus oportet attentionem lectorum nostrorum super hac materia, quae valde nimis agitata in Ephemeridibus fuit inter cl. Coadiutores nostros Doct. Piacenza aliosque plures, maxime Paroch. Fourneret, sibi invicem adversantes strenueque pugnantes. Anno itaque 1888 cl. Piacenza primo sustinuit, Annuntiationem die sua 25 Martii praevalere, si aliquando occurrant simul, Patrono, Titulo, et Dedicationi propriae Ecclesiae. Thesis argumento sequenti innitebatur: Quando festum Annuntiationis transfertur cum feriatione in feriam II post Dominicam in Albis, eo prorsus modo et forma celebrandum est, quibus propria die 25 Martii celebraretur (*Decr. Gen. 11 Mart. 1690*). Atqui in die translata festum Annuntiationis cum feriatione praevalet cuicumque duplici primae classis (*Id. Decr. cit.*); ergo a fortiori cuicumque festo duplici 1. classis praevalere dicendum est in die sua 25 Martii. Hanc eamdem thesim confirmavit solidiori ratiocinatione in eiusdem pertractione quaestionis an. 1889, uti videre est ad pag. 27 et sequentibus. Idque, seu ex eo quod inauditum appareat, festum magis esse posse privilegiatum in die translata quam in die sua, seu ex distinctione inter dignitatem festi, et dignitatem officii.

At fortiter, validissimisque momentis Doctori Piacenza obstitit cl. Fourneret, opponens Rubricas Breviarii, circa ritum dup. 2. cl. non praeferendum duplicibus superioribus, et Dominicas 1. classis, quae Annuntiationi in die sua occurrenti praevalent: sicut et alia plura, ex quibus oppositam statuit defenditque sententiam, haud obstantibus obiectis, quae conatus est retundere.

At contra cl. Fourneret iterum resumpsit arma, pugnavitque cl. Piacenza, a quibus pariter se defendit cl. Fourneret, suamque iterum firmavit contrariam alteri sententiam. Denique, ut finis controversiae imponeretur, Epistolam cl. Piacenza ad Ephemeridum Moderatorem dedit, Dubiumque efformavit S. R. Coñgni per eumdem Moderatorem proponendum: quod et factum fuit. Hinc die 23 Augusti an. 1890 S. R. C. Decretum evulgabat in *Romana*, quo declarabat, quasi iniuste contendisset cl. Piacenza, iuste vero cl. Fourneret: Annuntiationis festum privilegio, quo gaudet in die translata, praevalendi videlicet cuicumque duplici primae classis, si cum feriatione translatum fuisset, NON GAUDERE IN DIE PROPRIA (*V. Ephem. an. 1890, pag. 549-550, Dub. II*).

Ad Sacri Tribunalis voluntatem cl. Piacenza, uti per erat, sicut ipsimet humiliter acquievimus, sperantes nihilominus, fore ut, negotio maturius deinceps perpenso, aliter componi posset controversia. Nacta vero occasione ex resolvenda gravissima inter primaria et secundaria festa quaestione, iterum private licet, ante Sacrum Tribunal negotium huiusmodi promotum fuit, momentaque exposita, ut, si Ei placeret, penitius expenderentur. Namque praeterquam quod difficultas insoluta manebat adhuc, *Non plus decet privilegiatum esse festum in die translata quam in propria;* festum patronale maximam praesefert solemnitatem, ritusque est superioris quam Annuntiatio. Subsumi quidem poterat, festum Annuntiationis etiam feria II post Dominicam in Albis celebrandum, non considerandum esse ut in die translata, sed tamquam in propria. At non ideo explanata difficul-

tas erat; si enim praevalere Annuntiatio debebat in dicta feria duplicibus quibuscumque primae classis, quanam de causa die 25 Martii eadem praelatione non gauderet? Fortasse, ne feriatio nimis hac illac vagaretur. Sed feriatio semel remissa ad feriam II post Dominicam in Albis, non remittitur amplius. Accidisset ergo de Annuntiatione quod de aliis festis communiter in occurrentia accidit, quando cum feriatione aguntur, et nihilominus aliis festis ritus superioris impediuntur: videlicet, festum superius recolitur cum officio, et simul feriatio celebratur festi transferendi: de hoc autem ad aliam diem amandatur officium. Haec et alia exponere privatim licuit, cum submissione tamen, ut quidquid iterum Sacro Tribunali decernere placuisset, in illius decisione acquievissemus.

Quidquid sit, Emus Sacror. Rit. Congni Praefectus hoc idem proposuit Dubium in Ordinario ad Vaticanum coadunato Coetu, coram aliis Emis et Rmis Purpuratis Patribus, Sacris tuendis Ritibus praepositis; et responsum vulgatumque est, festum Annuntiationis etsi cum feriatione translatum non praevalere Patrono, Titulo ac Dedicationi Ecclesiae, si cum feriatione haec quoque festa sint recolenda.

Quid ergo consequitur ad cl. Coadiutores nostros quod spectat, qui strenue inter se pro veritate, mutuoque cum honore decertarunt? Optime de liturgica veritate uterque meriti sunt. Laus sit ergo cl. Fourneret, qui Rubricam defendit, sustinuitque, Annunntiationem in die sua non posse praeferri festo duplici primae classis, etsi hoc Patronus esset, Titulus, aut Dedicatio: quamvis

vi Decretorum Annuntiationi cum feriatione translatae idem tribuisset privilegium. Sit et cl. Piacenza laus, qui severiori argumentatione utens, sustinuit non posse concipi, quomodo translata Annuntiatio cum feriatione, Patrono, Titulo ac Dedicationi praeferenda esset, quin eodem potiretur privilegio in die sua.

Sapientissima nunc S. R. Congregatio quaestionem praesenti Decreto composuit, privilegium Annuntiationis translatae limitans, revocansque praeterita Decreta, quae oppositum disponebant. Nunc ergo Roma locuta est, et controversia dirempta est, de qua unus et alter Coadiutor noster apprime disceptarunt.

Interim duo ex dictis inferre liceat. Primo: Vi sua destituitur Decretum Gen. d. d. 11 Mart. 1690: item Decretum in *Aquen.* d. d. 2 Sept. 1741 ad 1, revocatum indices; quia utrumque aliquid in contrarium statuit ab eo, quod decernitur in praesenti Decreto. Revocatum pariter censeas Decretum Generale d. d. 25 Mart. 1817 ad 1. et 2. ex eadem adducta superius ratione. Denique locum amplius non habet recentius Decretum in *Romana* ad Dub. II, d. d. 23 Aug. 1890. Neque mireris, si aliqua ex dictis confirmationem a Summo Pontifice habuerint; namque Decretum praesens ab Auctoritate etiam Apostolica confirmatum, aliud statuens, illa revocanda iubet.

Secundo: quicumque in re liturgica se placent, et nostras Ephemerides probabunt, quae peritis disceptandi copiam in suis paginis largiuntur, ut supremi quoque Tribunalis accedente iudicio, veritas patefiat.

II.

GOANA.

Illmus ac Rmus Dñus Antonius Sebastianus Valente hodiernus Patriarcha Indiarum Orientalium atque Archiepiscopus Goanus Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia, pro opportuna solutione subiecit, nimirum:

Dubium I. An stantes, aut genuflexi esse debeant Canonici initio Missae privatae Episcopi et ad benedictionem, cum eidem Missae assistunt? Insuper in dicta assistentia an uti possint insignibus canonicalibus, an tantum superpelliceo, vel etiam rocchetto, si eius privilegio fruantur?

Dubium II. Potestne tolerari quod in Officio Feriae IV, V, et VI Maioris Hebdomadae cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum sono organi aut aliorum instrumentorum, et quod perdurante expositione Sanctissimi Sacramenti, concinantur versiculi (mottetti) pariter cum sono organi aut aliorum instrumentorum musicalium, sive horis vespertinis Feriae V, sive de mane Feriae VI eiusdem Maioris Hebdomadae?

Dubium III. In cantu Evangelii Passionis D. N. I. C. per Maiorem Hebdomadam potestne admitti:

a) usus trium pluteorum sive legivorum et totidem librorum?

b) quod cantores habeant faciem conversam ad Celebrantem?

c) quod unus cantorum sit in ambone et alii duo in separato quoque altari?

d) Cum Celebrans defectu ministrorum debeat esse unus ex cantoribus Evangelii Passionis, debetne

se collocare a cornu Evangelii, an vero a cornu Epistolae?

Dubium IV. In aliquibus Goanae Archidioeceseos Ecclesiis celebratur festum Transitus Beatae Mariae Virginis a die 13 ad diem 14 Augusti, per processionem qua defertur imago ipsius Deiparae in feretro deposita ac si demortua iaceret, ibique relinquitur usque ad primas Vesperas diei Assumptionis, tunc imago erecta sistitur ac si viva esset. Licet ne huiusmodi usus cum hisce ritibus tolerare?

Dubium V. Potestne tolerari ut velo seu pallio contegatur imago D. N. I. C. in processione Feriae VI Maioris Hebdomadae quod generatim in Goana Archidioecesi locum obtinet, quemadmodum etiam in processione super memorata Transitus B. M. V. fieri solet?

Dubium VI. Prohibendus ne erit usus contegendi ramis et floribus tumulos, qui eriguntur in Ecclesiis occasione funeralium?

Dubium VII. In Seminario Racholensi quotannis celebratur cum magno pompae apparatu dies qua fit initium scholarum. Quaeritur utrum huiusmodi solemnitas praebeat sufficiens motivum celebrandi, uti fit, Missam votivam solemnem de Spiritu Sancto? Et quatenus affirmative, poterit ne Ordinarius indulgere veniam, ut in perpetuum haec Missa celebretur?

Dubium VIII. Quum Ecclesia praefati Seminarii Titularem habeat S. Ignatium de Loyola, debet ne eiusdem Sancti nomen commemorari in oratione " A cunctis " in Missis quae celebrantur in Oratorio interiori Seminarii, loco nominis Sancti Patroni loci?

Dubium IX. Potestne Ordinarius locorum transferre propter quodvis etiam leve motivum festivitates quoad solemnitatem extrinsecam, et permittere quod in die

proprio Festi solummodo Missa diei cantetur absque alia pompa in eadem Ecclesia, ubi celebranda erit festivitas in aliam diem translata?

Dubium X. Debet ne aboleri, an servari potest communis praxis existens in Archidioecesi Goana, quamvis ea sit contraria praescripto Ritualis, quod nempe in mandandis sepulturae clericis vel pueris, Parochus, loco praecedendi sequatur feretrum, saltem quando hoc defertur a clericis?

Dubium XI. Utrum Episcopo adsistente in throno Missae celebratae ab aliquo qui habeat dignitatem in Capitulo, possit hic sedere ad hymnum " Gloria „ et ad " Credo „ contra thronum Episcopi in sella instructa brachiis et fulcimento pro humeris?

Dubium XII. Utrum Canonicis Missam celebrantibus solemnioribus diebus, cum vel sine adsistentia Episcopi, liceat uti alba ornata fimbriis seu reticulo a cingulo deorsum?

Dubium XIII. Utrum quando Ordinarius committit administrationem alicuius Parochialis Ecclesiae Sacerdoti Regulari, debeat hic sequi in celebratione Missae Kalendarium Dioecesanum an proprium Ordinis; et quatenus affirmative pro Kalendario proprio Ordinis, utrum Sacerdotes saeculares in eadem Ecclesia celebrantes debeant Dioecesanum Kalendarium sequi, etiamsi id importet differentiam quoad colorem paramentorum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Stare debent tantum ad benedictionem, et adhibeant solummodo rochettum cum superpelliceo.

Ad II. Negative quoad Lamentationes, Responsoria et Psalmum " *Miserere* „ nec non ad reliquas litur-

gicas partes: in versiculis autem coram Sanctissimo Sacramento tolerari posse, attenta antiqua consuetudine.

Ad III. Affirmative ad 1^{am} partem: Negative ad 2 et 3: ad 4 Affirmative ad primam quaestionem, et detur Decretum in Tridentina 14 Martii 1836 ad 4: Negative ad secundam.

Ad IV, V, VI. Tolerari posse.

Ad VII. Ad primam partem decernendum ab Episcopo: ad 2 Negative.

Ad VIII. In Oratorio privato Seminarii Racholensis, in oratione " *A cunctis* " exprimendum est nomen Sancti Titularis Ecclesiae eiusdem Seminarii.

Ad IX. Negative.

Ad X. Servetur Rituale Romanum Tit. 6, c. 3. n. 1.

Ad XI. Obstant Decreta.

Ad XII. Tolerari posse.

Ad XIII. Ad 1^{am} partem detur Decretum in Tuden. 23 Maii 1846 ad 5: ad 2^{am} partem, Dilata.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 16 Iunii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Pro R. P. D. VINCENTIO NUSSI *S. R. C. Secretario*
IOANNES Can. PONZI *Subst.*

ANIMADVERSIONES ET CONSECTARIA
EX DECRETO GENERALI SUPER PRIMARIIS ET SECUNDARIIS FESTIS

Roma locuta est: causa finita est circa primaria et secundaria festa: adeo ut quidquid hucusque auctores, etiam antiquioris rationis disceptaverint, uti ex. gr. Meratus et Cavalerius, pro nihilo habendum sit. Dantur ergo, citra ullam controversiam, duplicia festa primaria, et duplicia festa secundaria: quae primae classis esse possunt, secundae classis, maiora et etiam minora. Quod ad ultimum spectat, de quo aliquod posset suboriri dubium, educitur ex quarto § Catalogi, quae inter festa primaria recenset *diem natalitiam vel quasi natalitiam Sanctorum:* haec autem in calendario universali est, ut plurimum, duplex minus. Item educitur ex ultimo inter secundaria recensito festo, seu *Commemoratio Omnium Ss. Summorum Pontificum,* quae in Calendario Cleri Romani duplex pariter minus est.

1. Ex Decreto *Einsidlen.* d. d. 23 Iun. 1736 ad 1, constat, festum magis particulare praeferendum in occurrentia festo minus particulari, si paritas detur ritus. Quid, si festum magis particulare esset secundarium, et minus particulare primarium esset, licet utrumque ritus duplicis minoris? Respondendum arbitramur, festum primarium praeferendum secundario, etiam in oasu; namque idem

decretum aperte docet (in Dubii saltem expositione, ad cuius sensum S. R. C. respondet), praecedentiam festo magis particulari prae alio concedendam esse quidem, sed in paritate ritus, et si alias sint quomodocumque paria. Iam nunc, doctrina admissa festi primarii super secundario, palam sequitur, hanc qualitatem primarii efficere, ut duo festa eiusdem ritus, quorum alterum primarium, alterum secundarium est, non sint paria. Ergo dicto, et non alio sensu, decretum *Einsidlen.* intelligi debet.

2. Mirabuntur fortasse plures, quod inter festa primaria sint recensita quatuor haec festa, ut Transfigurationem sileamus, Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris, S. Mariae ad Nives, S. Petri, et S. Pauli extra moenia. Sed et iudicamus id statutum Apostolica auctoritate fuisse, in venerationem quatuor Basilicarum, quae Urbis quidem, sed et Orbis quoque maximo iure sunt. Ex hac dispositione duo nobis sequi videntur, quae nihilominus omnino certa et indiscutibilia credimus. *a*) Festum aliquod esse potest secundarium *per se*, et nihilominus aliqua de causa extrinseca primarium, uti comprobatur in pluribus festis Domini, et Deiparae, quae licet per se secundaria, ratione patronatus primaria fiunt. Hoc quoque in casu, ni fallimur, comprobatur: ceterum si nostra nos fallit opinio, nil sequitur incommodi, dummodo ea uti primaria habeantur, quia inter primaria competens auctoritas illa recenset. *b*) Cave tamen, ne incertam et veluti nutantem iudices doctrinam hucusque ab auctoribus traditam, Dedicationem videlicet Ecclesiae non propriae esse festum secundarium. Hoc enim adhuc certum est,

et S. R. Congregatio quatuor praefata festa inter primaria recensendo, nil voluit de antiqua constantique doctrina Liturgicorum omnium immutare. Consequenter, quamvis quatuor praedicta festa primaria sint, festa reliqua, quae Dedicationem alienae Ecclesiae respiciunt, secundaria sunt.

3. Festum Patronorum minus principalium ultimum est inter recensita festa primaria ritus dupl. maioris. Sed animadvertas scriptum esse *festum*, non vero *festa*: ut omnes intelligant Patronorum minus principalium festa esse quidem primaria si agatur de die eorum natali, vel quasi natali, non autem si agatur de eorumdem Inventione Corporum, translatione Reliquiarum etc. In hoc enim pares sunt aliis Sanctis ipsimet Patroni, quatenus nonnisi uno tantum festo primario gaudent. Quod ceterum ex ipso Universali Ecclesiae Patrono abunde constat, quippe qui, festo primario unico excepto, quod dies est quasi natalitia, aliud, quod in eius patrocinio consistit, nonnisi inter secundaria habet, uti in ipso Catalogo videre est.

4. Admirationem quandam pariet fortasse et Commemoratio S. Pauli, quae inter secundaria festa posita fuit. Ad sapienter id credimus fuisse factum. Et sane, quare festum istud *Commemoratio* semper ab institutione appellata fuit? Nonne hoc solum demonstrat, huiusmodi festum esse aliquid minus principale, quod alterum eiusdem festum praecipuum seu primarium supponit? Et quomodonam praeterea sapiens mater Ecclesia festum instituisset sub ritu dup. minori, quo gavisum fuit ad nostra usque tempora, solummodo

enim anno 1883 evectum fuit ad dup. maius? Quare Apostolorum principi eiusmodi ritus, nisi quia festum est secundarium, haud vero primarium? Denique nonne festum, quod die 29 Iunii recolitur, ad unum pertinet et ad alterum Apostolorum principem? Nonne Ecclesia canit, Deum huiusmodi consecrasse diem Apostolorum Petri et Pauli Martyrio? En ergo primarium S. Pauli festum, proindeque Commemoratio nonnisi secundarium est. At dices Commemorationem istam esse continuationem festi diei 29. Et vehementer negamus, primo ex diversitate ritus, secundo quia dies 29na ad duos pertinet, 30ma vero ad unum tantum: quid ergo esset continuatio festi, cuius mutatur obiectum? Tertio ex ratione institutionis: Baronius enim refert, Summum Pontificem die 29 fuisse solitum obire Pontificias functiones in utraque Ecclesia S. Petri et S. Pauli. Sed ob distantiam locorum consultius visum est, *duobus diebus integrum de iis agere festum.* Hoc tamem mica salis accipias velim, stricte enim loquendo, continuatur festum s. Pauli, non autem S. Petri, nisi octavam consideres: secus idem servaretur ritus, eademque diei 29 classis. Manet ergo, ut sapientiam confiteamur dispositionis S. R. C. qua Commemoratio S. Pauli inter secundaria festa iure merito recensita est.

5. Aliquis pariter admirabitur inter primaria festa positam Commemorationem Sanctorum, quorum Corpora vel Reliquiae in propriis Ecclesiis asservantur. Sed eo id credimus actum esse consilio, quia saepe accidit, ut ob multitudinem Reliquiarum, de singulis, quorum Reliquiae asservantur, Sanctis, non recolatur in propriis Ecclesiis

officium. Ex quo sequitur, festum huiusmodi, licet per se possit esse secundarium, aliquos quod spectat Sanctos, ad nonnullos alios nihilominus quod pertinet, primarium considerari potest, utpote unicum quod celebratur, et proinde quasi natalitium habetur. Cum ergo hoc festum universos respiciat Sanctos, quorum asservantur in relativis Ecclesiis Reliquiae, maluit S. R. C. illud primarium quam secundarium auctoritate sua statuere; atque ita cleri et fidelium devotiôni satisfacere, cum idem festum aliis secundariis, sive occurrentibus sive concurrentibus, praeferri possit et debeat.

6. Notum est omnibus Sacrae Liturgiae peritis, super festis primariis et secundariis plura emanata fuisse authentica Decreta. Ex his nonnulla dignitati festorum favent, primarii et secundarii ratione spreta: nonnulla vero primariis favent festis, dignitate secundarii neglecta. Resoluta nunc quaestione, iudicandum iam, Decreta omnia veluti revocata censenda esse, quae aliud statuebant a nunc posito principio. Inferes, inter Desponsationem almae Virginis cum S. Ioseph et Orationem D. N. I. C. in Horto, praecedentiam Orationi competere, quia certum impraesenti est, Desponsationem esse secundarium festum, sicut et Orationem. Porro, ceteris paribus, debet praevalere dignitas. Decretum ergo aliquando hoc super Dubio emanatum, et Desponsationi favens, iam revocatum et tamquam nullum iudicabis, eo magis quod explicite abstrahit a solutione quaestionis iam resolutae. Inferes etiam revocatum censendum esse Decretum *Namurcen.* d. d. 11 Aug. 1886, statuens generaliter, officia Passionis tam in Concurrentia quam in Occurrentia, cum quovis festo principali,

seu primario praecedentiam habere: idem de alio quodam, quod eorumdem saltem in Occursu praecedentiam statuit super alia festa inferioris dignitatis. Ratio est, quia eiusmodi particularia Decreta a gravis solutione quaestionis dependebant, qua nunc resoluta, illa vim amplius non possident. Catalogus autem, Passionis festa inter secundaria collocat: sive ergo occurrant, sive concurrant cum alio festo primario eiusdem ritus, huic illa primas cedent.

7. Rubrica Breviarii titulo XI n. 2 sub fine edicit: « Inter festa aequalis solemnitatis servetur hic ordo, ut festa Domini praeferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras, sicuti festa Beatae Mariae festis Sanctorum etc. ». Resoluta quaestione, certo statuendum est, ita Rubricam praefatam esse intelligendam, ut festa Domini aliis omnibus, sicuti festa B. Mariae festis Sanctorum, tunc solum esse in paritate ritus praeferenda, cum primaria sunt: cum vero secundaria, cedant oportet aliis etsi inferioris dignitatis, si primaria fuerint. Eamdem applices distinctionem, eamdemque intelligentiam Rubricae 6 tituli X de translatione festorum. Verbo: Duobus occurrentibus festis illud semper dignius est, et praeferendum in paritate ritus, quod est primarium, postponendumque semper secundarium, dignitate neglecta.

Haec nobis animadvertere opportunum visum est, ut nonnullis ex Venerabilibus Consociatis faceremus satis, qui iam nunnullas ostenderunt incertitudines, et aliis fortasse, ut eorum difficultatibus iremus obviam.

DE ORDINE IN COMMEMORATIONIBUS SERVANDO

ANIMADVERSIONES CL. P. LAFRASSE CONTRA *EPHEMERIDUM* DOCTRINAM

Norunt *Ephemeridum Liturgicarum* lectores controversiam de ordine in commemorationibus servando agitatam anno 1888. Ab eo tempore litem hoc super negotio instaurare, quamquam pluries rogati, semper abnuimus, satius ducentes (ut nuper monebamus) iudicium Supremae Auctoritatis, si quod proferre ei placuerit, cum omni reverentia expectare. Quum autem his postremis temporibus lis iterum agitari coepta sit, pluraque in ultimo Ephemeridum numero exposita fuerint quae, nostro iudicio, minus probari queant, sit nobis venia quaedam ad argumenta ibi allata reponendi, ut, perpensis rationibus quae utrinque afferuntur, facilius ac melius perspiciat prudens lector cuinam sententiae calculum adiicere debeat.

I. Iuxta *Ephemerides Liturgicas*, Titulus IX. Rubricarum agit de solis commemorationibus officiorum occurrentium, silet omnino de commemoratione officii concurrentis; unde inferunt huic applicari non debere quae praefati Tituli numerus 11^{us} docet de ordine in commemorationibus servando. Nos econtra dicimus, Titulum IX agere de commemorationibus officiorum sive occurrentium sive concurrentium, illud cum Bouvry adiungentes, esse etiam recurrendum ad Tit. X. *De translatione* et ad Tit. XI. *De Concurrentia*, ut habeatur doctrina completa de commemorationibus. Hi enim Tituli et Tit. IX, sese mutuo complent.

Nostrae sententiae suffragatur non modo consensus Liturgicorum auctorum, qui sane plurimi faciendus est, sed etiam ipse textus Rubricae. Quo enim pacto negari potest in hoc Titulo agi etiam de commemoratione concurrentis officii, quando haec in eo leguntur:

(N. 4).... " In primis Vesperis huiusmodi Festi (solemnis principalis alicuius loci) nulla fit commemoratio... alicuius praecedentis Festi novem Lectionum (nisi id Festum fuerit ex iis quae infra in hac eadem Rubrica enumerantur), nec diei octavae, nec Dominicae, si Festum illud solemne celebretur Feria secunda; exceptis Dominicis Adventus et Dominicis a Septuagesima usque ad Octavam Paschae inclusive... In secundis autem Vesperis Festi praedicti fit commemoratio de Duplici, Semiduplici et Dominica sequentibus, et non de aliis ".

(N. 5) " Idem servatur in quibusdam Festis maioribus per annum, scilicet... (Hic Rubrica recenset Festa dupl. 1 classis): in quibus Festis fiunt commemorationes eo modo tantum quo dictum est supra de Festo solemni alicuius loci ".

(N. 6) " In Festis autem secundi ordinis, videlicet... (Hic ea enumerat Rubrica) in primis Vesperis fit commemoratio Festi Duplicis eo die celebrati, nisi aliter in propriis locis notetur: de Dominica vero, de die infra Octavam et de Festis Semiduplicibus non fit commemoratio, eo modo quo nec in Festo solemni alicuius loci, ut dictum est supra... In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequenti Festo, etiam Simplici ".

Numeri 7, et 8, pariter agunt de commemorationibus tam in concurrentia quam in occurrentia, ut cuique legenti patet.

Iam nunc quaerimus: Potestne adhuc sustineri in praefato Titulo IX, agi tantummodo de Commemorationibus officiorum occurrentium? Nonne textus allati manifeste loquuntur de commemorationibus officiorum concurrentium? Quod si ita est, liquido fluit numero 11, in quo statuitur ordo in commemorationibus servandus, valere sive in concurrentia sive in occurrentia. Nihil igitur mirum si in hoc sensu praefatam Rubricam omnes intellexerint Liturgistae; nihil mirum si ipsa S. R. C., cuius est Rubricas authentice interpretari, diserte docuerit, suo Decreto d. d. 10 Ianuar. 1693, hoc ipso num. 11, Tituli IX, determinari ordinem servandum in commemorationibus officiorum concurrentium; nihil denique mirum si nusquam alibi doceat Rubrica num ante, post, inter commemorationes officiorum occurrentium facienda sit commemoratio concurrentis officii. Huic nempe quaestioni satis provisum est Titulo IX Rubricarum n. 11, et Rubrica Tabellae Concurrentiae supposita.

II. Unde, ut diximus, ad determinandum ordinem omnium commemorationum in quibuslibet casibus sufficientes sunt praefatae Rubricae, tribus adiectis limitationibus subsequentibus, quae Rubricis conformes sunt, et admittuntur ab omnibus, ne patronis quidem sententiae quam hic impugnamus exceptis, licet hi ulterius progrediantur:

1.° Iuxta peculiares Rubricas, commemoratio S. Ioseph in festo Desponsationis B. M. V., ubi concessa est, ante quascumque alias commemorationes facienda est; item commemoratio S. Pauli in festis S. Petri et vice versa.

2.° Si quod officium dimidias habuerit Vesperas, de hoc primum facienda commemoratio est: ex hoc ipso quod ei dimidiae datae sunt Vesperae, aliquam

in hac Hora canonica sortitum est praeminentiam supra reliqua officia, ideoque ante ea commemorandum est.

3.° Cum festum occurrit in Dominica aut feria quae illi praevalere debet in occurrentia, si de ambobus commemoratio facienda est, praecedere debet commemoratio Dominicae aut feriae, ad mentem Rubric. de Concurrentia, Tit. XI, n. 10.

Illud demum notandum est, quod si hodie occurrat festum duplex aut semiduplex ad modum simplicis redactum, cras etiam aliud festum eiusdem ritus, hoc, ceteris paribus, ante illud est commemorandum. Ratio est quia si de utroque fieret officium, dimidiarentur Vesperae, ideoque de subsequenti officio prius dicerentur antiphona et Oratio, et huic Officio conformis esse deberet color a principio Vesperarum.

Haec si prae oculis habeantur, facile ac pronum cuique erit dignoscere, quid in variis casibus occurrentiae aut concurrentiae praestandum sit.

III. At, dices, commemoratio concurrentis officii potioris est iuris quam ceterae commemorationes. Sed hoc omnino negandum videtur. Unum officium alteri praestat ritu, qualitate primarii, dignitate aliisque rationibus de quibus agunt Rubricae aut Decreta quasque exponunt Liturgici, nullatenus vero concurrentia, quae non maiorem excellentiam confert quam occurrentia. Verum, instabis, officium concurrens, etsi Vesperas non habeat, ius tamen habet ad illas, ideoque praeferendum est. Respondemus, officio concurrenti, quando juxta regulas concurrentiae Vesperas amittit, ius ad illas remanere sicuti officio duplici aut semiduplici occurrenti, quando ad modum simplicis recolendum est, ius inest ad integrum officium, nec plus nec minus. Nempe huic inest ius conditionatum

habendi totum officium, dummodo non obstent leges occurrentiae; illi ius pariter conditionatum habendi Vesperas, dummodo scilicet non obstent leges concurrentiae. Deficiente conditione, iam illud ius amittitur, solumque habetur ius ad commemorationem.

Haec quae superius diximus confirmantur incommodis quae ex opposita sententia orirentur. Quod ut clarius fiat, sequens ponamus exemplum: Anno 1895 festum SS. Rosarii B. M. V. incidet in diem 6 Octobris, ideoque ad modum simplicis recoletur festum S. Brunonis. Quomodo ordinandae erunt Vesperae? profecto hoc modo: erunt de SS. Rosario, cum commemoratione S. Brunonis, et Dominicae, ac S. Marci, postremo Ss. Sergii et Soc. In eo ordine, quem nos docet Rubrica II, Tit. IX, servatur debita relatio ritus et dignitatis. Iam vero inverteretur illa relatio si primum fieret commemoratio S. Marci; sane hanc inordinationem persensit clarissimus Doct. Piacenza, vir rerum liturgicarum apprime peritus, dum ultro fassus est commemorationem simplicis per se concurrentis anteponi nec posse commemorationi duplicis per accidens. Sed ulterius quaerimus: si primum fiet commemoratio S. Marci, quandonam fiet commemoratio Ss. Sergii et Soc., statimne post illam, an ultimo loco? Iuxta adversariorum principia neutrum admitti posse videtur: non prius, quia festum Ss. Sergii et Soc. per suum occursum cum festo S. Marci ius amisit ad officium, factum est deterioris, haud absimilis conditioni S. Brunonis et Dominicae, unde in hac eadem conditione praeferri deberent S. Bruno et Dominica, saltem ratione ritus; non posterius, quia tunc commemorationes duorum officiorum concurrentium, videlicet S. Marci et Ss. Sergii et Soc., aliae interponentur commemotiones, scilicet S. Brunonis et Dominicae, et hoc ali-

quam ordinationem sapere asserunt Ephemerides in ultimo num. pag. 488.

IV. De S. R. C. Decreto d. d. 18 Decemb. 1779 consulto siluimus, non quod illud nobis favere non credamus, sed quia illud afferunt illique inniti suam propriam sententiam contendunt ambae partes litigantes, eodem ferme modo quo ante recens Decretum de primariis et secundariis festis, scriptores diversam tenentes viam singuli Rubricas sibi favere sustinebant, quin inde quippiam proficerent. Liceat tamen nobis haec duo notare circa illud Decretum: 1° Ante exortam praesentem controversiam omnes Liturgici illud in sensu nostro intellexerunt. 2° Extant certe duo S. R. C. Decreta sub num. 3301 et 4044 quae citra controversiam pro nobis pronuntiant; porro notissima regula iuris est, inter leges admittendam non esse repugnantiam nisi aperte constet, easque quoad fieri potest conciliari debere.

Quae quum ita sint, non possumus quin in nostra sententia perseveremus, utpote, ni fallimur, Rubricis, S. R. C. Decretis ac rationi magis consentanea. Uti illam bona fide propugnamus, sic, si quid postea contra eam decernetur, cum gaudio obsequemur.

P. M. Lafrasse.

RESPONSA

AD PRAEFATAS ANIMADVERSIONES

Gaudemus nobis ante omnia, quod scripta cl. Lafrasse inserere in nostris paginis cogimur, utpote quae plurimi facimus. Haec iam alias exquisivimus, sed negotia forte, quibus detinebatur scriptor nobis acceptissimus, obstiterunt. Nunc vero quod voluntas agere non valuit, operata est necessitas: Deo gratias, et cl. scriptori honor.

I. Itaque cl. Lafrasse dicit imprimis titulum IX Rubricarum Breviarii agere *de commemorationibus officiorum sive occurrentium sive concurrentium*, quamvis ad XI quoque titulum recurrendum sit, ut doctrina de iisdem commemorationibus absoluta habeatur. Ephemerides autem docuerunt, in titulo IX agi tantum de commemorationibus, non concurrentis, sed occurrentis officii. — Respondemus, Ephemerides non negasse, sed admisisse, in titulo IX Rubricarum verbum quandoque fieri de officio concurrente (*vid. pag. 487, lin. 7 et seq.*). Sed animadvertendum iterum, aliud esse commemorationem officii concurrentis, et aliud esse commemorationem officii, quod in Vesperis occurrit. Dicimus autem officium occurrens in Vesperis, illud, de quo fieri tantum debet commemoratio, et nullum ius habet ad Vesperas, sive integras, sive dimidiatas. Hoc sensu loquitur num. 4 tituli IX, quod nobis obiicit cl. Lafrasse; ait enim: « In primis Vesperis et Laudibus huiusmodi festi

nulla fit commemoratio festi simplicis *occurrentis*». Ergo commemoratio huiusmodi non est *concurrentis* officii, etsi locum in ipsis Vesperis habere quandoque possit, et in casu non debeat.

Quod si in fine huiusce numeri agitur etiam de commemoratione officii concurrentis, nil argui ex eo potest contra sententiam nostram; quia rerum in Rubrica dicendarum ordo id exigebat. Sed nulla fit in casu, sicut in aliis numeris a cl. Lafrasse relatis, comparatio inter commemorationem officii concurrentis et occurrentis. Ex quo sequitur, Rubricam num. 11 huius tituli IX, cum de ordine loquitur commemorationum agendarum, seu in Laudibus, seu in Vesperis, ita esse iuxta nos intelligendam, ut sicut in Laudibus excluditur commemoratio officii occurrentis, quae semper sibi vindicat primas, ita excludenda sit in Vesperis commemoratio officii concurrentis, quae pariter principem, ut ita dicam, locum tenere debet.

Namque in duorum festorum occurrentia de altero tantum fit festo, et alterum habet solam commemorationem: quae sane quodammodo repugnat, ut alteri praeferatur, quae pertinet ad officium quod recolitur. In concurrentia vero de duobus celebratur officium, Vesperae videlicet de duobus dicuntur, iuxta eam rationem, quam ritus postulat. Ergo a pari quodammodo recto repugnat sensui, ut aliae commemorationes officiorum non concurrentium, illis praeferantur, quae ad officia concurrentia pertinent, et quae recoluntur.

II. Inferimus, commemorationem S. Ioseph in festo Desponsationis, et commemorationem S. Pauli in festis S. Petri et viceversa, vix appellari posse

exceptiones. Namque nullo pacto illae stant pro officio, neque in Laudibus neque in Vesperis, sed sunt simplices commemorationes, quae connectuntur cum officio recitato, eiusque sunt velut appendices. Cum ergo eas tractare nequeamus uti aut occurrentis aut concurrentis officii, non est cur in hac quaestione tamquam exceptiones considerandae sint.

Inferimus praeterea, praeminentiam veram sortiri supra reliqua officia illud, cuiuscumque sit ritus, quod recolitur: idque tam in Laudibus quam in Vesperis. Non solum autem quia in concursu dimidias potuit habere Vesperas, sed etiam quia utpote officium aut celebratum aut celebrandum, verum ius ad Vesperas habuit prae reliquis.

Inferimus etiam, festum quod Dominica vel feria impeditur in occurrentia, si commemorari debeat, tam in Vesperis quam in Laudibus, post impedientem Dominicam semper esse commemorandum, cuiuscumque sit ritus, nunquam antea. Idque hac praecipue de causa, quia, eodem freti principio, festum quod celebratur cum officio, primas possidet prae altero, quod est impeditum.

Inferimus tandem, si hodie occurrat festum duplex aut semiduplex ad modum simplicis redactum, cras etiam aliud festum eiusdem ritus, hoc ante illud esse commemorandum. Id autem non ea de causa, quia si de utroque fieret officium, dimidiarentur Vesperae, ideoque de subsequenti officio prius diceretur antiphona et oratio; ut quid enim in medium adducere Vesperas, quas neque de facto neque de iure habere potuerunt? sed potius quia sicuti primae Vesperae solemniores sunt secundis, ita commemoratio quae stat

pro primis Vesperis, magis praestat, ceteris paribus, alii commemorationi, quae stat pro secundis Vesperis. Hic est sentiendi modus, magis nobis arridens, quin tamen damnare velimus argumentandi et sentiendi rationem cl. Lafrasse.

III. Negat cl. Lafrasse, commemorationem concurrentis officii, potioris esse iuris, quam ceteras commemorationes. Huic autem rationi innititur, quia concurrentia non confert officio maiorem excellentiam, quam ipsa occurrentia. — Respondemus rationem allatam non satisfacere. Occurrentia enim licet non conferat officio cuicumque maiorem excellentiam; nihilominus, illa hanc supponit, unde sequitur ut de uno officio fiat, et non de alio. Ergo officium, quod cum alio occurrens celebratur, magis praestat alii quod commemoratur. Concurrentia autem occurrentiam sequitur, sicut ergo officium quod recolitur (quaecumque sit praestantiae causa, quae hic non est perpendenda), alii excellit, quod solam habet commemorationem; ita officium, vel Vesperas habens vel ius ad illas, aliis excellit, quae nullum ius habent ad Vesperas. Subsumes quidem, excellentiam officii in occurrentia haud semper ad concurrentiam extendi, uti in Dominicis maioribus accidit et feriis maioribus privilegiatis; in Vesperis enim ritus tantum respicitur, nihilque aliud. Id quidem admittimus, sed in iis tantum officiis, inter quae dari potest concursus, non vero in illis, inter quae concursus esse non potest, ut in casu. Quia hic habemus ex una parte duos veluti convivas, ex altera unum vel plures, quibus aliquid tantum in mensa delibare concessum est. Ratione proinde celebrati vel celebrandi officii, festum aliis omni-

bus praestat, quorum officium celebrari non potest. Sed cl. Lafrasse docet, officio concurrenti, quando iuxta regulas concurrentiae Vesperas amittit, ius ad illas remanere sicut officio duplici aut semiduplici occurrenti quando ad modum simplicis recolendum est, ius inest ad integrum officium, nec plus nec minus. — Quantum possumus id concedimus; sed verba *nec plus, nec minus*, concedere nequimus. Etenim et officium occurrens et officium concurrens paris quodammodo conditionis fieri quando impediuntur, non diffitemur. Verum conditio occurrentis officii est, ut ius ad officium habeat, exceptis Vesperis, quorum illi nullum ius est si eius impediatur officium : conditio autem officii concurrentis est, ut totum officium habuerit vel habere debeat ad Vesperas usque, ad quas proinde ius dicit. Consequenter officium in occursu impeditum, sine iure manet in Vesperis: officium vero impeditum in concursu, cum iure ad Vesperas remanet: quod maxime animadvertendum est, de Vesperis enim verba nos facimus. Ceterum commemoratio officii in occursu impediti, potest ne se immiscere in commemoratione officii, quod recolitur? Nequaquam profecto. Ergo neque commemoratio officii impediti in commemorationibus officiorum concurrentium se immiscebit. Ex eo igitur, quod et occurrens et concurrens officium eiusdem quodammodo evadant conditionis, nil sequitur contra a nobis propugnatam sententiam.

Insuper cl. Lafrasse incommoda videt ex nostra sententia, quae nobis latent; et ut ostendat, sequens ponit exemplum de festo SS. Rosarii incidente in diem 6 Octobris. Quomodo, inquirit,

ordinandae hae Vesperae diei 6, seu Dominicae primae Octobris? Et respondet: Profecto hoc modo, post nempe Vesperas de SS. Rosario fiet commemoratio S. Brunonis, postea Dominicae, inde S. Marci, denique SS. Sergii et Sociorum mart. Ita ille. Nos vero dicimus: Post commemorationem SS. Rosarii prima com. erit de officio sequenti, in reliquis ordo consuetus servabitur, hoc est: primo commemorabitur duplex, nempe S. Bruno, secundo Dominica semiduplex, officia ad simplicem ritum redacta, tertio simplex per se, nempe S. Sergius cum Sociis. Quid inordinationis in hoc reperiatur non videmus.

Attamen carissimus adversarius noster videtur heic insistere dicens: Si S. Marcus statim in Vesperis commemoratur post festum SS. Rosarii, quando fiet com. S. Sergii cum Sociis? Non post S. Marcum, quia deterioris factus est conditionis, cum ius amiserit ad officium: non post Dominicam, quia tunc inter commemorationes S. Marci et S. Sergii aliae ponerentur commemorationes, et hoc aliquam inordinationem sapere, asserunt Ephemerides in num. octavo pag. 488. — At veniam expetimus a cl. Lafrasse, eumque ad citatum locum remittimus, ut diligentius relegat quae Ephemerides dicunt. Tunc enim certior fiet, inordinationem, de qua ibi verba fiunt, non consistere in commemorationibus interpositis inter alias eiusdem ritus, sed inter illas duas tantum, cuiuscumque sint ritus, quae concurrunt; hae namque ad officium pertinent, reliquae omnes extra officium sunt, quod recitatum aut recitandum est. Iam vero SS. Marcus et Sergius occurrere quidem simul possunt, sed quomodo simul possint uterque

concurrere, ipse cl. Lafrasse dicat. Cum enim hi duo Sancti occurrunt, de alterutro tantum fieri officium potest, proindeque alter, de quo ad Laudes fit sola commemoratio, iam ad Vesperas concurrentiae iure privatur. Ergo.

Itaque sententia nostra, quamvis recedere videatur ab illa, quam hucusque secuti sunt liturgici scriptores: si nihilominus probe perpendatur, nulli obnoxia reperitur incommodo, nullique difficultati, legibus liturgicis optime consonans, et in praxi maximopere facilis.

IV. In iis, quae hoc in numero cl. Lafrasse breviter tangit, opportunum non arbitramur insistere. Tantummodo fas est animadvertere, Decreta authentica in Collectione Gardelliniana contenta, esse impraesenti sub revisione: ut citra dubium quidquid aliquid obscuritatis sapit, declarari, et quidquid ob resolutas quaestiones ab illa est expungendum, expungi profecto debeat, uti ex. gr. indubie fiet ad controversiam quod attinet festorum, quae primaria et quae secundaria sunt. Ceterum, utcumque negotium vertat, et nos cum cl. Lafrasse in hoc convenimus, quod libenter obsequemur S. R. C. quidquid Ei decernere placuerit.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

X.

DE ECCLESIAE CONSECRATIONE.

In quadam civitate, cum Ecclesia quaedam esset consecranda, in qua tria erant altaria, haec peculiari animadversione digna evenerunt. Vespere consecrationem praecedente, nonnulli ex Sacerdotibus et Clericis per unius vix horae cum dimidio spatium matutina recitarunt ante Reliquias, mane in sepulcrulis altarium recondendas. Recitarunt nempe matutinum cum laudibus de communi plurimorum Martyrum, et de communi Virginum; quia Reliquiae aliquae ad Martyres, aliae ad Virgines pertinebant. Episcopus consecrator duos alios coadiutores sibi Episcopos, nulla S. Sedis facultate munitus, invitaverat, qui lateralium altarium consecrationem peregerunt. Insuper cruces haud super parietes, sed super columnas parietes sustentantes, affixae sunt. Denique, dum Episcopus consecrator unam partem Ecclesiae exteriorem, alter ex duobus aliam aspergendo benedixit, clerico tantum comitante, qui parvam lustralis aquae situlam deferebat. Quae omnia cum parum arrisissent Caio alterius Ecclesiae caeremoniarum magistro, sequentia dubia sibi enucleanda proposuit:

1. *Quid ferat antiquitas latinae et graecae Ecclesiae circa vigilias agendas ante Reliquias in altari recludendas, sive temporis spatio, sive qualitate psalmodiae inspectis?*

2. *Utrum sit de iure consecrantis Episcopi alios sibi deligere coadiuvantes Episcopos, vel tantum Pontificis, quidque Coadiutoribus agere permissum sit?*

3. *Quid de reliquis dicendum, ut in casu expositum est?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Sidonii Velch alumni ex Pont. Collegio Urbano de Propag. Fide: habita in Ecclesia Presbyterum Missionis die 22 Iunii 1892: acta Epitoma a Rmo Dno. Alphonso Carinci S. Liturgiae Professore.

I. Ecclesiarum Dedicatio in Dei honorem, ritu solemni ac speciali facta, antiquissimi est instituti. Iam inde ab initio magni apud omnes hanc solemnem functionem fuisse habitam, plura ostendunt Decreta Pontificum ac Conciliorum, contra erigentes templa absque consecratione. Sed ne tempus hac illac vagando teramus, ad quaesitum statim veniamus, in quo petitur: Quid ferat antiquitas latinae et graecae Ecclesiae circa vigilias agendas ante SS. Reliquias in altari recludendas, sive temporis spatio, sive qualitate psalmodiae inspectis.

Antequam de vigiliis in specie, aliquid de ipsis in genere dicendum nobis est. Imprimis a precibus nocturnis vigilias proprie dictas distinguamus oportet. De illis innumera extant scriptorum testimonia, ex quibus aperte colligitur, christicolarum morem fuisse, statutis horis noctu e lecto surgere et laudes Deo decantare. Duo tantum ex ipsis referre sufficiat. Primum Clementis Alexandrini qui in sua Pedagogia ait: " Saepe etiam noctu e lecto surgendum est, Deusque est laudandus; Beati enim qui in ipsum vigilarunt etc. „ Al-

terum Plinii Iunioris, qui in epistola ad Traianum imperatorem scribebat: " Affirmabant autem haec fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent (Christiani) soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo secum invicem dicere (*lib. 10, ep. 97*) „.

Sed de istis antelucanis precibus silemus, ut de vigiliis proprie dictis seu per integram noctem protractis loquamur. Certum exploratumque est, christianam Ecclesiam iam inde ab initio suos fecisse nonnullos Hebraeorum ritus ac caeremonias: eas tamen perfecit in significatione, cum haud amplius umbram, sed substantiam tunc significarent. Inter has caeremonias et ritus ab Ecclesia e Sinagoga acceptos, inveniuntur proprie dictae vigiliae. Porro ex libro Levitici (*c. 6, et 8 ac 23*) colligitur, in vigilia expiationum Seniores nonnullos cum Pontifice superiori quodam templi in loco convenire consuevisse, atque integra ibi nocte, libros Iob, Esdrae ac Danielis manibus versasse. Ecclesia eapropter, ut diximus, hos ritus accepit perfecitque, suis praecipiens ministris ut et ipsi sacras vigilias agerent in hymnis, precibus et canticis. Voluitque ut praecipue ante maximas solemnitates id praestarent. Morem hunc constanter retinuit, sive latina sive graeca Ecclesia. Pro ista Socratem habemus, qui de S. Athanasii fuga ait: " Vespera quidem erat; populus autem per totam noctem vigilabat quia synaxis futura erat (*lib. 2, c. 8*) „. Uti patet, de vigiliis historicus hic loquitur, ut de re in morem iam recepta, imo apertissimis verbis de tali usu rationem reddit. Socratis testimonio, aliud Pachimenis adiungitur in historia Michaelis Paleologi, narrantis quod " a vespera decantatae sunt preces (pro dicto Paleo-

logo), postera quidem die Sacrum facere praesul decreverat (*lib. 1, c. 11*) „.

Pro latina vero Ecclesia inter tot ac tanta, quae afferri possent testimonia, quatuor tantum seligimus. Primum Luciani est sic de christianis loquentis: " Ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes, talia somniamus „. Ammiani Marcellini est alterum rationem reddentis de absentia quorundam militum, qui Christo nomen dederant, et ait: " Die festo Christiani ritus in Ecclesia pernoctabant „. Tertium Hieronymi in Commentario supra Danielem: " Nos crebris pernoctationibus angelorum imitamur officia „. Ultimum tandem Baronii qui in suis Annalibus (*an. 590*) ad ostendendum tunc temporis in communem usum transisse vigilias, sequentem affert canonem Concilii Matisconensis: " Noctem quoque ipsam (Sabbati), quae nos supernae luci et immarcescibili reddidit, spiritualibus exigamus excubiis, nec dormitamus in ea, quemadmodum dormitant qui nomine dumtaxat christiani esse noscuntur, sed oremus et vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno cohaeredes fieri Salvatoris „. Haec pro vigiliarum existentia ac consuetudine sufficiant. Quae vigiliae, uti quisque probe intelligit, discriminantur a nocturnis precibus, suntque proprie dictae vigiliae, cum auctores hisce utantur verbis, *per totam noctem* vel *pernoctare*, atque ut in pluribus de ipsis hanc rationem reddant, synaxis nempe ab Episcopo in diebus solemnioribus faciendae, quae in festis tantum tunc locum habebat.

Si ergo vigiliarum potissima ratio synaxis erat, argui certissime potest, et ipsas ante solemnitatem Dedicationis Ecclesiae factas fuisse. Inter enim solemnitates, Ecclesiarum Dedicatio ubique solemnissima erat, etsi non ab omnibus eodem celebraretur ritu.

Haec autem ratiocinatio solidissimo fulcitur historiae testimonio. Et sane, in perantiquo Pontificali Egberti Eboracensis Episcopi legitur: " Pridie quam consecretur Ecclesia, providendae sunt Reliquiae ab Episcopo, et ponendae in tali loco, ut tota nocte cum hymnis et laudibus atque luminaribus sint, usquequo exinde levandae, et ad locum ubi condendae sunt, deducantur (*Martene, Tom. 2 de Antiq. Eccl. Rit. c. 13*) „.

Sed iam inde a saeculo IV hunc fuisse Ecclesiae Mediolanensis morem sequentia ostendunt verba S. Ambrosii, in epistola ad suam sororem Marcellinam: " Condivimus integra ad ordinem. Transtulimus vespere iam incumbente ad basilicam Fausti; ibi vigiliae tota nocte, manus impositio, sequenti die transtulimus ea in basilicam quam appellant ambrosianam (*Ep. 22*) „.

Eamdem viguisse et in graeca Ecclesia consuetudinem, Cyrillus testatur Scitopolitanus in vita S. Eutimii Abbatis, cuius haec sunt verba: " Archiepiscopus Martyrius multa cum magnificentia in Dedicationem monasterii advenit, celebrata est vigilia cum insigni luminum apparatu, et synaxim agentes sub altari deposuerunt Reliquias Sanctorum, et egregiorum virorum Martyrum Sarachi, Proti et Andronici „.

Uti legenti patet, hic de vigiliis proprie dictis loquitur, eapropter inde concludimus, tam apud latinos quam apud graecos vigilias celebrari per totam noctem ante solemnitatem consecrationis Ecclesiae fuisse solitum. Haec pro prima quaesiti parte. Ad alteram descendentes dicimus, ex frequentibus exhortationibus, quibus fideles excitabantur ab Episcopis, ut noctu Horas canonicas devote persolverent, colligi cum aliqua certitudine potest, has Horas in festorum praeparatione seu in vigiliis, omissas non fuisse. At, quasnam Horas

tunc canere poterant nisi Matutinum et Laudes? Sed in Matutino Laudibusque cum cantu, ad maximum, duobus vel etiam tribus horis impensis, reliquum temporis quomodo insumebant? Testimonia nonnisi de hymnis et canticis in genere loquuntur, generalis quapropter regula stabiliri haud potest.

Verum ad qualitatem quod spectat psalmodiae, aliqua forsan extabat discrepantia Romanam inter et alias Ecclesias. Ambrosius enim in citata epistola, proprium Ecclesiae Romanae dicit, Ecclesias cum Reliquiis consecrare. En eius verba: " Cum ego basilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore interpellare ceperunt dicentes: sicut romanam basilicam dedices. Respondi: faciam si Reliquias invenero „. Romanam Ecclesiam postea reliquae imitatae sunt. Hinc Concilium Carthaginiense praecipit (*can. V*): " ut altaria quae passim per agros aut vias tamquam memoriae martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut Reliquiae probantur conditae, ab Episcopis qui iisdem locis praesunt, si fieri potest, evertantur „. Similiter Concilium generale II Nicaenum sub depositionis poena prohibet Episcopis, ne altaria absque Reliquiis chrisment.

Qualitas officii per consequens in Romana Ecclesia Martyrum erat, cum ad eorum Reliquias vigiliae agerentur. In aliis e contra cum adhuc mos inductus non esset Reliquias in altari recludendi, al libitum qualitas psalmodiae relicta erat. Nunc vero apud latinos cum ex Pontificalis Rubrica Martyrum Reliquiae de necessitate requirantur pro altaris consecratione, ita pariter recitatio officii martyrum ex lege requiritur. Apud graecos etiam vim legis obtinuit officium Martyrum, postquam et apud ipsos mos subintravit vigilias agendi ante Martyrum Reliquias.

II. In altero quaesito inquiritur: Utrum sit de iure consecrantis Episcopi alios sibi deligere coadiuvantes Episcopos, vel tantum Summi Pontificis, quidque Coadiutoribus agere permissum sit.

Ad primam quaesiti partem satis facientes, imprimis tamquam certum exploratumque ponimus, solius Ordinarii esse Ecclesias omnes suae Dioeceseos, etiam exemptas, consecrare. Summusque Pontifex Benedictus XIV in sua Constitutione *Ex tuis precibus* docet, hanc Episcopi facultatem ordinariam esse, eamque valide ac licite delegari posse cuicumque alii Episcopo, dummodo superior expresse id non prohibeat. Eius verba referimus: " Cardinalis Bellarminus docet inesse Episcopis integram, absolutam, et quae a nullo dependeat, auctoritatem administrandi Confirmationis et Ordinis Sacramenta; quibus nos addimus et ipsam Ecclesiarum consecrationem. Ex quo fit ut possint Antistites in sua dioecesi *pro lubitu* ea uti: quamvis, si forte qui Episcopis praeest id prohibeat vel impediat, hoc in casu actus, vetante superiore, exercitus, illicitus quidem sit, non autem frustraneus „. Episcopus ergo facultatem consecrandi Ecclesias delegare, cui placuerit, valet in toto vel in parte. Et haec consecratio delegata in toto vel in parte, valida quidem erit, si essentialia ritui adamussim serventur, et etiam licita si superioris non accedat dissensus.

Hisce ergo positis, inquirimus: Episcopus, proprio marte, Coadiutores sibi deligens ac inter ipsos dividens varias consecrationis partes, valide ne ac licite agit?

Pro validitate actus ambigendum non est. Cum, uti diximus, potestate polleat ordinaria hoc super negotio, eius quoque actus per consequens semper validus est, dummodo essentialia omnia actus accedant.

Insuper et Benedictus XIV expresse docet, vidimus iam, Episcopum inter varios Coadiutores ritum consecrationis in partes dividere posse; suamque roborat sententiam auctoritatibus Van Espenii ac Iamesii inter Canonistas, Martenis ac Catalani ex Liturgicis, omniumque sui temporis Moralistarum hanc sententiam extra controversiam ponentium. Sed, quod caput est, ipsa S. R. Congregatio (*Ulysbon. 12 Apr. 1614*) interrogata quid agendum in casu, si circa medium consecrationis Ecclesiae improviso accidenti Episcopus correptus defecerit, respondit: " Posse sine scrupulo vel de novo inchoare a principio consecrationem, vel iam incoeptam continuare et perficere „.

Negotio quoad validitatem in aprico posito, ad quaestionem de liceitate deveniamus. Benedictus XIV stat etiam pro liceitate actus, dummodo, subiungit tamen, expressa Superioris prohibitio non accedat. Inquirendum ergo est num in praesentiarum voluntas quaedam Superioris existat, hanc Episcoporum facultatem eligendi sibi coadiutores, ac inter ipsos partes consecrationis dividendi, coarctans. Respondemus, dubitantes utrum haec Superioris voluntas nec ne existat.

Namque Pontificale Romanum praecipit, ut integra consecratio ab uno perficiatur Episcopo. Ab initio enim ad finem usque capitis de Consecratione nonnisi de uno loquitur Episcopo consecrante.

Sed haec locutio tantum, ex parte Rubricarum prohibitionem significare videtur; Rubricae enim haud solum quid agendum docent, verum etiam quomodo sint peragendae functiones. Equidem S. R. Congregatio (*Augustodunen. 3 Mar. 1866*) exquisita: num licitum esset consecrationem unius Ecclesiae per duos Episcopos peragere, quorum unus Ecclesiam consecrabat, alius altare, respondit: " *opponi ritui consecratio-*

nis Ecclesiae „. Sed animadvertendum est, casum S. R. Congregationi propositum nihil probare, est enim a nostro longe alius. Indubium quidem, Episcopum unum non posse licite consecrare Ecclesiam, quin et maius altare simul consecret. At hoc nos supponimus, et inquirimus tantum, utrum alii Episcopi coadiutores, dum ab Episcopo principe altare maius consecratur, alia valeant consecrare altaria.

Dubium praesens alibi tractatum fuit in *Ephemeridibus* (*V. an. 1891, pag. 246. Dub. II, ex Urbe*), in cuius resolutione dictum fuit, ius consecrandi Ecclesiam per plures Episcopos, ita ut dum unus altare maius, alii Episcopi alia altaria consecrent, esse Summo Pontifici reservatum. Id asseritur tamquam certum, quia plures Romae hoc super negotio consuluimus, quorum peritia hac de re perspecta nobis erat, et auctoritas. Nihilominus, post resolutum Dubium in *Ephemeridibus*, opportunum iudicatum fuit, solutionem eiusdem Dubii ad Academiam remittere, ut quid sentiret exponeret. Factumque est, ut, licet eodem in sensu Dubium resolvisset disserens, Censores nihilominus oppositum iudicarint. Itaque conclusum fuit, Episcopum Dioecesanum posse iure suo alios sibi deligere Episcopos, qui alia altaria, dum ille maius, consecrent.

Quam sententiam sequentibus innixi sunt momentis. *a*) Rubrica Pontificalis Romani de uno tantum loquitur Episcopo, totam consecrante Ecclesiam; quia supponit, ab uno tantum Episcopo consecrationem fieri. At contra ipsum Pontificale esse probari non potest, si dum alter maius, alteri Episcopi reliqua consecrent altaria. Quia ritus consecrationis apprime exigit, ut unus tantum Ecclesiam et unum altare, quod maius esse debet, Episcopus consecret; reliqua vero

altaria, si fuerint, vel ipse consecret, vel alius vel plures Episcopi, vel eodem tempore, vel postea, est prorsus indifferens, modo eiusdem altaris consecratio per unum semper Episcopum fiat.

b) Antiquior consuetudo fuit, ut maiores Ecclesias, sive Summi Pontifices sive alii Episcopi, non solum per se ipsos, sed et per alios sibi adscitos Episcopos consecrarent. Id pluries accidisse in Ecclesia orientali, testatur Eusebius (*De vita Constantini, Lib. IV, cap. 43*), et Theodorus (*Lib. 1 Hist. cap. 31*). Id accidisse non semel in occidentali, refert Gaudentius Episcopus Brixiensis (*Tract. de Dedic. Basil. sanct. XI Mart.*), Venantius Fortunatus (*Lib. III, carm. VI*), et alii. Notandumque praeterea, ipsos Summos Pontifices, uti Pium Papam IX^um in consecratione Basilicae S. Pauli extra moenia anno 1854, hac de ratione se gerentes, de legis derogatione nunquam ne verbum quidem fecisse.

c) Certiores facti sumus, consuetudinem dispensationis petendae a Summo Pontifice, ut Episcopus alios sibi assumat coadiuvantes Episcopos in consecratione Ecclesiarum, nunquam viguisse, neque extra, neque in Urbe. Agitur enim de re liturgica; Summus Pontifex proinde hanc facultatem ordinario per consuetam concederet viam, nempe per S. R. Congregationem. Atqui ex ipso sacri Tribunalis tabulario apprime constat, eiusmodi facultatem nec requiri, nec concedi.

d) Quod si incommoda aliqua ex hac Episcoporum agendi ratione in sacris exequendis ritibus ac caeremoniis, prouti consecratio altarium exigit, oriri possunt, ipsimet Episcopi per suos vel Cathedralis Ecclesiae caeremoniarum magistros optime providere possunt et debent.

e) Denique cum nullum e S. R. Congñe emanatum fuerit Decretum, rem, de qua agimus, prohibens; Academia Disserentis sententiam mitigans, conclusit, Episcopo Dioecesano ius esse alios, prout voluerit, Episcopos coadiuvantes sibi adsciscere in suis consecrandis Ecclesiis, neque opus esse ut ipse Summum Pontificem pro dispensatione adeat.

Ad alteram quod spectat huius quaesiti partem, paucis respondemus. Praeter unum altare, nempe maius, quod a praecipuo Episcopo dedicandum est, certo tenendum, ab eodem quoque duodecim cruces esse inungendas in parietibus, relativaque proferenda verba *Sancti✠ficetur* etc. et thurificationes quoque agendas, quae omnia unum veluti integrum constituunt actum. Aliunde hoc certum est, quod " consecratio Ecclesiae maxime consistit in ungendis chrismate sacro duodecim crucibus per Ecclesiam, et in proferendis illis verbis *Sancti✠ficetur* etc. (*Ulysbonen. 12 Apr. 1614*) „. Ad reliquos ritus quod attinet, ii ab alio videntur Episcopo posse fieri, modo si verba exigant proferenda, ab eodem recitentur Episcopo, qui caeremonias agit, uti in omnibus Sacramentalibus solet fieri.

III. Ultima petitio inquirit, quid de reliquis iudicandum in casu expositis.

Primo agit casus de vigiliis ante reliquias actis: videndum, utrum praesentibus liturgicis legibus respondeant. Pontificale Romanum ait: " Celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias... et canendi nocturni et matutinae laudes in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae sunt recondendae (*De Eccl. Dedicat.*) „.

Per has autem vigilias totam intellexisse noctem antiquos, vidimus. Quid autem in praesenti? Cum cl. Martinuccio dicendum, in praecepto non esse inte-

gram noctem vigilare, sed sufficit ut tria nocturna, laudesque matutinae celebrentur, sive cum cantu, uti ob maiorem solemnitatem Pontificale habet, sive sine cantu. Hinc Decreta plura, quae de his vigiliis disponunt, de integra nocte silent. Peculiariter S. R. C. in *Cenomanensi* docet: " Pontificalis verba intelligenda esse, quod celebrentur vigiliae *cum matutino, laudibus, hymnis, canticis* (*14 Iun. 1845*). Ergo in hac recitatione eiusmodi vigiliae consistunt, et non in eorum per integram noctem repetitione. Ceterum haec romana praxis in omnibus Ecclesiis, et altaribus, quae passim consecrantur. Hinc iure concludimus Decretum *Cuneen.* d. d. 7 Aug. 1875 ad III, sacras praescribens vigilias per integram noctem, indubie revocatum censendum esse.

Secundo. Recitata sunt matutinum et laudes de Communi Martyrum et de Communi Virginum; quia nonnullae ex Reliquiis ad Martyres, nonnullae ad Virgines pertinebant. Animadvertendum, Reliquias tantum Martyrum esse in Pontificali praescriptas, non aliorum Sanctorum. Rubrica enim docet, ab Episcopo chartulam de pergameno scriptam ponendam esse in sepulchro, illiusque formam scripturae esse sequentem: " Ego... Episcopus N... Reliquias SS. Martyrum N. N. in eo inclusi „. Ergo Reliquiae SS. Martyrum ex lege requiruntur, reliquae ad abundantiam esse possunt. Consequenter, cum in honorem illarum, quae recluduntur ex lege, Reliquiarum vigiliae sint persolvendae, sequitur preces reliquas esse ad abundantiam posse, sed non ex praecepto.

Tertio. Cruces columnis superpositae fuerunt non parietibus. Videndum, an columnae ita sint collocatae, ut revera non ad simplex ornamentum, sed parietibus sint suffectae. Si primum, illicite super co-

lumnas positae fuerunt cruces: si alterum, nil credimus posse opponi. Namque eiusmodi columnae reapse parietibus aequivalent, adeo Rubrica Pontificalis observata maneat (1).

Quarto. Alter Episcopus internam, alter externam Ecclesiae partem aspergendo benedixit. Vix in hoc immorandum arbitramur; cum duo fuerint hi actus, quorum uterque in se absolutus, adeo ut non videatur illicitus, iuxta superius exposita. Ex quibus omnibus patet, quid de singulis in casu expositis iudicandum sit.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Tuscia.* **De quadam sententia ab Alois. a Carpo tradita.** Docet cl. Aloisius a Carpo (*Bibl. Liturg. par.* 2, *n. 84*) festa duplicia et semiduplicia, ad simplicium modum redacta, utpote instar commemorationum diei octavae et Dominicae, commemoranda esse etiam in duplicibus primae classis, in utrisque Vesperis et Laudibus. Porro Bibliotheca Liturgica huiusce auctoris post reformationem ultimam Rubricarum prodiit: quid ergo iudicandum?

Resp. Difficultas vera est, sed nullo negotio solvitur. Cum nullus enim auctor infallibilitate gaudeat

(1) Ita Emus Vicarius Urbis Ecclesiam *S. Maria in Cappella* nuncupatam, paucis abhinc annis, cruces columnis superponendo et ungendo, consecravit.

in legum expositione, facile patet, omnes errare posse; hocque in casu sententiam docuisse praefatum auctorem a veritate alienam, pariter indubium est. Et sane, haud Rubricae interpretandae sunt iuxta auctorum doctrinam, sed ipsorum doctrina auctorum iudicanda est secundum Rubricas. Porro hae clarius loqui hac super re non possunt: " De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties iuxta sequentem Rubricam de Translatione festorum, reduci debent ad modum simplicis, fit pariter commemoratio ad instar diei octavae et Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus, **praeter quam in omnibus duplicibus primae classis**, exceptis eorum secundis Vesperis, si huiusmodi commemoratio facienda sit die sequenti (*Rubr. Gen. Brev. Rom. Tit. IX, n. 7*) „. Cum itaque lex relata omnem dubitationem excludat, et doctrina Aloisii a Carpo aperte illi contradicat, manifestum est, non hanc, sed illam esse sequendam. Notandum tamen, hunc errorem non esse cl. Aloisio a Carpo tribuendum, cum Bibliothecam liturgicam ipse redegerit ante Rubricarum reformationem, quo tempore tradita ab eo doctrina legi perfecte conformis erat. At post reformatas Rubricas, duas primas huiusce Operis editiones tertia secuta est, quae, uti ipse typographus in initio Operis innuit, ad **Breve** *Nullo unquam* aptata fuit a duobus Sacerdotibus, ab eodem typographo exoratis. Hi autem in additionibus et emendationibus ab ipsis exaratis nonnulla dixerunt, quae cum **Brevi** *Nullo unquam* et reformatis Rubricis non conveniunt. Haec inter recensendus error, in proposita nobis difficultate consistens.

In dicta autem tertia Editione alia esse inscripta, quae emendanda omnino sunt, et reformatis Rubricis non cohaerent, facile probatur. Nam legas num. 300 partis primae, et frustra requires inter solemniores

universalis Ecclesiae festivitates, quae praevalent Dedicationi propriae Ecclesiae, uti etiam Patrono et Titulari, festa Immac. Conceptionis Deiparae, eiusque Sponsi S. Iosephi. Et nihilominus haec festa, tam in Rubricis Generalibus (*Tit. IX, n. 5*), quam in primo ex Notandis post Occurrentiae tabellam, inter solemnissima recensentur.

Similiter ad num. 159 et 163 partis secundae, Sacerdotes praefati, qui arbitrati sunt cl. Aloisii a Carpo Opus ad tramitem praedicti **Brevis** accommodare, perspicue docent, duplicia et semiduplicia etiam perpetuo impedita ius non habere ad repositionem: quod pluries Ephemerides omnino falsum demonstrarunt.

Item ad num. 67 partis tertiae, ut nil dicamus de errore certe typographico, qui omnibus facile patet, id est: *si infra octavam Epiphaniae aliquod incidat* **festum semiduplex ex maioribus** etc.; praedicti Sacerdotes ab re interpretati sunt Rubricam specialem Epiphaniae, docentes, duplicia et semiduplicia infra octavam ipsius Epiphaniae esse commemoranda, dum e contra, cum sint perpetuo impedita, sunt reponenda post octavam.

Haec quidem minus exacte dixerunt qui editionem ad reformatarum Rubricarum normam redegerunt Sacerdotes, uti et alia forte, quae eadem in editione poterunt inveniri; qui enim in aliquibus erraverunt, in aliis quoque, cum eiusdem sint generis, errare facile potuerunt. Quae omnia de cl. Aloisio a Carpo comprobari non potuissent, rei citra controversiam liturgicae peritissimo.

II. *Ex eodem loco.* **De tertia com. semiduplicis simplificati in primis Vesp. festi dup. 2. classis.** Sicut duplicia, ita semiduplicia, si ad instar simplicium redigantur, tres habent commemorationes, nempe in primis Vesperis primam, alteram in Laudibus, in secun-

dis Vesperis tertiam. De hac quaeritur, utrum locum habeat, quando primae agendae sunt Vesperae de sequenti duplici 2. classis. Ratio dubitandi est, quia haec trina commemoratio, iuxta Rubricam, fit *ad instar diei Octavae et Dominicae* communis; atqui in casu praedicto fieret quidem com. de die octava, haud vero de Dominica: quomodo ergo tractandum semiduplex in casu, an ut dies octava, an potius ut Dominica? Si enim illud, facienda profecto est: si autem istud, erit indubie omittenda. Quid ergo?

Resp. Doctrina in Dubio relato exposita, certa omnino est, Rubricisque conformis. De die octava, tertia commemoratio agenda est in primis Vesperis sequentis duplicis 2. classis: de Dominica vero eodem in casu, uti a fortiori de quocumque alio semiduplici, non fit commemoratio (*Rubr. Gen. Brev. Tit. IX, n. 6*). At ex adverso Rubrica alia de tribus commemorationibus, sicuti duplicis, ita et semiduplicis agenda, non minus est evidens, quam prima (*Tit. X, n. 1*). Cum nihilominus Rubricae inter se pugnare non possint, nonnisi aequa earumdem interpretatio facienda remanet. Negotium proinde sequenti modo componimus. Lex de trina commemoratione agenda festi semiduplicis ad instar simplicis redacti, generalis est; idque significat, contra legem non fieri, si aliquo in casu hoc non comprobetur, alia id lege prohibente. Ita ex. gr. etiam de dup. simplificato trina agenda commemoratio est; at pone post primam et alteram commemorationem Vesperas primas esse faciendas sequentis duplicis primae classis: iam duplex simplificatum tertia commemoratione carebit, quia ritus festi quod incipit, illam non patitur. Similiter in casu nostro, lex quidem generalis trinam exigit semiduplicis ad simplicis instar redacti commemorationem; at pone, post primam et

alteram faciendas esse primas Vesperas de duplici 2. classis; et pariter dicendum erit, dictum semiduplex simplificatum habere non posse tertiam commemorationem, quia ritus festi duplicis 2. classis illam excludit.

At dices, optime negotium procedere cum agitur de simplificato duplici; quia eadem lex praedicat, commemorandum non esse in duplici 1. classis. At non ita de simplificato semiduplici; eius enim commemoratio excluditur tantum, vi Rubricae reformatae, a duplici 1. classis, sicut simplificatum duplex. In casu autem non habetur dup. 1. classis, sed dup. tantum 2. classis; ergo uti prima et altera, ita et tertia commemoratio agenda est simplificati semiduplicis.

Respondemus, ita rem se habere non posse: primo, quia si ita intelligatur Rubrica Tituli X, n. 1, alteri contradiceret Tit. IX, n. 6. Dum enim illa innueret semiduplex simplificatum esse etiam tertio commemorandum in primis Vesperis duplicis 2. cl. haec e contra aperte docet, in primis Vesperis duplicis 2. classis faciendam quidem esse commemorationem anteacti duplicis simplificati, non vero semiduplicis, diei infra octavam, et ipsius Dominicae eo die celebratae. Secundo quia ipsa Rubrica Tituli IX, n. 7, trinam generaliter commemorationem praescribens semiduplicis simplificati, optime potest hoc sensu intelligi, ut in casu nostro non tres, sed duas tantum commemorationes exigat. Et sane, audi legem: *De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties... reduci debent ad modum simplicis, fit pariter commemoratio, ad instar diei octavae et Dominicae.* Iam nunc nemo non videt, in relatis Rubricae verbis diem octavam referri ad duplex festum, illa enim ritus duplicis est: Dominicam autem relationem dicere ad festum semiduplex,

utpote ritus semiduplicis. Sequitur ergo, festum duplex simplificatum esse tractandum uti diem octavam, de qua in primis Vesp. seq. duplicis 1. classis omittenda est tertia commemoratio: festum vero simplificatum semiduplex tractandum esse uti Dominicam, quae in primis Vesp. sequentis non solum, duplicis 1. cl. sed etiam 2. cl. tertiam commemorationem perdit.

Cum ergo ita intelligi Rubrica relata possit, manifeste ex hermeuticae legibus, ita et non aliter est intelligenda. Ergo toto iure ad propositum Dubium reponi potest et debet: Negative ad primum, affirmative ad alterum, videlicet: tertia commemoratio semiduplicis ad instar simplicis redacti, in primis Vesperis sequentis duplicis 2. classis, vi Rubricarum, omittenda ad Vesperas est.

III. *E Baiona in Galliis.* **De nomine ponendo in littera N. ad Orationem pro Religiosis.** Quum aliquod ministratur Sacramentum, vel aliqua alia peragitur pro Religiosis sacra functio, in Oratione ad litteram *N* quodnam ponendum est nomen, baptismi an religionis?

Resp. Distinguendum est. Vel de Religiosis agitur proprio et canonico sensu dictis, vel non: si primum tunc ad litteram *N* nomen Religionis ponendum est: secus, baptismi. Et ratio est, quia talibus utuntur primi caeremoniis in tyronum admissione ad habitum, tantaque significatione plenis, ut vere possit dici, illos tunc ad novam renasci vitam. Omnes insuper orationes quae functionem comitantur hoc unum sonant, mortem mundo, et in Deo vitam. Ita ex: gr: videre fas est in novo Caeremoniali Romano-Seraphico Capuccinorum, ubi (*Par. VI, c. I, n. 1532*) inter alia haec leguntur: " Accipe, frater carissime, lumen Christi, in signum immortalitatis tuae; ut mortuus mundo, Deo

vivas. Exurge a mortuis et illuminabit te Christus. ℟. Amen „.

Quibus si veram adiungas ex parte Ecclesiae votorum acceptationem, et formalem ac publicam Religionis adprobationem, liquido concludes, vere ipsos ad novam renasci vitam; merito eapropter novo donari nomine: nomen, quod ad finem usque retinent et adhibent etiam in publicis vitae actibus. Quae omnia cum de aliis non comprobentur Religiosis lato sensu acceptis, et quod caput est, publica Ecclesiae acceptatio ac Religionis recognitio locum pro ipsis non habeat, nomen eorum baptismi in publicis vitae actibus, ideoque et in Sacramentorum administratione, adhibendum venit.

IV. *Ex eodem loco.* **De antiphona " Si iniquitates „ et Psalmo " De profundis „ in absolutione.** Dum fit absolutio ad tumulum pro una vel pluribus ex animabus Purgatorii, in fine adiungenda ne est antiphona " Si iniquitates „ cum reliquis?

Resp. Alias in Ephemeridibus nostris quaestio haec agitata, fusiusque pertractata fuit. Non possumus, quin in eadem permaneamus sententia, scilicet: Antiphonam " Si iniquitates „ cum psalmo et reliquis semper in fine absolutionis dicendam esse, sive *absente corpore*, sive *praesente*, excepto tamen die commemorationis Omnium Fidelium Defunct. Et id, tum ex recta interpretatione Rubricae Ritualis Romani, et Decretorum S. R. Congregationis, nec non ex auctoritate Cavalerii, tum denique ex auctoritate Missalis typici, quod in praesentiarum vim legis obtinet (*Vide Volumen II Eph. pag. 539 et seq.*).

V. *Ex eodem loco.* **De ℣. Anima eius vel Animae eorum etc., an canendum.** In absolutione ad tumulum

℣. Anima eius, vel Animae eorum etc., quando locum habet, canendum ne est vel recitandum?

Resp. Nil certi hoc super negotio sive e liturgicis codicibus, sive ex scriptoribus erui potest. Eapropter ubique locorum consuetudini vigenti stari potest. Romana consuetudo fert, ut praedictum ℣. haud cantetur sed recitativo modo a Celebrante dicatur.

VI. *E Dioecesi Veronensi.* **De inclinationibus ad cantum strophae " Veneremur cernui „ et " Te ergo quaesumus „.** Quando cantatur hymnus *Tantum ergo* ante SS̃mum Sacramentum, ad ℣. "Veneremur cernui„ ministri cum Celebrante profunde se inclinant: idem ne faciendum est ab aliis minoribus assistentibus et choralibus, an vero sufficit ut genuflectant? Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam, idem faciendum ne est a ministris et choralibus ad stropham " Te ergo quaesumus „ in hymno " Te Deum „ ?

Resp. Ad cantum " Veneremur cernui „ chorales omnes ac inferiores ministri, ad instar ministrorum superiorum ipsiusque Celebrantis, profunde inclinare se debent. Toto enim tempore cantus *Tantum ergo*, omnes de choro genuflexi manent. Ideoque cum ad *Veneremur cernui* genuflexi omnes iam sint, ad maiorem illam ostendendam erga augustissimum Sacramentum venerationem, quam verba requirunt, profunde se inclinant. Ad stropham e contra " Te ergo quaesumus „ in hymno " Te Deum „, cum omnes sive ministri, sive chorales stantes sint, sufficit ut genuflectant. Genuflexio enim est maximum reverentiae signum, iamque in se continens inclinationes omnes.

VII. *Ex eodem loco.* **De genuflexione cruci a ministro Missae privatae facienda vel non.** In Missa privata quando celebratur in altari ubi Sacramentum non as-

servatur, minister genuflectere ne debet cruci cum ante medium altaris transit, an vero sufficit ut caput inclinet?

Resp. Arbitramur etiam a ministro Missae privatae cruci genuflectendum, hoc simplicissimo innixi ratiocinio. Minister Missae privatae, quantum eius conditio sinit, conformare se debet Ministris maioribus Missae solemnis. Atqui pro istis, dummodo Canonici non sint, genuflexio praescripta est, asservetur vel non Sacramentum in altari ubi ministrant. Ergo a fortiori idem ab inferioribus ministris venerationis signum cruci praestandum est. Arroge hanc praxim conformiorem Rubricarum spiritui, ac Romae vigentem esse in non paucis Collegiis et Seminariis.

Nota. Statuas, quae super altare exponuntur, Sanctorum, posse esse ex lignea materia, vel per integrum sculptas, vel ex parte, et vestibus ex convenienti panno coopertas et exornatas, indubium est. Hoc forte dubium ex Bullae Urbani VIII minus exacta intelligentia ortum est. Sed exploratum esse debet, hac in Bulla prohiberi tantum imagines in templis vel statuas sculptas vel pictas aut vestitas *cum alio habitu ac forma, quam in catholica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit.* Quae profecto verba supponunt, simulacra Sanctorum optime posse exponi in templis, sive in toto ex lignea materia confecta, sive in parte tantum et convenienti veste indutas, uti patet.

VIII. *E civitate Neapoli.* **De Orationibus addendis, vel non, in Missis Votivis.** Quaeritur quomodo Decretum *Clodien.* 7 Aug. 1875 ad IV, circa Orationes in Missis votivis, intelligi debeat.

Resp. Decretum istud ad Dub. IV tria quaerit: 1.° "An quando iuxta Rubricas cantari potest Missa solemnis pro re gravi, si non cantatur Missa de officio, debeant

in Missa solemni adiungi Oratio de officio, et aliae Orationes praescriptae, vel una tantum dici debeat Oratio? „. 2.° “ Et an idem faciendum sit, quando canitur Missa solemnis de festo, quod iuxta Rubricas transferri debet? „. 3.° An (*idem sit faciendum*) etiam quando obtentum fuit ab aliqua Ecclesia privilegium, vel canendi Missam, vel omnes Missas recitandi, quae non concordant cum officio illius Ecclesiae? „.

Responsio sequens est: “ Ad IV. Quoad primam et secundam quaestionem, in Missis solemnibus pro re gravi, ac in illis de festo, quod iuxta Rubricas transferri debet, unicam Orationem esse dicendam ubi onus Missae conventualis non est. Quoad tertiam vero quaestionem Orationem officii diei et aliorum occurrentium in Missis privatis addendas esse, et etiam in illa cum cantu, si de festo currenti prius alia Missa non celebretur, nisi aliter constet, ex speciali indulto „.

Ex quibus, ait adm. Rev. Inquirens, nonnulli concludunt, omnes commemorationes esse faciendas, prouti Decretum praescribit, cuiuscumque sit ritus Missae, etiam primae classis. Alii vero concludunt, esse tantum faciendas commemorationes illas, quae in die festi fierent: secus Missae ex privilegio concessae negaretur dignitas ritus. Quid ergo?

Ad nos quod attinet, reponimus sequenti ratione. Aut agitur de Missa votiva solemniori, sicut etiam pro re gravi, vel etiam ad instar: et tunc unica tantum dicenda est Oratio. Omittuntur quaecumque commemorationes, si quae sint, occurrentis officii, quia Missa in casu est omnino extra officium, nullamque habet cum illo relationem, et solemnior est: collectae autem omnes omittuntur simpliciter, quia solemnior.

Diximus, si agatur de Missa *solemniori, vel pro re gravi, vel ad instar:* quod constat ex recentissimo Ge-

nerali Decreto adhuc inedito, diei 2 Maii 1893. Cumque hoc Decretum non distinguat inter Missam votivam, quae aliam conventualem supponat, et quae eamdem non supponat, sequitur idem agendum in utroque casu.

Aut agitur de Missa festi transferendi: et tunc etiam huiusmodi Missa cantabitur cum unica tantum Oratione. Ad rem cl. De Herdt, qui de ista Missa (quam votivam appellat, et iuxta nos votiva non est, cum sit de festo occurrenti, seu de die, ut proinde festiva dicenda sit) loquens ait: " Similiter in votiva, quae iuxta generales Rubricas tit. IV cantatur in Ecclesiis, ubi titulus est Ecclesiae vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, unica tantum dicitur Oratio sine commemoratione officii, prout in votiva solemni pro re gravi, etsi alia Missa conventualis non cantetur (*Pars 1. n. 45*) „. Et pro hoc ultimo asserto probando plura Decreta citat, inter quae istud in *Clodien.* ad IV, de cuius intelligentia disputatur.

Aut denique agitur de Missis privatis, vel etiam de Missa cum cantu (quae rationem non habeat solemnioris, ut in prima hypothesi), ex privilegio concessis extra ordinem occurrentis officii: et tunc ex regula generali omnes occurrentes commemorationes fieri in illa debent, sicut et omnes Orationes imperatae, seu Collectae recitandae sunt, sive alia Conventualis celebretur, sive non. Ratio est, quia cum huiusmodi Missae sint privatae, et privata quoque censeatur Missa cum cantu, sequi illae debent ritum officii semiduplicis in quo permittuntur. Hoc autem esse pariter faciendum si Missae huiusmodi, ex speciali privilegio in duplici concedantur, et nos docemus cum supercitato De Herdt (*Pars 1. n. 44*); quia

duplex occurrens immutare non debet ritum Missae votivae privatae. Atque ita credimus Decretum in *Clodien.* intelligendum, quamvis aliquid fortasse praeseferat obscuritatis.

IX. *E Prov. Ianuensi.* **De signo crucis** *ad Requiem aeternam* **in Absolutione.** Quando super singulas sepulturas fit Absolutio, uti die 2 Nov. alicubi fieri solet, ad ultimum *Requiem* post Orationem, debet ne semper fieri signum crucis super sepulturam?

Resp. Affirmative. Ritus huiusce repetitio, uti alibi diximus, super singulas sepulturas, nulla apparet lege prohibita. Iam vero, si fiat Absolutio, uti praescribitur, ita facienda est. Atqui ad ultimum *Requiem* post Orationem hoc crucis signum ex Rubrica praescribitur; ergo semper fieri debet. Sane, ceterum, nulla ratio adest, ex qua fieri eiusmodi signum in una Absolutione debeat, et omitti in alia; ergo eadem conclusio.

MONITUM

Exoptarunt plures e Consociatis nostris aliquid saltem, si fieri possit, accipere de iis, quae Rmus Dom. Dom. Augustinus Caprara docuit super primariis et secundariis festis. Responsum sequens mittimus: In sequenti num. *Ephemeridum* cl. Doct. Piacenza Ven. Consociatis faciet satis, et cl. Promotoris Fidei doctrinam patefaciet, dum nonnulla consectaria inferet ex primariis et secundariis festis, quae admittenda nunc sunt. Vel maxime dolet, quod tempus et spatium, id non permiserunt in praesenti facere.

APPENDIX

E S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM

CIRCA SENSUM DECRETI

31 Ian. 1893

Fr. Eugenius a Senogallia, Ord. Minorum Capuccinorum, sequentia dubia huic S. Indulgentiarum Congregationi diluenda humiliter proponit:

I. An vim habeat retroactivam Decretum ab hac S. C. editum sub die 31 Ianuarii huius decurrentis anni 1893, quoad dubium IX in quo quaerebatur: « An fideles qui inter tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SSm̃ae Trinitatis, etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SSm̃ae Trinitatis, Ordinis Carmelitici, et ita porro? » Cui responsum est: « Negative ».

II. An vi praefati Decreti Christifideles qui ante idem Decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperiebantur, gaudeant nunc libertate eligendi unum prae altero ex Tertiis Ordinibus, quibus iam sese mancipaverant?

Et S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I: *Affirmative.*

Ad II: *Affirmative, iuxta cuiusvis Christifidelis devotionem.*

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 21 Iunii 1893.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO, *Praefectus.*

ALEXANDER Archiep. Nicopol. *Secret.*

E S. CONGREGATIONE CONCILII

NANNETEN. ET CAPITIS HAITIANI

DUBII QUOAD ORDINATIONES

Die 15 Iulii 1893.

Vertente mense Iulio anni 1890, Episcopus Capitis Haitiani simulque Administrator Apostolicus Portus Pacis haec S. C. exponere satagebat:

« Seminarium maius provinciae Haïtianae situm est in dioe- » cesi Nannetensi. Omnes autem seminaristae sunt subditi alicuius » ex episcopis haïtianae ditionis. Usquemodo ordinationes in ec- » clesia Seminarii factae sunt tum ab uno tum ab alio episcopo » nomine episcoporum Haïti, aliquando etiam ab uno ex episcopis » haïtianis, ex licentia Episcopi Nannetensis semel data, et litte- » ris dimissorialibus ad Episcopum ordinantem datis, non autem » ad episcopum Nannetensem. Testimonia etiam ordinationis ab » eodem episcopo ordinante subscripta sunt, nulla facta mentione » delegationis Episcopi nannetensis ». Atque his relatis, quaerebat: « 1° Utrum retineri possit talis agendi modus. Quatenus negative. 2° Numquid Episcopi Nannetensis solius sit sive per se sive per alium ordinationes facere in praedicto seminario, datis sibi ab ordinariis ordinandorum litteris dimissorialibus. 3° Cuius sit subscribere testimonia ordinationis. 4° Cuius nomine legi debeat interdictum ante ordinationem. » Preces ceu de more statim remisi Episcopo Nannetensi, qui mense Septembri insequenti haec tantum S. C. significabat: » Mihi rem attentius consideranti, et perspicienti huiusmodi alumnos neque ratione originis, ut plurimos, neque ratione destinationis, neque ratione magistrorum quibus utuntur, sub ditione Episcopi Nannetensis constitui, visum est respondendum satius esse ut Episcopi provinciae haitianae usum retineant de his quoad ordinationes et testimonia ordinationis disponendi tamquam de suis, omissa omnino delegatione Episcopi Nannetensis. »

His acceptis litteris, cum res aliquantulum obscura videretur, rescribendum censui utrique Episcopo, ut magis praecise referret a cuius iurisdictione et vigilantia dependeant alumni et seminarium praedictum, nec non ut transmitterent, si quae essent in regulis aut fundationum tabulis dispositiones, quae ad ordinationem alumnorum aut eiusdem Seminarii dependentiam spectarent. Ac tunc Episcopus Capitis Haitiani hanc accuratam informationem S. O. allegavit, quam, licet vernaculo idiomate exaratam, totidem verbis hic exscribendam operae pretium existimo.

1.° « Le Séminaire de la province d'Haïti est etabli au Calvaire de Pont-château, diocèse de Nantes dans une maison appartenant à la Compagnie de Marie. Il a été fondé en 1872 par Monseigneur Alexis Guilloux, Archevêque de Port-au-Prince, » avec l'agrément de Monseigneur Fournier, Evêque de Nantes et confié à la direction des RR. Pères de la Compagnie de Marie en vertu d'une Convention passée entre l'archevêque de Port-au-Prince et le Superiéur général de la dite Congrégation. Un rescrit du Saint-Siège a autorisé la Compagnie de Marie à s'occuper de la direction du Séminaire d'Haïti.

« 2.° Le Séminaire de Pont-château est entièrement sous la iuridictiòn et la surveillance des évêques d'Haiti, et c'est à eux que le Supérieur de la maison rend compte à des époques fixées de l'administration spirituelle et temporelle de l'établissement. Le Superieur général de la Compagnie de Marie a de lettres des vicaire général des Evêques d'Haïti afin de pourvoir en leur nom, aux nécessités du séminaire, spécialement pour les ordinations, les lettres testimoniales et dimissiorales, les *celebres* à donner aux jeunes prêtres, etc.

3.° « Les ordinations ont lieu le plus souvent dans la chapelle du Séminaire. Elles sont faites par un Evêque invité de la part des Evéques d'Haïti, qui ont la faculté d'ordonner leurs sujets *extra tempora per se vel per alium Episcopum.* Monseigneur l'Evêque de Nantes qui montre à l'établissement la plus grande bienveillance a daigné venir plusieurs fois lui-même faire les ordinations au séminaire, sur la demande du Supérieur. C'est à lui, du reste, qu'on demande l'autorisation nécessaire pour les fonctions pontificales quand elles sont faites par un autre évêque.

4.° « Les élèves du séminaire sont ordonnés au nom de l'E-
» vêque d'Haïti au diocèse duquel ils sont incorporés après avoir
» été excorporés de leur diocèse d'origine, et en vertu des indults
» accordés aux mêmes évêques pour les ordinations *extra tempora*,
» les dispenses de titre d'ordination, etc. Les ordinations se font
» donc au nom des évêques d'Haïti par un Evêque qui agit en
» leur lieu et place, dans un établissement qui est entièrement
» sous leur dépendance, quant à son administration et avec la
» permission requise de l'évêque diocésain du lieu pour les fon-
» ctions pontificales. »

Haec eadem fere et Episcopus Nannetensis serius respondit, addiditque: « Non ullae regulae aut dispositiones aliquid praescribunt de ordinatione alumnorum. Ipsi alumni sunt subiecti alicuius ex Episcopis provinciae haitianae, non quidem ratione originis (e diversis enim Galliae dioecesibus congregantur), sed virtute litterarum excorporationis ab Episcopo originis acceptarum... Seminarium quidem ratione loci, ad dioecesim Nannetensem pertinet, ibique Episcopus Nannetensis iurisdictione ordinaria primario pollet. Ex eius autem licentia semel data, Episcopi Haitiani aut eorum delegati Pontificalia exercent, ordinationes celebrant, ceteraque huiusmodi sine restrictione praestant. »

Quibus praemissis, cum hodie quaestio EE. VV. dirimenda proponatur, pauca in iure pro recepto more subiungam.

Et in primis favore inolitae praxis observari posset, eam consonam videri dispositioni Tridentini in *Cap. 8 sess. 23 De Reform.* qua statuitur ut « unusquisque a proprio Episcopo ordinetur. » Scitum enim est huiusmodi facultatem proprios subditos ordinandi exerceri posse ab Episcopis, vel per se vel litteras dimissoriales dando. Hae vero dimissoriales, ceu ius aperte monet, « ad quemcumque antistitem, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentem » mitti possunt. Unde profecto reprehendendi haud esse viderentur Haitiani Episcopi, qui haud volentes ob locorum distantiam suis subditis in Gallia commorantibus sacros ordines per se conferre, eos ad alios Antistites sibi benevisos remittunt. Nec forsan obiici posset alios Episcopos quibus litterae dimissoriales diriguntur, non posse Pontificalia et proinde ordinationem habere intra limites dioecesis Nannetensis ad tramites *Cap. 6 Sess. 6 De reform.* Etenim ex deductis constat, Nannetensem Praesulem amplissimam ad hoc concessionem Haitianis Episcopis indulsisse, ac iure a S. H. C. in themate rogatum respondisse: « Satius esse

ut Episcopi provinciae Haitianae usum retineant de his quoad ordinationes disponendi tamquam de suis, omissa omnino delegatione Episcopi Nannetensis. »

Accedit quod licet mentio expressa exemptionis Seminarii in loco Pont-château erecti, haud inveniatur in actis, nihilominus ea saltem aliquo sensu minime videretur deneganda. Sane ipse Antistes Nannetensis fatebatur praedicti seminarii alumnos « neque ratione originis, ut plurimos, neque ratione destinationis, neque ratione magistrorum quibus utuntur, sub ditione Episcopi Nannetensis constitui. » Ac praeterea ex litteris Episcopi Portus Pacis eruitur, superiorem generalem Congregationis Mariae Episcoporum provinciae haitianae personam in Gallia gerere, ac vere eorum Vicarium generalem constitutum fuisse praesertim « pour les ordi- » dinations, les lettres testimoniales et dimissoriales, les *celebret* » à donner à jeunes prêtres etc. » Haec autem profecto dum ex una parte privilegium aliquod a S. Sede indultum ostendere videntur, ex alia clare innuunt praefatum Seminarium aliquali exemptione saltem de facto praeditum esse.

Quod si praxis hucusque vigens pro alumnis Seminarii Haitiani, in transmissione litterarum dimissorialium et in collatione ordinum haud sit improbanda, sequi etiam videretur idem tenendum quoad subscriptionem litterarum, quae de peracta ordinatione fidem faciunt. Siquidem compertum est easdem litteras ab eo Episcopo dandas esse, qui sacram ordinationem habuit: ad summum exigi poterit ut iisdem testimoniis de venia Pontificalia exercendi a Nannetensi Praesule concessa mentio fiat.

Nihilominus ex altera parte perpendendum est facultatem ordines conferendi non cuicumque Antistiti ubique competere, sed eam tantummodo in propria dioecesi posse. Sane, in casu haud agitur solummodo de exercitio potestatis ordinis, sed de actu iurisdictionis, qui extra territorium nequit admitti. Monet de Camillis *Inst. Iur. Can. tom 2 pag. 105. edit. Paris. an 1868,* posse quidem Episcopos alienum clericum ordinare cum dimissoriis Ordinarii eius, ast addit: « sed Episcopus qui eas (dimissoriales litteras) recepit, debet cavere ut ibi conferat, ubi datur ei pontificalium usus. » Et clar. Devoti *Inst. Can. lib. 1. Tit. 4. sect. 2.* §. *II.* scribit: « Ordinum ubique conferendorum potestas unius est Romani Pontificis, Episcopi in dioecesi sua. » Quod autem in casu Episcopus Nannetensis facultatem habendi Pontificalia in Seminario Haitiano aliis Episcopis indulserit id haud secumfert pote-

statem ordinationes quasi in proprio territorio peragendi. Unde ceteri Praesules, Haitianis minime exclusis, quoties ibi sacros ordines conferunt, nomine Nannetensis Antistitis agunt, cuius etiam esse videtur de ordinandorum requisitis iudicium ferre, omniaque ordinationi praemittenda moderari. Ceterum praxis Romae et fere ubique vigens ea est, ut quoties aliquis Antistes in aliena dioecesi ordines confert, id non modo ex venia sed vice et nomine Episcopi dioecesani peragat.

Inepte vero prorsus ad seminarii exemptionem in themate confugeretur, quae cum odiosa res sit, utpote laesiva certi iuris Praesulis Nannetensis, esset concludenter non vero per illationes probanda. « Seminarium quidem ratione loci ad dioecesim Nannetensem pertinet, ibique Episcopus Nannetensis iurisdictione ordinaria primario pollet » scribit S. C. idem Nannetensis Antistes, ac proinde nullum privilegium quod ordinariae iurisdictioni deroget admitti potest. Hisce autem positis, et controversia de subscriptione litterarum testimonalium absoluta videretur. Equidem cum unus Nannetensis Praesul sacras ordinationes vel per se vel per alium in suo territorio peragere valeat, sequitur et ipsi tantum competere habitae ordinationis testimonia exarare.

Tandem relate ad ultimum quaestionis punctum scilicet cuius nomine legi debeat interdictum ante ordinationem, cum *ex capit. novit* et *l. omnes 2 ff. de off. procons.* extra territorium nemini datum sit iurisdictionem contentiosam exercere, ne iudici ordinario illius loci iniuriam inferat, Episcopi Nannetensis nomine legi dicendum esset. Neque valet quod clerici subditi sint Episcopi ordinantis, nam ferens censuram debet esse intra proprium territorium, nam extra illud existens etiam sibi alias subditum censura haud ligare potest. Ita Abbas *in cap. novit 7 n. 3 de off. leg.* Schmalzgr. *Pars IV. t. 30 n. 24 etc.*

His quoad propositas quaestiones summatim delibatis rogantur EE. PP. sueta iudicii maturitate resolvere quae proponuntur

DUBIA

I. *An praxis usque adhuc servata in ordinatione clericorum Seminarii Haitiani intra limites dioecesis Nannetensis existentis, retineri possit in casu?*

Et quatenus negative.

II. *An tantum Episcopi Nannetensis sit ordinationes in praefato Seminario peragere, dimissoriales litteras Ordinariis Alumnorum recipere, ferre interdictum ante ordinationem et collatorum ordinum testimonia subscribere in casu?*

R. Ad 1.um Consulendum SSmo pro confirmatione praxis, ita tamen ut ordinandi ad alium Episcopum dimitti non debeant, quoties Episcopus Nannetensis ordinationes habeat.

Ad 2.um Provisum in primo.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

ARCHAEOLOGIA

DE ANTIQUIS RITIBUS CANTUUM MISSAE

(*Contin. vide N. 9, pag. 516*)

X.

1. Cantui a schola finem imposito, totaque offertorii actione peracta, excitat Sacerdos populum ad orandum, incipitque Praefationem adstantes disponens ad praecipuam Missae partem. Praefatione vero expleta, imponit schola Trisagion.

Est autem Trisagion e quatuor pro graecis, e tribus e contra pro latinis, liturgicis hymnis nobilissimus, estque veluti atrium, vel ostium aureum ad sancta sanctorum introducens. Hinc est, quod ubique praeclarissima nomina accepit. Epinicion enim, sive triumphalem hymnum, graeci eum appellant, latini vero Angelicum, Cherubicum, Victorialem.

2. De origine divina huius hymni ambigendum non est. Isaias namque primus omnium testatur, Seraphicos Spiritus se audivisse, alterna modulatione canentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria eius* (*cap. 6*). Postea vero Ioannes in admirabili sua Apocalypsi quatuor mystica animalia plena oculis describens, ait quod requiem non habebant die ac nocte, sed semper clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, et qui venturus est* (*cap. 4*).

Hunc ergo divino-angelicum hymnum a caelestibus mutuatur Ecclesia, suamque miscens angelicae voci, caelestem simul et terrenam aulam exultare facit, hac perfectissima Dei laude.

3. Antiquissimi instituti est cantus Trisagion in Missa. Porro *Liber Pontificalis* in S. Sixto I Papa, ait: " Constituit ut Missarum Actionem Sacerdote incipiente, populus hymnum decantaret, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth ecc. „. Capitularia Regum Francorum (*lib. 1, c. 66*): " Ipse Sacerdos cum Sanctis Angelis et populis Dei communi voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus decantent „. Capitula pariter Herardi Archiepiscopi Turonensis, edita anno 858 (*n. 16*): " Secreta Presbyteri non inchoent antequam Sanctus finiatur: sed cum populo Sanctus cantent „.

Ex quibus testimoniis nonnulli autumant a Sixto I, hunc hymnum Missae additum esse; sed, uti sapienter observat Emus Bona (*Rer. Liturg. Lib. II, c. X*), haud recte. Liber enim Pontificalis hoc unum innuit, a Sixto sancitum scilicet, ut Sacerdote hymnum incipiente, populus eumdem decantaret.

4. Adeoque cordi Ecclesiae fuit huius hymni cantus, ut, cum progressu temporis evenisset ex abusu, nonnisi in solemnitatibus hunc hymnum cani in Missa, sequens canon a Concilio Vasensi II (*an. 529*) editus sit: " Ut in omnibus Missis, sive Matutinis sive Quadragesimalibus, vel quae in defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine quo ad Missas publicas, dici debeat; quia tam dulcis et desiderabilis vox, etiamsi diu noctuque posset dici, fastidium non potest generare „.

Antiqua Ritualia statuunt, ut dum Trisagion psallunt, inclinet se chorus contra chorum, et incipientes

Pleni sunt etc. erigant se. Idem praecipit Lanfrancus in suis statutis (*cap. 5*), *nisi,* inquit, *versus interponantur.*

Sciendum est enim ex quorundam monachorum licentia, morem invaluisse nonnullis rythmis hunc hymnum interpolari. En huius interpolationis exemplum ex vetusto quodam Missali depromptum, et ab Emo Bona relatum (*loc. cit.*):

Caeleste praeconium
Sonet vox fidelium
Ad Dei magnalia. Sanctus.
Virgo parit Filium
Castitatis lilium
Dei plena gratia. Sanctus.
Cuius natalitia
Stella prodit praevia.
Quem paterna proprium
Vox testatur filium
Ad Iordanis flumina. Sanctus.
Cuius sancta Passio,
Mors, et Resurrectio
Mundi lavit crimina. Pleni sunt etc.
Iam in Patris dextera
Sedens super aethera
Regnat super omnia,
Cum paterno Numine,
Et cum sancto Flamine. Hosanna in excelsis.
Ipsi laus, et gloria, in excelsis.

S. RITUUM CONGREGATIO

MEDIOLANEN.

De mandato Rm̃i Dñi Archiepiscopi Mediolanen. hodiernus ipsius Pro-Vicarius Generalis in Spiritualibus S. R. C. sequens dubium pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

An Sacerdotes Ritus Ambrosiani, Cappellani iurispatronatus Ducalis Familiae de Vicecomitibus ad minores Cappellas in Monialium Visitationis publica urbana ecclesia a S. Sophia nuncupata ritus romani, celebrantes iuxta Ambrosiani kalendarii praescriptum, proprio colore, praecipuis tantum quibusdam pro ipsis Monialibus solemnioribus festis exceptis, uti possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Affirmative, ac detur Decretum in una Mediolanen. diei 16 decembris 1828, dummodo diebus solemnioribus se conforment quoad colorem et Missam kalendario Ecclesiae, in qua Sacrum faciunt.* — Atque ita rescripsit, die 23 iunii 1892.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *Secret.*

ANIMADVERSIO

SUPER RELATO DECR. *MEDIOLANEN.*

Relatum Decretum declarat, Sacerdotes Ambrosiani Ritus, dum celebrant in minoribus Cappellis Ecclesiae a S. Sophia nuncupatae, quae Ritus Romani est, proprio colore posse uti; idque iuxta aliud Decretum antiquius quod citat.

Decretum citatum refert, Ecclesiam Coenobii S. Mariae in Aracoeli in civitate Mediolensi plura habere Missarum onera, quibus satisfaciendis impares erant Fratres S. Ioannes de Deo, ad quos pertinebat Ecclesia, cum solus Aedituus penes ipsos Sacerdotio fungeretur. Hinc necessitas alios exteros advocandi Sacerdotes, ut in dicta Ecclesia Sacrum facerent. Ex his vero alii Romanum, alii vero Ambrosianum sequebantur Ritum, singuli vero proprium Calendarium. Hinc uniformitas in paramentorum colore saepius ab omnibus servari non poterat. Quaerebatur ergo, utrum Sacerdotes alterutrius Ritus, praefata in Ecclesia celebrantes, tenerentur servare Decretum in *Varsavien.* (*7 Maii 1746 ad 13*). Hoc est: " An Sacerdotes, qui recitant officium de festo duplici, confluentes ad Ecclesias Regularium sive aliorum, ubi dicitur officium de semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas defunctorum? Item recitantes officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesia, ubi fit de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi nulla ibi sit solemnitas? „ Huic autem Dubio S. R. C. responderat: " Negative quoad primam partem: Affirmative quoad secundam... „

Nunc autem Fratres S. Ioannis de Deo dictam declarationem invocantes, eamque ad Sacerdotes sive Romani, sive Ambrosiani Ritus applicantes, inquirebant: " An praedicti Sacerdotes, sive Ritum Ambrosianum, sive Romanum sequentes, supradictum Decretum in *Varsavien.* servare teneantur; et quatenus affirmative, an Missam de Communi legere debeant, si in proprio Ritu officium de eodem Sancto non recitent, vel potius valeant Missam celebrare votivam? „ Porro huic petitioni sapiens responsio data est: " In casu, a Sacerdotibus ritus Romani servetur Decretum in *Varsavien...*; a Sacerdotibus vero Ritus Ambrosiani servandus ipsorum Ritus „.

Haec itaque responsio iterum invocatur a S. R. Congregatione in praesenti Decreto *Mediolanen.* et ulterius confirmatur. Ergo Sacerdotes Ritus Ambrosiani in Ecclesiis celebrantes Romani Ritus non tenentur, generatim loquendo, se conformare in paramentorum colore aliis Sacerdotibus Ritus Romani, cum proprium Ritum servare debeant. Proprium enim servare Ritum importat: Missam facere respondentem officio, talem, haud aliam Missam recitare, quae in Calendario praescribitur, colore in paramentis uti, qui Missae respondet, peculiares Ambrosiani Missalis ritus et caeremonias exequi, verbo: ambrosianas Rubricales leges in omnibus adimplere.

Equidem si aliquis de Sacerdotibus Ambrosiani Ritus aliquando Missam celebraret iuxta Calendarium Ecclesiae Ritus Romani, sed eam legens in Missali Ambrosiano, iuxta Ambrosianum Ritum substantialiter celebraret. At si eadem Missa officio recitato non sit conformis, si Missa recitanda alium exigeret colorem, is certe Ambrosianum Ritum perfecte non servat. Ut ergo Sacerdos Ambrosianus perfecte relativo

suo Ritui adhaereat, omnes et singulas Missalis Ambrosiani leges servet necessum est. Ex quo sequitur, legem per Decretum *Versavien.* statutam non afficere Sacerdotes Ambrosianos, quippe qui celebrantes etiam in alienis Ecclesiis, proprium Ritum servare tenentur.

Diximus nihilominus, *generaliter loquendo,* Decretum enim praesens excipit dies solemniores, in quibus se conformabunt Calendario Ecclesiae in qua celebrant, quoad Missam et colorem eidem Missae respondentia. Exceptio firmat regulam in contrarium: adeo ut generalis regula sit, Sacerdotes Ambrosianos in Ecclesiis Romani Ritus, non debere se gerere sicuti Romanos, qui celebrant in Ecclesiis proprii Ritus. Ratio autem exceptionis cohonestatur ex solemnitate, quae in loco habetur; ea enim exigit, ut quicumque Sacerdos eamdem recitet, eodemque in colore Missam, quod ceterum facile patet.

Sed animadvertere peculiariter volumus praesentis Decreti sapientiam, Oratorem remittens ad antiquius Decretum *Mediolanen.* In hoc enim Decreto antiquiori agitur de simplici Ecclesia Romani Ritus, in qua Ambrosiani Presbyteri celebrabant. In praesenti vero Decreto agitur de Ecclesia quidem Ritus Romani, in qua tamen quaedam parva sacella extant, proprios Cappellanos possidentia: qui et Ambrosiani Ritus sunt, et Ritu Ambrosiano celebrare tenentur. Licet ergo Ecclesia Romani sit Ritus, in his parvis sacellis Ritus Ambrosianus servari ex fundatione debet. Quomodo ergo, Ambrosiano Ritu, quoad substantium tantum retento, Missam in eiusque proprio colore facere ordinario possent, Ecclesiae Calendario respondentem? Eiusmodi Missa persaepe in Missali Ambrosiano non reperitur: Rubrica de colore paramentorum, Missa-

lis Ambrosiani differt a Rubrica Missalis Romani (1): in Ritu Ambrosiano sex sunt Dominicae Adventus, etc. quae omnia gravia gignerent incommoda, si Sacerdos Ritus Ambrosiani uti, ordinario, non posset suo proprio ritu.

Haec et alia eiusdem generis momenta S. ℞. Congregationem movere fortasse potuere, sicut ad Decretum antiquius, ita ad praesens evulgandum in *Mediolanen.* nullo habitu respecto ad aliud in *Varsavien.* de quo superius. Istud enim postremum pro Sacerdotibus Ritus Romani latum est; ex illis vero, antiquius inter Presbyteros alterutrius Ritus optime distinctionem ulterius declarat, et confirmat.

Ultima conclusio haec sit: nec Decreta emanata pro Sacerdotibus Ritus Romani, ad hoc saltem quod pertinet negotium, attendenda esse ab illis, qui Ambrosiani sunt Ritus; nec, viceversa, Decreta, uti praesens, quae pro Sacerdotibus Ritus Ambrosiani lata sunt, ab illis qui Romanum sequuntur Ritum, esse attendenda.

---

(1) Ex gr. In festo Ss. Innocentium color Rubeus praescribitur in Rubrica Missalis Ambrosiani (§. *39*): in festo S. Antonii Abb. et Ss. Abbatum, etiam Confessorum non Pontificum, Missale Ambrosianum praescribit colorem viridem (§. *40*).

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE NOVA DENOMINATIONE TITULARIS ECCLESIAE.

In civitate B. pervetusta extat ecclesia certe benedicta, et Deo dicata in honorem S. Ioannis Baptistae Decollati, de quo semper antiquitus actum est officium ritu duplici, ut par est, primae classis cum octava. Progressu temporis illa data est Clericis Regularibus S. Caietani a Teano: qui eiusdem S. Fundatoris solemniori pompa celebrantes festum, antiqui festi celebritatem externam neglexerunt. Hinc factum est, ut nova populus denominatione ecclesiam illam appellare ceperit, non amplius videlicet S. Ioannis Decollati, sed S. Caietani. Hoc autem etiam in posterum servatum est, licet praedicti Regulares eam multis abhinc annis reliquerint, et Presbyter saecularis uti Rector acceperit. Novissime Ecclesia eadem Presbyteris, ut dicunt, Salesianis ab Episcopo data est, immo in paroeciam erecta sub Titulo pariter S. Caietani, quem consequenter praefati Sacerdotes ritu duplici primae classis cum octava recolunt.

Quaeritur:

1. *Undenam origo Titularium Ecclesiarum, quando imponantur, et num Episcopalis, vel alia potestas, illos immutare valeant?*

2. *Utrum Presbyteri a divo Francisco Salesio dicti, inspecta consuetudine, possint ac debeant recolere ritu solemniori novum festum, an antiquius?*

3. *Quid de Episcopo iudicandum, sicuti de tota serie facti, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Angeli Melampo e Dioecesi Montis Politiani, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die 6 Iulii 1892: acta Epitoma per Rmum P. Bonaventuram a Collepardo ex Ordine Capulatorum.

I. Inquiritur primo de Titularium Ecclesiarum origine, de tempore quo Titulus datur, et num ab episcopali vel alia auctoritate mutari possit.

Templa christiadum uni dedicari Deo vix innuendum. Sola idololatria sua delubra variis sacrare numinibus consuevit. Cum vero omnia ac singula templa inter christianos soli sint Deo sacra, nil convenientius, alia ab aliis distinguendi causa, quam ut unicuique aliquod imponatur nomen. Namque, ait cl. Guyetus: " Quod est homini baptizato nomen impositum, hoc idem est Ecclesiae dedicatae Patronus (1) seu Titulus,

---

(1) *Patronus seu Titulus Ecclesiae*, ait Guyetus cum aliis antiquioribus, atque nonnullis recentioribus. Ipsae quoque Rubricae Breviarii Patronum seu Titulum Ecclesiae pluries nominant. Admittitur nihilominus Patronum Ecclesiae ab Ecclesiae Titulo differre. Iuxta Guyetum et alios Patronus Ecclesiae respicit proprie personam aliquam, puta Angelum vel Sanctum, cuius nomine nuncupatur Ecclesia. Titulus vero mysterium potius nominat vel rem ad personam pertinentem, puta Trinitatem, Annuntiationem, etc. Antiquitus nihilominus alterum saepe pro altero sumebatur: ut ipse Guyetus fateatur, *confundi invicem, et alterum pro*

quo ipsa nuncupatur, et ab aliis Ecclesiis proprio veluti nomine dignoscitur (*Lib. I, cap. IV*) „

Titulus, si etymologiam perpendas, a *tuendo* id est ab *indicando* dictum fuisse Guyetus tradit, quia, nimirum, rem cui superscribitur indicat (*Lib. I, cap. V, quaest. 1*). Quod etiam impraesenti agimus, titulum in fronte librorum scribentes, ut id de quo agitur ab initio indicetur. Hoc autem et Titulo, de quo nobis est sermo, apprime convenit: cum ordinario ipse Sanctus, vel mysterium, in cuius honorem Deo dedicatur Ecclesia, in ipsis, externis saltem, parietibus inscribatur. Cumque inter rem qualemcumque et nomen, quo illam appellamus, saepissime evenire permutatio soleat, hinc nil mirum, si Ecclesia et Titulus pro eodem an-

---

altero sumi, non esse incongruum (Lib. I, cap. IV, quaest. 2). Quidquid de eiusmodi locutionibus sit, impraesentiarum iuxta communem dicendi modum, aut res, aut mysterium, aut persona quae dat nomen Ecclesiae, appellatur *Titulus, vel Titularis.* Patroni autem denominatio relinquitur locis; hinc Patronus civitatis, Patronus Regni etc. Quae distinctio magis videtur nobis probanda, cum per distincta vocabula, facilius vitetur rerum confusio, et loquendi ratio magis elucescat et intelligatur. Cui autem eo libentius adhaeremus, quo perfecto convenit cum sentiendi ratione Gavanti, qui perspicue docet: « Patronum esse, quem Episcopus cum populo sibi Patronum eligit... Datur autem Titulus Ecclesiae, qui non ita late patet, ut Patronus loci etc. (*Sect. III, cap. XII, n. 1*) ». Equidem, ait Guyetus, se abunde hac super re confutasse Gavantum; sed utrum vere, satis dubitandum. En confutatio: « Quod enim Patronum dicit (*Gavantus*) esse civitatis aut provinciae seu loci, Titulum vero Ecclesiae materialis, id plane non convenit cum iis textibus Rubricarum, in quibus Patronus aeque ac Titulus de Ecclesia dicitur (*Lib. I, cap. IV, quaest. 3*) ». Esto, reponimus; sed qui *Patronum* nominat, ut intelligatur ipsum pertinere ad Ecclesiam, addat oportet, *Ecclesiae*: secus non *titulus Ecclesiae* intelligitur, sed *Patronus loci.* Hinc quotiescumque in Rubricis Patronus ad Ecclesiam pertinens nominatur, haud simpliciter dicitur *Patronus*, sed

tiqui sumpserint, uti et impraesenti fieri solet (1). Hinc in Libro de Romanis Pontificibus legitur, Evaristum Titulos in Urbe divisisse Presbyteris. Titulos autem easdem fuisse Ecclesias non ambigitur, sed omnino certum est, ait Meratus; erant enim sacra illa loca, in quibus Christiani conveniebant ad sacras peragendas synaxes, et Sancta Ecclesiae Sacramenta e

---

Patronus Ecclesiae, seu *Titulus*. Longe ergo melius est Patronum ad locum tantummodo referre, Titulum ad Ecclesiam, uti hodie communiter fit. Ceterum rationem usus unius vocabuli pro altero adducit Meratus; hoc est, quia antiquitus praeter Tituli nomen Ecclesia aliud quoque nomen accipiebat a Pontifice, qui eam dedicaverat, vel ab eo qui eam fundaverat. Hinc Ecclesia S. Mariae trans Tiberim dicta est Titulus Callisti: hinc Basilica Iulii, Basilica Damasi etc. uti etiam Titulus Pudentis, Titulus Fasciolae, Basilica Constantiniana etc. (*Sect. VIII, cap. V, n. 1*). Ex quo unius usurpatio vocabuli pro alio; sed stricte loquendo, iuxtaque praesentem disciplinam, Titulus vere dat nomen Ecclesiae, et confundi non debet cum Patrono loci, qui, uti diximus, ad territorium pertinet, et magis late patet quam Titulus. Itaque concludendum cum Gavanto eiusque expositore Merato: « Nomine Tituli Ecclesiae regulariter venit sanctus ille, sive angelus, sive homo, vel id mysterium... vel quaecumque res sacra... sub cuius nomine... fundata est, et vulgo appellatur Ecclesia (*Loc. cit. n. III*) ».

(1) Tituli nomen longe maiori cum facilitate confundit vulgus cum Ecclesia, ad quam idem Titulus pertinet. Hinc pergere ad S. Petrum, ad S. Ioannem, ad S. Martinum etc. communissima est loquendi ratio in fideli populo, ut significet, se petere Ecclesiam S. Petri, S. Ioannis, S. Martini etc. Quinimo ulterius fideles ingenue progredientes eo deveniunt, ut Ecclesias quandoque denominent ab iis, quorum Ecclesiae sunt. Ita passim audimus dicentes Ecclesiam Carmelitarum, Ecclesiam Praedicatorum, Franciscalium etc. etc. Similiter a loco quandoque Ecclesiae titulum inferunt, in quo construitur: hinc habetur, uti Romae, S. Maria *in via lata*, hinc S. Maria *a quercu*, *a scala*, *a stella* etc. Quae omnia eamdem innuunt necessitatem, quae Tituli nomen in unaquaque invexit Ecclesia, ut inter se altera discernerentur ab altera.

Sacerdotum manibus percipienda (*Ap. Gavant. Sect. VIII, cap. 5, n. 11*).

Dictis arroges, primis Ecclesiae saeculis usum invaluisse, ut super iis locis construerentur Ecclesiae, quae sacra quodammodo reddiderat passio eorum, qui in fidei Christi testimonium sanguinem fuderant. Hinc, animadvertit quoque Meratus (*Loc. cit. n. 1*), ortum habet, quod Ecclesiae in his olim potissimum extruerentur, in quibus passi erant Martyres, aut Sanctorum quorumcumque corpora requiescerent, de quo est illustris locus Prudentii in hymno 5 de S. Vincentio: " Ne sit sepulchrum funeris — Quod plebs gregatis excolat — Titulumque figat Martyris. — „ Quod profecto Christifideles agebant, ne tot virorum, quorum nota fuerat virtus in Christi fide testanda, deperiret memoria. Hinc ipsa templa antiquitus *Memoriae* dicta, vel Martyria, vel Basilicas Martyrum. Unde illud Augustini, uti Guyetus refert (*Lib. I, cap. V, quaest. 6*): " Nos autem Martyribus nostris non Templa sicut diis, sed *Memorias*, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus (*Lib. 22, de Civit. Dei, cap. 10*) „. Notatum quoque volumus, Ecclesias in Apostolorum honorem erectas, fuisse quondam *Apostolea* nuncupatas, in honorem Prophetarum *Prophetea*, sicuti *Martyria*, in honorem Martyrum, ut superius diximus. Hinc recenset Maringola Apostoleum Petri in Urbe Roma, apud Sozomenum Apostoleum Petri et Pauli ad quercum in suburbio Chalcedonis, uti apud Theodorum Lectorem Prophetea Samuelis (*Antiq. Christ. Lib. II, cap. I, n. I*). Ex qua antiquissima consuetudine nonnisi in locis construendi Ecclesias, ubi Martyrum corpora quiescebant, praesens orta est disciplina, vetustatis vestigium, nonnisi pariter super Reliquias Martyrum Sacrificium agere. Ex quibus expositis abunde

patet Titularium Ecclesiarum origo, nempe nominis constructae Ecclesiae imponendi necessitas, nec non memoria eorum, in quorum honorem Deo dicabantur Ecclesiae. Haec quidem ad primam quod attinet quaesiti huius partem.

Ad alteram nunc progredientes, animadvertendum est, in ipsa consecratione extitisse quoque vetustissimam consuetudinem proprium imponendi titulum seu nomen Ecclesiae. Equidem primis saeculis vix nominis imponendi necessitas urgebat, cum locus ipse, in quo Ecclesia construenda erat, vel qui destinabatur ad cultum, alicui Martyri vel pluribus sacer, satis illius indicabat titulum. Nihilominus, cum nunquam mos non viguerit, ut Episcopus consecrator scripto testaretur de Ecclesiae consecratione peracta, huiusmodi inscriptio quodammodo tituli seu nominis impositionem constituebat ex rerum locorumque adiunctis. Blanchinius, uti apud Catalanum (*Comment. ad Pontif. Rom. Pars. II, § IV, n. XIV)* videre est, huiusce inscripti testimonii refert exemplar de Basilica S. Laurentii in Damaso, quod ab ipso Blanchinio interpretatum est sequens:

TITULUS IN CHRISTI NOMINE. EGO DAMASUS URBIS ROMAE EPISCOPUS HANC DOMUM CONSECRAVI NONA REGIONE DEDICATAM, SEPTEMBRIS MENSE. S. PAULUS. S. PETRUS. Haec quidem inscriptio in una antiquae marmoreae tabellae parte legitur. Ex altera vero parte leguntur inscripta nomina Sanctorum Martyrum, quorum in Ecclesia reconditae Reliquiae fuerant, sequentibus verbis, quae pariter idem Blanchinius interpretatur:

HIC REQUIESCIT CAPUT SANCTI CRESCENTINI MARTYRIS, ET RELIQUIAE SANCTI SUPERANTII.

Successu vero temporis ceptum est Titulares explicite nominari. Hinc cl. Archaeologus Dom. Dom. Barbier de Montault (*Les Inscript. de Dedicas.*) inscriptionem (an. 806) refert Dedicationis Ecclesiae Ss. Germani et Genovefae super flumen Ligeris, quae sic se habet:

ANO : INCARNACIONIS : DONI : DCCC : ET : VI : III : NONAS : IAN : DEDICATIO : HUIUS AECCLESIAE
SUB : INVOCATIONE
SCT : GERMINI : SCAE : GINEVRAE.

Similiter parva Ecclesia Romana, quae nunc *S. Maria in Cappella* nuncupatur, anno 1090 dedicata, lapidem habet muro insertum, in quo, praeter alia, haec verba leguntur: HAEC ECCLESIA SANCTE MARIE, QUAE IPPELLATUR AD PINEAM, PER EPISCOPUM UBALDUM etc. etc.

Idem Archaeologus verba facit de Ecclesiis plurimis subsequentium saeculorum, in quarum inscriptione notantur Sancti, in quorum honorem illae dedicatae fuerunt. Non est proinde mirandum, si eiusmodi consuetudo ad nostram usque pervenit aetatem: in qua, iure liturgico statuitur, ab Episcopo consecrante chartulam de pergameno esse inscribendam, in eaque explicite Sanctum nominandum, in cuius honorem ille Deo dedicavit Ecclesiam. Formula eiusmodi in Pontificali praescribitur et indicatur: " Ego N. Episcopus N. consecravi Ecclesiam et altare hoc in honorem Sancti N. etc. „. Imo statuitur, testimonium istud una cum Reliquiis includendum in mundo vasculo, cum tribus granis thuris, atque in sepulchrulo altaris recondendum.

Hinc iure merito concludi potest et debet, Titulum, seu nomen Ecclesiae in ipso actu consecratio-

nis seu Dedicationis fuisse semper, vel implicite vel explicite, impositum. Id quidem, si Ecclesia solemniter dedicetur, si vero simpliciter benedicatur, tunc pariter eidem dum benedicitur nomen imponitur.

Patet ex Pontificali Romano, quod post psalmum *Quam dilecta etc.* peculiarem ponit Orationem, in qua nomen Sancti exprimi praescribitur, in cuius honorem fundanda est Ecclesia. Hoc quoque dictum volumus, ut omnis evitetur difficultatis occasio. Adeo ut, etsi Ecclesia, non fuerit dedicata sed tantum benedicta, omnia quae superius diximus, pari propemodum ratione vim habeant.

Titulo autem seu nomine assignato Ecclesiae, videndum, uti demum petitio prima inquirit, num vel episcopalis potestas, vel alia superior eumdem Titulum valeat immutare.

Praemittimus, hic agi de vera mutatione, hoc est, de alio novoque Titulo sufficiendo alteri antiquo, qui in Dedicationis vel benedictionis actu datus est Ecclesiae: atque ita ut novus valeat, prior deseratur. Hoc animadvertimus, quia aliud est nomen Ecclesiae impositum destruere, ut aliud illi imponatur: aliud est primum retinere nomen, eique aliud novum addere. De hoc non fit impraesentiarum sermo, cum certe possit fieri ex Sanctae Sedis auctoritate, ut ex exemplis et iure constat; sed de illo nunc quaeritur.

Itaque cum Guyeto reponimus, id fieri non posse sine nova Dedicatione aut benedictione. At, priore integra stante, secunda inanis est, et prope sacrilega. Reliquum ergo est, ut inane sit ac prope sacrilegum, abdicato priori Titulo, novum inducere. Imo, addimus cum eodem supercitato auctore : " Si quando accidat, Ecclesiam aliquam dirutam reaedificari, ac denuo consecrari, aequum est maxime, ut non sub

alio quam sub priori Titulo dedicetur, eodemque nomine, quo alias, deinceps etiam nuncupetur (*Lib. 1, cap. 4, quaest. 4*) „. Quod si aliquod in contrarium extat exemplum, arbitrio tribuendum profecto est privatae auctoritatis, et reprobandum. Praeterea, uti alibi dictum est cum cl. Guyeto, dedicatae Ecclesiae se habet Titulus, veluti baptismo nomen; cum autem baptismi nomen mutari non debeat, ita nec mutari debet Ecclesiae dedicatae Titulus, proinde nec benedictae.

Recto sensui liturgico accedunt positivae dispositiones Sacri Tribunalis Rituum, ex quibus duae peculiariter praesto nobis sunt. Prima est Decretum *Tarvisina*, in quo exponebat Episcopus, Ecclesiam iamdiu dedicatam duplici Titulo gaudere, unde controversiae ac lites oriebantur: hinc quaerebat, utrum iure ordinario ipse prohibere posset, ne deiceps dicta Ecclesia duplici appellaretur Titulo in solemni Dedicatione usurpato, ita ut alter e duobus suppressus maneret. Verum negativa responsio data est (*6 Sett. 1834 ad 2*). Super qua sapienti dispositione fas est animadversionem exhibere cl. Gardellini (*Ad not. 1*): “ Unaquaeque Ecclesia ab illius Sancti nomine, cui dedicata fuit, suam accipit appellationem; et sicuti nova Ecclesiae Dedicatio, stante integra priore consecratione, inanis omnino est, quia inaniter consecratur quod execratum non evasit, ita inanis Titularis mutatio esset, relictis vel unico vel pluribus quovis modo constitutis, et alio illis subrogato: simul autem iniuriosa nimis esset haec Titularis mutatio, cum nulla sit ratio alium prae illo inducere „.

Altera est Decretum *Brugen.* quo Episcopus sciscitatur: “ Utrum semel assignato Titulari... alicui Ecclesiae, liceat Episcopo rationabili ex causa illum

in alium immutare? „ Hoc quidem in primo dubio; sed notandum quod in altero quaeritur: " Et quatenus negative, enixe efflagitat, ut ex Apostolico indulto haec sibi facultas in casu elargiatur? „ Iam vero responsum fuit: " Ad 1. Non licere. Ad 2. Pro gratia assumendi S. Annam in Contitularem cum S. Andrea Apostolo, facto verbo cum Sanctissimo (*Die 11 Mart. 1843*) „.

Post hucusque probata, huic propositae petitionis parti respondere liceat: Negative.

II. Inquiritur secundo: An Presbyteri a divo Salesio nuncupati, inspecta consuetudine, possint ac debeant recolere festum antiquius, an novum?

Indubie constat ex casus expositione pervetustam Ecclesiam B. fuisse benedictam: utrum vero dedicata solemniter fuerit non satis clarescit, cum casus simpliciter habeat, *Deo esse dicatam*, seu sacram, *in honorem S. Ioannis Decollati.* Quidquid nihilominus sit, aut in ea dedicanda, aut in ea benedicenda, eiusmodi Ecclesia proprium suum nomen accepit.

Ecclesia ergo B. habet indubie pro Titulo S. Ioannem Decollatum. Huic alium esse additum non constat, sed tantum ad externam quod pertinet solemnitatem S. Caietanum fuisse suffectum; hinc et hoc nomine deinceps appellata est. Recenter denique erecta est in paroeciam sub eodem novo Titulo S. Caietani, quem tantum recolunt clerus et populos, prorsus neglecto et obliterato S. Ioanne.

Quo posito, quaerimus, quidnam sibi velit Titulus S. Caietani, sub quo dicta Ecclesia erecta dicitur? Vidimus namque, Titulum seu nomen Ecclesiis imponi, vel dum consecrantur, vel dum benedicuntur. Iam nunc erectio paroeciae, neque consecrationem includit, neque benedictionem. Pro eiusmodi erectione Eccle-

siae requiritur: 1. Potestas, quae in Pontifice residet, vel in Episcopo (*Conc. Trid. Sess. 21 de reform. cap. 4 et alibi*): 2. Certum determinatumque territorium (*Ib. loc. cit.*): 3. Plures familiae, uti communiter admittitur: 4. Parochus cum cura animarum suisque iuribus: (*Conc. Trid. Sess. 25 de Reform. cap. 13*): 5. Onus denique sepeliendi defunctos, si alius locus desit (*Cap. Ex parte, 4, De sepultur*). Verum quid ad haec omnia, et Tituli seu nominis impositionem Ecclesiae, quae in paroeciae erectione nullo pacto includitur? Quid ergo est huiusmodi Titulus S. Caietani?

Praeterea Tituli impositio cuicumque Ecclesiae, non est de potestate Episcopi, nisi aut dum consecrat, aut dum benedicit Ecclesiam. In casu vero neutrum habetur, sed tantum Ecclesiae existentis sive benedictae, sive consecratae, erectio in paroeciam. Sed nec additum dici potest hoc nomen novum, quia solus huiusmodi additionem facere potest Pontifex, uti exposuimus. Manet ergo, ut huiusmodi Tituli impositio in hoc tantum consistat, videlicet in simplici denominatione S. Caietani, scriptis fortasse mandata, dum nova erecta est paroecia. At eamdem denominationem minus nihilo esse, dicta et exposita abunde ostendunt.

Ex opposito constat Ecclesiam B. certe benedictam esse, et fortasse etiam consecratam, in honorem S. Ioannis Decollati, uti explicite casus ponit. Sub hac vera et authentica denominatione a clero et popolo semper antiquibus cognita fuit, et nuncupata. Ut citra omnem controversiam sit admittendum, verum legitimumque illius Titulum esse S. Ioannem Decollatum.

His positis, quodnam solemniori ritu recitandum est officium a Presbyteris, qui a divo Salesio appellantur? Illud profecto, quod semper antiquitus recitatum fuit. Atqui antiquitus semper recitatum fuit

officium S. Ioannis Decollati; ergo idem officium est recitandum. Adde, ipsos clericos Regulares a S. Caietano dictos, idem quoque officium et ritu solemniori probabilius recitarunt, licet externam neglexerint pompam, quacum S. Caietanum eorum Institutorem recolebant.

Praeterea S. Ioannes, cum sit verus et legitimus Titularis Ecclesiae B. verum consequenter et legitimum ius habet, ut tali sub ritu recolatur, contra alterum, cui nullum ius inesse demonstratum est. Quod ergo praefati Clerici Regulares S. Caietanum celebraverint solemniori ritu, nil opponitur in contrarium, eorum enim Fundator est: quod autem eodem modo eum celebrent tamquam Titulum Presbyteri Salesiani est omnino contra ius. Vix autem innuendum eiusmodi solemniorem ritum, sub quo a Salesianis Presbyteris recolendus est S. Ioannes Baptista Decollatus, esse duplicem primae classis cum octava, uti satis est exploratum.

At consuetudo iam invecta celebrandi solemniori ritu S. Caietanum nihil ne probat? Nihil omnino; est enim abusus, et proinde eliminandus.

III. Quid ergo de Episcopo censendum? Quid, si tota facti series perpendatur?

Respondendum primo: consultius egisset Episcopus, si certiorem se reddere studuisset de Ecclesiae B. Titulari, ut sub hoc Titulo iure illam posset in paroeciam erigere. Sed fortasse excusandus; quia cum vulgaris denominatio illius Ecclesiae iam, ex errore quidem, inducta, esset S. Caietani, hunc iudicavit verum esse et legitimum, haud arbitrarium Titulum. Hinc iudicandum, noluisse Episcopum, novum illi Ecclesiae Titulum assignare, quod non poterat; sed eam simpliciter appellare nomine, quo tunc vocabatur. Vul-

gari autem errore denominabatur a S. Caietano, sed legitime a S. Ioanne Baptista Decollato erat nuncupanda: sub quo nomine certo certius eam in paroeciam erexisset Episcopus, si resciiset errorem. Nihili ergo faciendus error contra voluntatem, sed praesumpta Episcopi admittenda est voluntas, et non a S. Caietano, sed a S. Ioanne Ecclesia nominanda est.

Ad facti seriem quod attinet, arbitramur, minus sapienter se gessisse praefatos Clericos Regulares; hi enim recolere quidem optimo iure proprium Fundatorum poterant, maiori pompa etiam, quam Sanctum Ecclesiae Titularem, sed omnem huius solemnitatem externam ad nihilum redegisse non est probandum. Populus enim in Ecclesiarum Titulares magna devotione fertur, quae quantum fieri potest a Clero fovenda est. Itaque utrumque festum ipsi celebrandum erat sub ritu duplici primae classis cum octava, utriusque pariter festi congrua plus minusve externa solemnitate servata. Quod autem postea operatus est Rector Ecclesiae B. recolendo S. Caietanum solemniori ritu, uti Titularem, probari non potest, quamvis possit ex ignorantia excusari. Denique idem de Presbyteris Salesianis praedicandum: quibus tamen, cum impraesentiarum Ecclesia B. adhuc commissa sit, hoc unum consilium suggerendum: Ritu consueto, uti in universa Ecclesiae, nempe duplici minori S. Caietanum recolant, et S. Ioanni Baptistae Decollato cultum solemniorem restituant, ad quem omne ius habet. Secus enim duplicem ii laesionem iuris admittunt, nempe: ritum duplicem primae classis cum octava tribuunt S. Caietano, et eumdem ritum solemniorem denegant Titulari, seu S. Ioanni Baptistae Decollato; quod est utrumque manifesto contra Rubricas.

FESTA PRIMARIA ET SECUNDARIA

EIUSDEM RITUS ET CLASSIS

DIVERSO ORDINI IURE MERITOQUE ADSCRIBENDA SUNT

S. R. C. Decretorum 2 Iulii et 27 Augusti

COMMENTARIUM ET CONSECTARIA

Pluribus ab hinc annis quaestio exorta est, inter Sacrae Liturgiae cultores, circa festa *primaria* et *secundaria:* num scilicet festa primaria, licet inferioris dignitatis, praecedentiam habeant nec ne, super secundariis superioris dignitatis, quando sint eiusdem ritus et classis.

Maior et sanior pars doctorum, affirmativam tuebantur sententiam, minor autem pars, negativam; haec vero contentio eo magis ardebat, quia pro utraque sententia quaedam afferebantur S. R. C. decreta. In hoc ergo doctorum dissensu, eadem S. R. C. anno 1878 interrogata, ut sensum suum aperiens finem quaestioni imponeret, per b. m. Placidum Ralli, tunc temporis Secretarium, respondere censuit: *Nullam in casu dandam esse responsionem ante quam generalis quaestio super occurrentia et concurrentia festorum omni ex parte definiatur*.

Itaque post hanc declarationem S. R. C. ab ulterioribus declarationibus se abstinuit, volens ut

votum *ex officio* de hac re conficeretur, et quaestio in forma ante suum tribunal agitaretur.

Voti huiusmodi redactio, aliquot rei liturgicae peritis commissa est, sed diversis ex causis numquam in lucem prodiit. Tandem anno 1888 Rev. P. Adelelmus Foppiano O. S. B. votum suum *ex officio* edidit, in quo aperte docet, Festa Domini B. M. V. primaria vel secundaria, semper praecedere debere festis Sanctorum eiusdem ritus. Eodem anno nos ipsi Romae alterum votum edidimus, quod prodiit in hisce Ephemeridibus, in quo pro tenuitate nostra contrariam sententiam defendimus, et votum nostrum, licet non *ex officio*, S. R. C. exhibitum fuit. Cum vero quaestio nondum satis exagitata visa fuisset, et ut maiori sedulitate novisque illustrationibus studium super ea institueretur, tertii voti compilatio *ex officio* commissa est cl. P. Georgio Schober Congr. Ss. Redemptoris, Ratisbonensi, viro undequaque aestimando, et omnibus iam noto, ob diligentissimam revisionem ab eo peractam librorum liturgicorum, quorum editio *uti typica* a S. R. C. declarata est. Hic porro tertius in agone, suum votum anno 1892 typis mandavit, et sententiam nobis contrariam totis viribus tuetur, ac voto cl. P. Foppiano apprime conformem, cui et adhaeserat Commissio Liturgica Romana.

Tunc S. R. C. studia sua iterum sumpsit, et Summus Pontifex Reverendissimo P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotori, ut votum quartum *ex officio* exararet mandavit, ad rem omnibus numeris discutiendam, atque generali decreto definiendam. Reverendissimus vir, optime communi expectationi respondit, et qua pollet peritia, re-

sumpta omni ex parte quaestione, votum suum mense Martio huius anni evulgavit, quod sub oculis habemus, et magno nostro gaudio sententiam nostram vidimus, novis argumentis confirmatam ac omni ex parte defensam.

Operae pretium est praeclarissimi Fidei Promotoris votum praeclarum hac super re illustrare, ut magis eniteat S. R. C. responsio.

Praemonito, quod apud antiquiores quaestio inter festa primaria et secundaria exagitari non poterat, uti hodie fit, quia festa mobilia plurima recenter instituta sunt; ideoque non aderat casus occurrentiae tam frequens, sicut hisce nostris diebus, inter festa primaria et secundaria, cum non alia festa mobilia antiquiora agnoscerentur nisi quae a Rubricis praecipiuntur, quaestionem denuo est ingressus, verum statuens Rubricarum (*tit. X, n. 6*) sensum.

Primum itaque ponit uti legitimum ac firmum criterium pro mensuranda festorum excellentia, *immobilitas* eorum festorum, quae a primis usque saeculis certis diebus affixa fuere. Quae immobilitas, ab ipso nomine *solemnitatis* derivat, cum apud antiquos vox *solemne*, idem sonet ac *perpetuum*, *fixum;* imo eo magis festum aliquod *solemne* dicitur, quo minus periculo remotionis subiacet.

Secundo statuit sensum genuinum vocis *Primarii* et *Secundarii* in subiecta materia, iuxta Gavantum, quem pro sua sententia citaverant adversarii: et licet in Rubricis distinctio festorum in *primariis* et *secundariis*, non inveniatur, si locutio verborum inspiciatur, non deficit tamen eorumdem sensus.

Tertio contra Reverendos Patres Foppiano et Schober docet, verba Rubricae, *Si omnia* (*festa*) *fuerint duplicia vel semiduplicia, fiat de* DIGNIORI, *seu* SOLEMNIORI, duas distinctas praeferentiae causas indicare, prouti nos in nostro voto apertis verbis contendimus. Doctissimus vir id probat, ex natura et sensu filologico particulae *seu*, quae iuxta exempla quae ex classicis scriptoribus adducit, sensum distinctivum praesefert. Deinde suam doctrinam magis comprobat ex laudatissimis doctoribus, quos citat, Guyeto, (*lib. 4, c. 9, qu. 5*), Ioanne Jacobs canonico Brugensi (*Compendium Caerem.*), et Merato (*sect. III, c. X, n. 13*): ex quorum allegationibus firmiter statuit suam sententiam, docens: In paritate ritus festum illud praefertur quod est *solemnius*, in paritate autem ritus et solemnitatis, tunc praefertur festum dignius, nempe maioris dignitatis personalis. Et quia S. R. C. ut ex omni parte et maxima maturitate res tractaretur, a suis Consultoribus exquisierat: *Quae momenta movere illam potuerunt ad plura edenda, licet particularia, decreta pro festis primariis et secundariis*, eximius S. Fidei Promotor non pauca refert ex votis Aloysii Bruni, et Ioannis Fornici, Caerem. Apostol. Praefectorum, ex quibus, anno 1781 primus, anno vero 1821 alter, causas suggesserunt S. R. Congregationi, ob quas festa *primaria* praecedere debent *secundariis*, licet maioris dignitatis personalis. Ex quo deducit clarissimus relator, iurisprudentiam, ut ita eam appellemus, hac super re sensim sine sensu ortam in Liturgia et a S. R. C. acceptandam esse. quae ad dictam conclusionem descendit.

Voto suo Reverendissimus Dom. Dom. Caprara aliam postea *positionem additionalem*, uti vocant, adiecit, in qua suam sententiam triumphaliter confirmat contra quasdam novas responsiones in oppositum. Praeclarum ergo opus eius, dignum erat ut victoriae gloria decoraretur, quod et factum est. S. enim R. C. in suo generali decreto 27 Iunii elapsi, ut pluribus abhinc annis erat in votis, quaestioni huiusmodi finem imposuit, suam faciens conclusionem eximii Promotoris Fidei, et ad dubium: *An et quomodo festa secundaria Domini, B. Mariae V., Angelorum, Ss. Apostolorum aliorumque Sanctorum praeferenda sint festis primariis eiusdem ritus et classis, sed minoris dignitatis personalis tam in occursu, quam in concursu et in eorumdem repositione?* respondit:

In voto R. P. D. Promotoris Fidei: festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu quam in concursu, ad formam Rubricae X de Translatione Festorum n. 6. Quod si eadem festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo praescriptus in memorata Rubrica n. 7; et fiat catalogus festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sunt.

Die vero 27 nuper elapsi Augusti, alio suo decreto S. R. C. catalogum approbavit Festorum, quae uti *primaria* vel *secundaria* retinenda sunt; sicque causa finita est.

Pro qua definitione, summas referre gratias omnes debent, utriusque sententiae liturgici doctores, ecclesiarumque calendaristae, Sedi Apostolicae in primis, quae per suum Tribunal tandem locuta est, dein et praeclaro viro Augustino Ca-

prara, cuius praecipue studiis et lucubrationibus contentio finem habuit.

In huius quaestionis solutione manifeste apparuit, R. P. D. Caprara, non tantum ea scientia omnimode callere, quae decet in S. Fidei Promotore, circa SS. canonizationem, in qua celeberrimum esse eum norunt omnes, sed et in exponendis Rubricis et in sacra Liturgia non minori doctrina esse praeditum.

Nunc ergo liceat ea consectaria inferre ab utroque citato decreto, quae ad praxim magis tyronibus iuvare possunt.

Consectarium I. Ratio praecipua cur Festa *primaria* praeferenda sunt *secundariis*, licet haec sint maioris dignitatis personalis, est quia festa primaria sunt *solemniora*. Hoc apertis verbis notat decretum 27 Iunii dicens: *Festa Primaria* UTPOTE SOLEMNIORA, *aliis secundariis in casu praeferenda sunt*. Quum vero in eodem decreto Rubrica citetur,..... *ad formam Rubricae X de Translatione festorum n. 6*, huius loci genuinum sensum S. R. C. dare intellexit. Audiamus itaque citatam Rubricam: *Si duo vel plura festa novem lectionum simul eodem die veniant, fiat officium de maiori idest de duplici, et de semiduplici fiat commemoratio ut supra. At si omnia fuerint duplicia vel omnia semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori*....... Nos ipsi cum de huiusmodi quaestione egimus in his Ephemeridibus, interpretantes hunc locum, scripsimus: « Scimus, aliquos esse liturgicos do-
» ctores, qui allatam Rubricam exponentes dicunt,
» verba illa *fiat de digniori seu solemniori*, intel-
» ligenda esse quasi unum et idem, accipiendo
» vocem *seu*, in sensu declarativo, quasi *idest*;

» nihilominus, cum verba Rubricarum inutilia esse » dicere nefas sit, NOS DUABUS ILLIS LOCUTIONIBUS » *fiat de digniori seu solemniori*, DUAS DISTINCTAS » FESTORUM QUALITATES INTELLIGERE VOLUISSE PU- » TAMUS, ad fundamentum praeferentiae ponen- » dum (1) ».

Praelaudatus A. Caprara, in suo voto, nostra haec verba referens, post alias interpretationes diversas, scribere ratus est: « Mihi videtur verum » huius Rubricae interpretationem hanc ultimam » esse, et locutiones *dignior seu solemnior* duas

---

(1) Et reapse, bene consideranti Rubrica ipsa argumentum porrigit pro nostra sententia; subiicit enim: *et quae minoris solemnitatis sunt, transferantur*. Curnam hic qualitatem *minoris dignitatis* non repetit Rubrica? Quia, aiunt adversarii, qualitas dignitatis et solemnitatis una et eadem est, ideoque per synonimiam, unam vocem tàntum hic adhibuit. Nequaquam, nos subdimus, etenim verba: — *minoris dignitatis* — hic omisit Rubrica praecise quia diversum sensum habent ab aliis — *minoris solemnitatis* — quasi diceret: Si festa sint eiusdem ritus, *fiat de digniori seu solemniori;* scilicet de digniori in paritate solemnitatis, de solemniori in diversitate solemnitatis; *et quae minoris solemnitatis sunt, transferantur.*

Quam ob rem nihil valet opponi argumentatio adversariorum quae sic ponitur. Si voces *dignius* et *solemnius* duas res distinctas significant, ita argui potest: Illa Rubricae intelligentia salva dicenda est, quae dum legem vult ponere pro occurrentia, revera non ponit; atqui si distinctam habent significationem, voces *dignius* et *solemnius* legem in casu non habemus; ergo. Probatur Minor. Si Rubrica dicit fieri in casu de *digniori seu solemniori* in sensu distincto, de quo erit faciendum? de digniori an de solemniori? Rubrica hoc non dicit, ergo legem non ponit; ergo erronea est et falsa illius interpretatio.

Respondeo: Lex illa satis clare expressa habenda est, quae, etsi paucissimis verbis, omnes casus respicit in subiecta materia,

» distinctas causas praeferentiae indicare ». Cum vero S. R. C. votum praeclarissimi viri acceperit, imo cum ex hac Rubricae interpretatione via aperta sit ad quaestionis solutionem, non alium sensum habere istam Rubricam hodie dicendum est: eo magis, quia Pontifex maximus huiusmodi decretum, uti par erat, approbans, *sententiam eiusdem S. R. C. ratam habuit et confirmavit,* IUSSITQUE (advertendum est hoc verbum praeceptivum) *iussitque ita, et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda:* sic legitur in fine

---

ac pro omnibus casibus disponit; atqui Rubrica nostra sic se habet ergo.

Probatur minor. Rubrica in hoc loco, omnes casus possibiles occurrentiae respicere debebat, etiam in paritate festorum ritus; atqui casus dari potest, quo eadem die occurrant duo festa, ex quibus unum *dignius* et aliud *solemnius;* ergo et hic casus a Rubrica praevidendus erat. Recte igitur illam locutionem adhibuit: fiat *de digniori seu solemniori* in sensu distinctivo, ut pro casu exposito satis faceret, ac pro ceteris etiam casibus provideret. Et sane, si eamdem significationem, voces *dignius* et *solemnius* haberent; inutilis foret una ex illis, et in casu duorum festorum simul occurrentium, ex quibus unum *dignius* et aliud *solemnius*, Rubrica nihil diceret. Bene ergo utraque voce usa est, innuens quid sit agendum quando festum *solemnius* occurrit cum *digniori.*

Et quod haec sit revera ratio, ob quam tali locutione usa sit Rubrica, aperte evincitur, ex verbis, quae statim sequuntur, nempe: *et quae* (festa) *minoris solemnitatis sunt transferantur;* in quibus non amplius Rubrica loquitur, de *dignitate,* sed solummodo de *solemnitate* maiore, quia haec qualitas in casu, nobilior evadit.

Quando vero festa simul occurrentia sunt aequalis solemnitatis, tunc fieri de *digniori* suggerit Rubrica, deficit enim causa maioris solemnitatis; ideoque lex faciendi de *digniori seu solemniori,* duas distinctas qualitates indicat, ergo nostra interpretatio, pro legitima habenda est, et hodie a novissimo S. R. C. decreto accepta fuisse dicenda est.

citati decreti. Ergo sententia nostra tuta erat; ergo tota ratio praecellentiae inter festa eiusdem ritus, et classis est maior solemnitas. Et cum festa *primaria* in sensu Rubricae, eiusdem sint solemnitatis, si conflictus habeatur inter duo festa primaria, tunc illud praefertur quae maioris est dignitatis personalis, e converso cum festa *secundaria* minoris sint solemnitatis, cedere debent primariis, licet haec inferiora sint ratione dignitatis.

Consectarium II. Festa primaria, non tantum praeferuntur secundariis in occurrentia, sed etiam in concurrentia; decretum enim dicit *praeferenda esse tam in occursu quam in concursu*. Ergo si festum primarium alicuius Sancti, concurrit cum festo secundario Domini, Vesperae erunt de Sancto cum commemoratione festi secundarii. Hac lege porro declaratae sunt opportune Rubricae concurrentiae; cum ergo legimus in tabella concurrentiae n. 6. *Totum de digniori, commemoratio de minus digno,* ita haec verba sunt intelligenda quasi dicerent: *Totum de solemniori, commemoratio de minus solemni*, si diversa aguntur solemnitate: de *digniori* vero, si aequalis sunt solemnitatis.

Consectarium III. Festa primaria praeferuntur secundariis etiam in ordine repositionis, decretum enim mandat: *Quod si eadem festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo praescriptus in memorata Rubrica* (nempe X) *n. 7*. Haec autem sic se habet: *Si plura festa duplicia, ex iis quae transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur*. Ergo, cum ratio praecedentiae festi primarii sit eius maior solemnitas, nam decretum, uti vidimus, supra hoc innuit explicite; et

cum citata rubrica doceat in ordine traslationis prius esse celebrandum festum, *quod est magis solemne*, liquido profluit festum primarium alicuius Sancti, prius esse reponendum quam festum aliquod secundarium Domini. Quod diligentius advertant calendariorum redactores, doctrina enim a liturgicis auctoribus hac super re hucusque tradita haud tantae erat perspicuitatis, et dignitati potius quam solemnitati favere visa fuit.

Consectarium IV. In catalogo festorum, quae uti primaria vel secundaria habenda sunt a S. R. C. adprobata, invenimus festum Ss. Nominis Iesu inter secundaria recensitum; ergo S. R. C. implicite reformare voluit Rubricam specialem illius festi, quae hodie sic se habet: *Occurrente Dominica Septuagesimae reponitur hoc festum in die 28 Ianuarii tamquam in sedem propriam, translato quocumque alio festo, nisi sit altioris ritus.* Ex hac Rubrica speciali iure deducebatur, quod si alicubi die 28 Ianuarii occurreret festum duplex 2. classis, transferendum fuisset ut locum cederet festo translato Ss. Nominis Iesu. Hodie vero cum hoc festum *secundarium* declaratum sit, plane sequitur in occursu cum *primario* cedere debere. Ergo in locis, ubi die 28 Ianuarii agitur festum *primarium* duplicis 2. classis, hoc non amplius transferendum erit, sed Ss. Nomen die 29 reponendum, uti nobis videtur. Quod si aliquo anno transferenda sint idem festum Ss. Nominis et aliud festum secundae classis primarium, tunc, quia die 28 Ianuarii quasi propria pro SS. Nomine a Rubrica indicatur, tunc putamus in eadem die 28 Ianuarii, dummodo a festo 2 classis primario *occurrenti* non impedita, festum Ss. Nominis

esse reponendum, et aliud festum 2. classis primarium, ad aliam diem sequentem esse transferendum.

Consectarium V. Similiter in praedicto catalogo, solemnitas quoque Ss. Rosarii inter *secundaria* festa recensita est; ergo S. R. C. in hoc derogare voluit alteri suo decreto 11 Septembris 1887, in quo de festo huiusmodi mandaverat: *non posse transferri in aliam diem, nisi occurrente officio potioris ritus.* Itaque si festum Ss. Rosarii alicubi occurrisset eadem die cum aliquo festo, licet *primario* eiusdem ritus duplicis 2. classis, hoc transferri debuerat vi citati decreti, ut locum cederet festo Ss. Rosarii; hodie vero vi novissimi decreti, festum Ss. Rosarii, utpote secundarium, cedere debet festo primario. Ergo si alicubi occurrat cum duplici 2. classis primario alicuius Sancti, de hoc erit agendum, uti fiebat ante decretum 1887, et Ss. Rosarii festum ulterius transferendum.

Consectarium VI. Iisdem ex rationibus dubitari nunc potest, an Festum Sacr. Cordis Iesu in occurrentia praecedat omnibus duplicibus 1 classis, licet absque feriatione celebrentur.

Cum enim hoc festum, ex decreto *Urbis et Orbis* 28 Iun. 1889 locum cedat tantum duplicibus 1. classis quae cum feriatione coluntur, cumque hodie ex decreto 22 Augusti elapsi idem festum inter secundaria connumeratum fuerit, dubitari potest an hoc posterius decretum vim abstulerit priori. Si nobis licet ratiocinari, videretur, quod recens decretum revera derogaverit priori, propter duo. Primo, quia ex novissimus decretis circa festa primaria et secundaria S. R. C. intellexit rem

ex novo componere, abrogando omnia anteriora decreta, quae sint novissimis dispositionibus suis contraria; secundo autem, quia postponendo festum Sacr. Cordis Iesu, utpote secundarium, omnibus duplicibus 1. classis primariis, habeant vel non habeant feriationem, lex liturgica facilior et simplicior evadit.

Nihilominus, cum die 2 Iulii elapsi, eadem S. R. C. praescripserit: *Festum S. Ioseph transferendum esse ad normam decreti lati de festo Sacr. Cordis Iesu, nempe locum cedat tantummodo duplicibus 1 classis quando sub duplici praecepto fiant;* dicendum est, S. R. C. voluisse suum decretum servare circa praeferentiam Sacr. Cordis Iesu prouti iacet, atque pro huiusmodi festo exceptionem ponere. Igitur, Sacr. Cordis Iesu festum, licet *Secundarium*, praefertur festis 1. classis *Primariis*, quando haec absque feriatione celebrantur.

Consectarium VII. Cum ergo festa *primaria, secundariis* praeferantur tam in occursu, quam in concursu, et in repositione, licet sint eiusdem ritus et classis, ergo in eodem ritu et in eadem classe dantur festa diversi ordinis. Ergo festa ordinis superioris, iisdem iuribus gaudent, in conflictu cum festis eiusdem ritus et classis sed ordinis inferioris, quibus potiuntur festa maioris ritus. Ergo sicut ex. gr. duplex 1. classis praefertur in occursu, in concursu et in repositione duplici II classis, ita duplex maius primarium, scilicet duplex maius *primi ordinis,* in occursu, concursu et in repositione praeferendum est alii duplici maiori secundario, scilicet secundi ordinis. Rev. Pater A Carpo rem optime attigerat, quando scripsit (*Bibliot.* p. 2, c. 10, 11, 2): « In festis se-

» cundariis etiam insigni dignitate praeditis, si » simul occurrant cum festis primariis, istis ce- » dunt officium utcumque sint inferioris dignitatis » obiectivae; quia festa primaria et secundaria » NON SUNT EIUSDEM CLASSIS, SED ILLA SPECTANT » AD CLASSEM SUPERIOREM... quocirca, sicut non » attenditur dignitas quando, festa non sunt eius- » dem ritus, ita nec perpendi debet cum festa » non sunt eiusdem classis». Haec Patris A Carpo aurea locutio, etsi non satis praecisa, quia festa primaria et secundaria eiusdem ritus et classis, non constituunt *diversas alias classes*, sed diversos ordines in eadem classe et ritu; spiritui tamen Rubricarum consona erat omnino, et novissimis S. R. C. decretis apprime conformis.

Ergo distinctio festorum eiusdem ritus in ordines, quam nos proposuimus in nostro voto, nihil aliud erat nisi legitima et necessaria deductio ex spiritu, si non ex littera, Rubricarum, et consectarium liquidum ex doctrina summorum virorum in Liturgia, nempe Gardellini, Marchesi et P. A. Carpo, et hodie quam maxime huiusmodi distinctio in ordines legitime infertur e novissimis S. R. C. decretis, quidquid dixerint vel dicant adversarii nostri. Ergo non tantum dantur ordines inter duplicia 1. classis, sicuti hodie communiter admittitur, sed et opportune imo necessario dividenda sunt in ordines reliqua quoque duplicia.

(*Continuabitur.*) Doct. PETRUS PIACENZA.

CASUS LITURGICUS

In civitate N. duae sunt parochiales Ecclesiae, quae pro titulo habent, altera Deiparam in caelum receptam, altera S. Petrum Apostolum. Hae autem Ecclesiae praeter titulum, quem, ut par est, sub ritu dup. 1. cl. cum octava recolunt, patronum quoque loci celebrant S. Martinum Ep. sub eodem ritu, sine feriatione tamen, ob consuetudinem in civitate iamdudum invectam. Sed die 15 Novembris in eadem civitate fit quoque festum S. Homoboni, qui Patronus est praecipuus civitatis episcopalis totiusque dioecesis, sub eodem pariter ritu maximo cum octava, imo et cum feriatione. Cumque die 18 mensis eiusdem, occurrat octava S. Patroni civitatis N. hinc ab immemorabili redigi solet ad instar simplicis festum Dedicationis Basilicae Apostolorum Petri et Pauli.

Quaeritur :

1. Utrum Clerus civitatis N. teneatur celebrare festum S. Homoboni Patroni civitatis episcopalis et Dioecesis sub praefato ritu ?

2. Si affirmative, an iure ad simplicem ritum redigatur Dedicatio Basilicae SS. Apostolorum Petri et Pauli ? An potius reponenda in prima die non impedita ?

3. An in dictis parochialibus Ecclesiis ad literam N. in Oratione *A cunctis* nominari debeat S. Martinus ? An vero omittenda verba *atque Beato N.* ?

4. Vigente antiquissima consuetudine commemorandi in suffragiis S. Martinum, an sufficiat eius nomen praeponere aliis Sanctis Patrono et Compatro-

nis, qui in commemoratione communi, pro civitate episcopali et Dioecesi leguntur, uti mos est: an potius requiratur alia antiphona separatim cum versu et Oratione dicenda, sive propria, sive de communi?

SOLUTIO.

1. Affirmative ad primum. Decretum namque *Marsorum* d. d. 12 Nov. 1831 ad Dub. 41 inquirit: " Civitates et oppida, quae iam habent Patronum principalem, debent ne aut saltem possunt continuare celebrationem Protectoris principalis Dioecesis sub ritu dup. 1. cl. cum octava . . . ?

Responsio autem est: " Affirmative ad primam partem, seu continuationem officii . . . „ Clarius Decretum in *Caven.* quaerebat: " An de protectore principali civitatis celebrari debeat officium cum octava per civitatem et Dioecesim? „ Cui S. R. C. respondit: " Affirmative, tam in civitate quam in Dioecesi (*23 Mai. 1639 ad 1*) „. Conveniendum tamen, Decreta plura edicere, festum huiusmodi non esse celebrandum, ubi Patronus peculiaris habetur, vel ad summum celebrandum sub ritu inferiori. Nihilominus consuetudines locorum S. R. C. exturbare hoc super negotio non intendit: adeo ut in illis civitatibus et pagis, ubi Patronus peculiaris recolitur, etiam Patronus civitatis episcopalis et Dioecesis sit recolendus, si eiusmodi consuetudo vigeat. Hoc erui tantum potest ex innumeris ea super re Decretis particularibus, quae particularia proinde loca respiciunt. Cum ergo talis sit consuetudo in casu, ut Patronus civitatis episcopalis et Dioecesis ubique celebretur sub ritu 1. cl. cum octava, dicta consuetudo servanda est.

2. Ad secundum: negative ad primam, affirmative ad alteram partem. Sane, nulla auctoritas privata valet ritum immutare officiorum: ritum, inquam, sub quo a S. R. C. vel a Summis Pontificibus festa concessa sunt. Sed calendariorum redactores in festis disponendis, quae impediuntur, sive per accidens, sive perpetuo, leges Rubricarum servare debent. Nunc autem Dedicatio Basilicae SS. Apostolorum Petri et Pauli duplicis fuit ritus usque in praesens, et modo ad duplicem maiorem ritum evecta fuit. Ergo perperam ad modum simplicem redactum fuit istud festum, talique sub ritu perperam inscribitur in Calendario.

Sequitur ex dictis, quaerendam esse in Calendario diem primam post 18 Nov. quae non sit impedita festi novem lectionum, in eaque reponatur oportet Dedicatio praedicta, quae recolenda impraesentiarum est ritu duplici maiori. Animadvertas velim nihilominus, haec dies non esse necessarium ut sit in singulis quibusque annis libera, esset enim tunc impedita *per accidens;* sed sufficit ut non sit impedita *perpetuo* festo novem lectionum, ut reponi in illa perpetuo possit Dedicatio Basilicae SS. Ap. Petri et Pauli. Quod si aliquando cum alio festo occurrat, nihil interest; leges enim occurrentiae tunc servandae et applicandae erunt.

3. Negative ad primum, affirmative ad alterum. Indubia res est, in Oratione *A cunctis* ad litteram N. nominandum esse Titularem Ecclesiae, in qua celebratur Missa. Si vero Titulus sit aliquod mysterium, vel celebretur Missa in Oratorio, quod non habet Titulum (nisi Titulus Ecclesiae principalis sit nominandus), his in casibus loci Patronus optime nominari potest et debet (*Brugen. 12 Sept. 1848 ad 2*). Diximus, *nisi Titulus Ecclesiae principalis sit nominan-*

dus: uti accidit quando Oratorium in quo fit Missa, continetur intra confinia loci ubi est Ecclesia Titulo gaudens, a qua Oratorium absolute dependet.

Verum si Ecclesiae Titulus in Oratione *A cunctis* necessario nominandus, quod in corpore Orationis inveniatur, uti de B. M. Virgine, de S. Ioseph, ac de SS. Apostolis Petro et Paulo accidit; tunc nulla alterius Sancti agenda nominatio, quia Ecclesiae Titulus iam nominatus est (*Ord. Min. de Observ. 16 Apr. 1853 ad XIX*). Atqui in casu S. Martinus est Patronus loci, et vel Beata Maria, vel S. Petrus, iam nominati fuere in Oratione *A cunctis*; ergo amplius nominandi non sunt, loci Patronus nominari non debet, et omittenda proinde verba *atque Beato N.*

4. Ad quartum quod attinet, non possumus quin sequentia animadvertamus. *a*) Ut quaesitum lectores nostri omnes intelligant, praenotare fas est, commemorationem communem, quae fit in civitate episcopali totaque dioecesi ad utrasque Vesperas et Laudes, quae eadem est, consistere in invocatione Patroni principalis civitatis episcopalis, aliorumque Compatronorum, qui plures sunt, et omnes singillatim invocantur, quod et in Oratione comprobatur. Nunc autem adm. Rev. Inquirens exponit, consuetudinem in Civitate N. vigere praemittendi praedictis Patrono et Compatronis nomen S. Martini Patroni loci, tam in antiphona quam in Oratione. Et quaerit, an recte negotium vertat, an alia potius antiphona dicenda sit propria de S. Martino. Verbo, inquirit: an S. Martinus separatim sit commemorandus ab aliis Patronis, et per quamnam antiphonam, an de communi an propriam: an potius in invecta consuetudine continuare liceat. *b*) Itaque observandum est, Patronum civitatis N. et Patronum civitatis episcopalis totius-

que Dioecesis, esse procul dubio diversos: adeo ut, sicut confundi non possunt, ita nec simul in una Antiphona et Oratione commemorari debeant. Neque ab antiphona et Oratione exemplum desumendum, quibus Patronus civitatis episcopalis aliique Compatroni simul commemorantur; quia hi omnes ad unam pertinent Ecclesiam, et mirum non est, cum sint multi, si eiusmodi immemorabilis extet consuetudo. Sed in casu nostro habemus Patronos diversarum Ecclesiarum, qui, stante consuetudine, omnes recolendi; sed Patronus loci, cum potior sit aliis, quia magis ad locum pertinens quam reliqui, si res in se spectetur, peculiariter nominandus venit. Adde, plura in officio S. Martini esse ita propria, ut ad antiphonas suas ipse videatur ius habere, tam in Laudibus quam in Vesperis, potiusquam ad aliam, in qua sic nominatur. Haec quidem, ut innuimus, re in se spectata. *c*) Hisce nihilominus haud obstantibus, considerandum quoque est, Patronum quemcumque ius non habere ut commemoretur in Suffragiis, vi Rubricae; (1) sed

(1) Rubrica Generalis Breviarii postquam locuta est de Commemorationibus communibus, quae in ipso Breviario inscribuntur, prosequitur dicens: «... Et illis adiungitur commemoratio de Patrono vel Titulo Ecclesiae etc. (*Tit. XXXV, n. 1*)». Quod et repetit Rubrica specialis: «De Patrono vel Titulari Ecclesiae fiat commemoratio etc.». Auctores super intelligentia verborum *de Patrono vel Titulo* Ecclesiae non sunt concordes, ut aliter Gavantus, atque aliter Guyetus illa exponat, quos alii sequuntur auctores. S. R. C. modo, iuxta Ecclesiarum consuetudines, uni favere, modo alteri visa est sententiae. Hoc nihilominus unum ex recentissimo et adhuc inedito Decreto, quod praeterita cuncta vel revocat, vel declarat, vel compendifacit, certum est: commemorationem de Titulo tantum Ecclesiae vi Rubricarum faciendam esse, et pro Regularibus etiam de S. Fundatore: de aliis vero locorum Patronis nunquam, nisi ex consuetudine.

tantum Decreta permittere talem commemorationem solius ratione consuetudinis. Nunc autem consuetudo viget in casu ut huiusmodi commemoratio fiat; cumque sola consuetudo talem commemorationem cohonestet, hinc arbitramur, ex eadem consuetudine affici etiam modum, quo eiusmodi commemoratio recolitur. Praeterea, si nominationem S. Martini in commemoratione communi constaret esse ex arbitrio, crederemus esse eam toto iure mutandam in propriam; sed ex opposito praesumi iure potest, eiusmodi antiphonam ex competenti auctoritate habuisse principium, nisi evidenter contrarium probetur. *d*) His omnibus bene perpensis, concludimus, si constet, consuetudinem istam nec tempore, nec auctoritate cohonestari posse, eam esse mutandam, sumendamque propriam S. Martini antiphonam, et propriam Orationem cum quibus tam ad Laudes quam ad utrasque Vesperas, loci Patronus commemorari debet in casu: si vero constet, vel consuetudinem huiusmodi commemorationis conglobatim et singillatim omnium Patronorum loci et dioeceseos esse immemorabilem, vel legitima auctoritate invectam, eam non esse mutandam, sed retinendam.

NONNULLIS DIFFICULTATIBUS

SUPER ORDINE COMMEMORATIONUM IN VESPERIS

SATISFIT

Quamvis, post plura in his Ephemeridibus diverso tempore exposita, ordo tenendus in commemorationibus agendis ad Vesperas satis certus et firmatus nobis visus fuerit; nihilominus nondum dissidentes cessant ab opponendis difficultatibus, quas pluris facientes, quam ipsae revera mereantur, Ephemeridum sentiendi modum adhuc censura notant. Nos igitur, nomine nostro, nomineque Directionis Ephemeridum, hanc dare iudicamus responsionem adversariis: ut sententiam nostram clariorem reddentes, iis simul faciamus satis.

Ut interim res ab omnibus intelligatur facillius, opportunum ducimus nitide statum hic ponere quaestionis.

Quaeritur ergo, quae sit prima commemoratio facienda in Vesperis, post orationem officii, de quo actum est saltem a capitulo.

Nos arguentes ex Rubricis (*Tit. XI, n. 10*) et S. R. C. decreto 18 Decembris 1779, N. 4395, probare nisi sumus, primam commemorationem esse faciendam de officio concurrenti, de illo scilicet, cuius pridie dictum, vel in crastino dicendum est officium.

Ratio est, quia alia officia cuiuscumque ritus, quorum agenda est commemoratio, uti ad instar

simplicis redacta, in Vesperis nihil aliud iuris habent, nisi solam commemorationem; officium vero concurrens ius habet ad Vesperas, vel ad *Capitulum*, vel ad *dimidium*. Quod si aliquando, ob dignitatem alterius officii concurrentis, primum officium revera Vesperas, vel capitulum, vel dimidium non habeat, hoc nullimode causatur ab officio simplificato. Quomodo ergo officium concurrens, quod in Vesperis per se partem obtinet, ideoque per se locum habet ante simplificatum, in casu, quo et ipsum commemorari tantum debeat, suum locum cedet?

Rem explicabit exemplum. Anno proximo die 21 Ianuarii in Ecclesia B. novum recolitur festam Sacrae Familiae, occurrens in Dominica Septuagesimae: in Ecclesia vero C. celebratur officium Dominicae Septuagesimae, quia illud Festum S. Familiae nondum inductum fuit in Calendario. Nota quod die 20 Ianuarii in utraque Ecclesia B. et C. celebratur festum S. Liberatae Virg. ritu *semiduplici*.

Quomodo ergo ordinandae erunt Vesperae die 20 Ianuarii in dictis Ecclesiis? In Ecclesia C. Vesperae erunt de S. Liberata, a capitulo de Dominica cum comm. eiusdem S. Liberatae et S. Agnetis, *duplex simplificatum*.

Ita enim Gavantus (*sect. III, c. 8, n. 14*) docet: « Si festum semiduplex occurrat in Sabbato ante Dominicam privilegiatam, quae est simul dies octava, eo casu in Vesperis Sabbati, Antiphonae et Psalmi erunt de Semiduplici, capitulum de Dominica privilegiata, commemoratio PRIMUM DE SEMIDUPLICI, quod habet dimidium Vesperarum, et deinde diei octavae, quae in toto die sequente

Dominico nihil habet, nisi commemorationem ». Pro eodem casu ita quoque docet Cavalerius (*t. 2, c. 10, decr. 1, N. 10*). « Si festum (Sabbati) Semiduplex fuerit, cum hoc habeat dimidium Vesperarum, congruit ut EIUSDEM COMMEMORATIO PRAEFERATUR illi de octava, quae in iisdem Vesperis non habet, nisi meram commemorationem ».

Adversarii nostri, idem tenent cum citatis summis doctoribus. In ecclesia autem B. pro casu proposito, iuxta eosdem adversarios die 20 Ianuarii Vesperae erunt *de sequenti* festo S. Familiae, cum commemoratione 1. de Dominica Septuagesimae, 2. de S. Agnete (*dupl. simplif.*) 3. de S. Liberata (*semidupl. praeced. concurr.*).

Nos vero ita in casu ratiocinamur. Cur si in Ecclesia C. fit primum commemoratio praecedentis S. Liberatae ac postea S. Agnetis, in Ecclesia vero B. prius S. Agnes erit commemoranda, ac dein S. Liberata? Quae causa adest huius inversionis? Nonne in utraque ex dictis Ecclesiis, S. Agnes est impedita *impedimento occurrentiae*, S. Liberata vero plus vel minus impedita impedimento *concurrentiae?* Ex eo igitur, quod in Ecclesia B. S. Agnes impeditur dupliciter a festo scilicet S. Familiae, et a Dominica Septuagesimae, melioris conditionis forsan facta est, quam in Ecclesia C, in qua impeditur simpliciter a Dominica praedicta?

Aliis verbis, si S. Liberata ius habet ad I^{am} commemorationem in Ecclesia C. eo quod, ut docent Gavantus et Cavalerius, S. Agnes in casu *non habet nisi meram commemorationem*, cur in Ecclesia B. suum ius amittet? Forsam S. Agnes in Ec-

clesia B aliquod habet, ultra *meram commemorationem?*

At dissidentes ad hoc respondere festinant, quod in Ecclesia C, S. Liberata habuit dimidium Vesperarum, ergo illi debetur praecedentia; in Ecclesia vero B. tam S. Agnes quam S. Liberata, *meram habent commemorationem.* Haec ratio invicibilis fortasse illis apparet, sed in aequivoco eos versari, facile probatur.

Licet in Ecclesia B, ut in casu proposito, in Vesperis S. Familiae tam S. Liberata, quam S. Agnes habeant tantum commemorationem, nihilominus S. Agnes nihil aliud radicitus habere potest; dum S. Liberata in radice aliquid melioris habet, nempe ius ad Vesperas.

Scilicet, S. Agnes nullimode certare et dimicare potest in Vesperis, cum, docente Rubrica (*Tit. XI, n. 10*) *simplex, aut simplificatum, cum in sequenti die non habeat officium nec etiam convenit illud habere Vesperas.*

Sancta ergo Liberata etsi *semiduplex,* in casu nostro, tam pro Ecclesia B. quam pro Ecclesia C. habet officium suum integrum, et vere concurrit in Vesperis; ex adverso, S. Agnes licet *duplex,* est tamen ad ritum simplicem redacta, ideoque stricto sensu non amplius concurrit; ita ut, si verbi gr. in Vesperis nihil agi deberet de Dominica aut de S. Familia impediente, Vesperae forent integre de semiduplici praecedenti, cum commemoratione duplicis simplificati.

Quamquam ergo Rubrica, a dissidentibus citata dicat: *Cum plures fiunt commemorationes, servetur hic ordo: de duplici licet agatur tamquam simplex, de Dominica, de semiduplici etc.;* nihilomi-

nus ex ea statim non licet deducere, esse in casu proposito prius commemorandam S. Agnetem utpote ritus duplicis, alioquin errassent Gavantus et Cavalerius, qui docent in casu prius esse commemorandum Semiduplex praecedens, *quia habet dimidium Vesperarum*. Citata enim Rubrica nisi accipiatur cum grano salis, errores non paucos ex illa procedent.

Nos igitur ita argumentamur: duplex simplificatum commemorari semper debet ante semiduplex pariter simplificatum, *transeat;* ante semiduplex non simplificatum, *nego*. Etenim *iure* et *nomine* magis valet in Vesperis Semiduplex concurrens, licet de eo agatur ob concurrentiae legibus tantum commemoratio, quam duplex simplificatum.

Semiduplex enim iure et nomine praecedit in Vesperis Simplicem, licet sit simplex per accidens.

Rubrica ergo citata nihil contra nos habet, imo si ex illa omnia deduci deberent, uti volunt adversarii, hoc sequeretur, quod Dominica privilegiata in ordine commemorationum postponenda esset duplici simplificato, quod a veritate absonum est.

Itaque semiduplex concurrens, quod totum officium habuit, nobilius illo anno est quam duplex simplificatum, eadem mensura qua semiduplex nobilius est quam simplex; ergo prius agenda est commemoratio de Semiduplici, et postea de Simplici.

Sed tempus est ut dissidentes nostros argumento ineluctabili ad hominem perstringamus. Patientia aliquantula erga nos utantur, et casum accipiant.

In Ecclesia A. die 3 Februarii agitur festum *semiduplex* S. Blasii Ep. M.; die 4. S. Andreae

Corsini Ep. *duplex* et die 5. S. Agathae Virg. M. *duplex*.

Cum autem anno proximo die 4 occurrat Dominica Quinquagesimae, secundae classis, rogamus dissidentes, ut vesperas ordinent pro dicta Ecclesia A. tam diei 3. Februarii, quam diei 4. Statim ipsi ita Vesperas ordinabunt:

Die 3. . . . Vesp. de S. Blasio *semid.* a cap. de Dom. seq. com. praec. et S. Andreae Ep. C. (dupl. ad instar simpl. redactum).

Die 4. . . . Vesp. de seq. S. Agathae, com. Dom. et S. Andreae.

Nos omnino hunc ordinem adprobamus: Ipsi vero nescimus utrum approbare valeant, quando insistere velint in eorum principio. Aiunt enim: die 17 Septembris huius anni, ob occurrentiam festivitatis VII dolorum B. M. V., officium Sacr. Stigmatum S. Francisci simplificari debet. In vesperis diei 16, prima commemoratio erit SS. Stigmatum (*dupl. simplif.*) *eo quod,* (en argumentum adversariorum potissimum) *eo quod nisi existeret officium impediens*, nempe VII Dolorum, *Vesperae integrae essent de SS. Stigmatibus* cum praecedens (SS. Cornelius et Cyprianus) sit ritus semiduplicis. Ergo, uti cuique apparet, in sententia adversariorum, ratio cur prius est in casu commemorandum duplex simplificatum, alia non est, nisi quia remoto impedimento *occurrentiae,* remoto scilicet impedimento propter quod duplex est simplificatum, Vesperae essent de huiusmodi duplice.

Nonne aliis verbis haec est dissidentium ratiocinatio? Nos vero ultra procedimus, et eosdem dissidentes sic alloquimur. Nonne in casu proposito, si Dominica Quinquagesimae non esset im-

pedimentum occurrentiae, die 3 Februarii Vesperae essent integrae de S. Andrea Corsini ritus duplicis, cum commemoratione praecedentis *semiduplicis?* Et die 4, nonne Vesperae forent de S. Andrea praecedenti, a capitulo de seq. S. Agatha cum commemoratione praecedentis? Cur ergo in ordinandis Vesperis prout supra, die 3 Februarii prius acta est commemoratio semiduplicis occurrentis et postea de duplici simplificato? Si ratio ab illis relata, aliquid valeret, valeret utique in utroque casu; atqui in casu supra expósito, testantibus Gavanto et Cavalerio, prius agenda est commemoratio Semiduplicis concurrentis et postea de duplici simplificato, ergo ratio adversariorum probat nimis, proindeque nihil.

Rogamus itaque adversarios, ut bene distinguere velint inter impedimentum *occurrentiae* et impedimentum *concurrentiae,* in hac enim distinctione stat cardo solutionis huiusmodi quaestionis. Attamen, dicent dissidentes: verba, verba habet hic doctor P. Piacenza praetereaque nihil; probet ille, cum scriptoribus *Ephemeridum liturgicarum*, uti iterum atque iterum invitavimus, *probet quod Semiduplex, datis conditionibus supra expositis, ius habeat* NON *ad Vesperas integras, sed solummodo ad* DIMIDIATAS, *aut* A CAPITULO, *et tunc... victas dabimus manus.*

Ante omnia declarare opus est, rationes hic allatas nobis omnino demonstrativas undequaque apparere: ita ut ex Rubricis (*Tit. XI, n. 10*) et ex S. R. C. decreto 18 Decemb. 1779, simul collatis, nihil aliud logice inferri possit nisi conclusio nostra. Nihilominus, ne occasionem se con-

querendi dissidentibus praebeamus, iis volumus in singulis satisfacere.

Ipsi argumentantur: Si negetur festo duplici ad simplicem ritum redacto, ius concurrendi, tunc excluso officio impediente, ob leges occurrentiae, concurrens officium semiduplex ius haberet ad *integras Vesperas.* Sed vero, cum S. R. C. addat AUT CAPITULUM, AUT DIMIDIAE, quaerimus: Cuinam dicunt relationem haec ultima verba? Profecto, non ad concurrens Semiduplex, quia iam demonstratum est illi Vesperas in casu competere INTEGRAS; ergo ea referuntur ad festum simplificatum, quippe quod, amoto impedimento, iura sua acquisivit. Quousque ergo non demonstretur, semiduplici in casu inhaerere ius, non ad Vesperas integras, sed tantum ad dimidiatas aut a Capitulo, sustinebimus, S. R. C. decretum *Ephemeridum liturgicarum* sentiendi modo esse contrarium. Hisce verbis, si bene intelleximus, nos ad pugnam provocant adversarii, et nos certamini annuimus.

Redeamus ad casum anni proximi 1893, pro ecclesia B. in qua in Dominica Septuagesimae agendum est festum *duplex maius* Sacrae Familiae, et redigenda ad ritum simplicem S. Agnes. In Sabbato actum est officium *semiduplex* S. Liberatae: Vesperae, uti supra diximus, erunt de Sacra Familia, cum commemoratione *praec.* S. Liberatae, ac dein cum commem. Dominicae privileg. et S. Agnetis ad simplicem ritum redactae. Quare? quia amoto impedimento *concurrentiae* Festi Sacrae Familiae, DIMIDIAE VESPERAE essent de S. Liberata.

Nunc sit casus alter. In ecclesia F. in primo Sabbato mensis Iunii agitur festum duplex maius

Sacri Cordis B. M. V. Hoc Sabbatum occurrit die 4 Iunii, nempe in festo duplici S. Francisci Caracciolo, ideoque die 5 est Dominica de qua agitur officium.

Quomodo ordinandae Vesperae Sabbato praedicto? Erunt integrae de Sacro Corde B. M. V. cum comm. Dominicae seq. ac postea de S. Francisco; quia amoto impedimento *concurrentiae*, scilicet, nisi obstarent Vesperae digniores Sacri Cordis B. M. V. A CAPITULO essent de Dominica, compertum est enim S. Franciscum Caracciolo ius in casu non habere nisi ad commemorationem. Ergo commemoratio cominicae praeferenda est commemorationi S. Francisci duplicis simplificati.

Ergo ecce a nobis demonstratum, semiduplici in casibus praedictis ius inhaerere ad *dimidiatas* Vesperas aut *a capitulo*.

Scimus, adversarios nostros pro utroque casu respondere, falsam esse conclusionem nostram: amoto enim impedimento S. Familiae in primo casu, Vesperae forent *dimidiae* de S. Liberata, et a *capitulo* de Dominica Septuagesimae; et amoto impedimento Sacri Cordis B. M. V. in secundo casu, Vesperae forent *integrae* de S. Francisco Caracciolo, ergo.

Nos autem reponimus: amoto impedimento OCCURRENTIAE, *concedo;* amoto impedimento CONCURRENTIAE, nego. Scilicet, dato quod in utroque casu non *occurrat* festum vel S. Familiae, vel Sacri Cordis B. M. V. certo certius Vesperae erunt prout adversarii volunt, et nos nullimode contradicimus; nihilominus hoc serio advertant, denuo rogamus, quod dato impedimento *occurrentiae* prout supra, simplificari oportet festum S. Agnetis in primo

casu, et S. Francisci Caracciolo in secundo, et cum simplificata fuerint, iam *concurrere* nequeunt. Ex adverso, remanente impedimento *occurrentiae*, removeri vel immutari potest impedimentum *concurrentiae*, ideoque evenire potest, quod aliqua ex causa alterutrum ex concurrentibus officiis de facto non obtineat, quod de iure haberet, nisi obstaret maior alterius dignitas.

Ceterum, verba S. R. C. decreti, aut CAPITULUM AUT DIMIDIAE posita sunt, ut omnes casus commemorationum comprehendantur. En alius casus: infra octavam privilegiatam Pentecostes, ex. gr. occurrunt simplificandi die 25 Maii S. Gregorius VII, et die 26 S. Philippus Nerius: in Vesperis diei 25, qualis ordo tenendus? Cum remoto impedimento *occurrentiae* Vesperae a CAPITULO forent de S. Philippo, de hoc prius erit agenda commemoratio, et postea de S. Gregorio. Ut ergo quaestio in hoc casu resolvi possit, opportune providit S. R. C. decretum praedictas locutiones adhibens, nempe *aut capitulum, aut dimidium;* tunc et non aliter, in medio prodit impedimentum *occurrentiae*. Et nunc satis sit, parcantque lectores, si prolixiores fuimus.

Doct. PETRUS PIACENZA.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Parisiis.* **De capite detegendo vel non in absolutione, dum cantatur ℟. " Libera me Domine „.**

Dum cantatur ℟. *Libera me Domine* in absolutione post Missam defunctorum facienda, Sacerdos debet ne stare *capite detecto*? Nonne Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, c. XXXVII, n. 5.*) innuere videtur, caput detegi tantum ad finem dicti Responsorii?

Resp. Affirmative ad primam partem; liturgici enim omnes, quos consulere potuimus, vel uno ore docent, celebrantem ac ministros sub tota absolutione *capite detecto* stare debere, vel supponunt. Vide, si lubet, De Herdt (*Pars. 6, n. 252*), Wapelhorst (*De exeq. n. 292 - 4*) et alios.

Ad Caeremoniale autem quod spectat dicimus, quamquam, primo intuitu, ipsum videatur innuere quod Rev. Inquirens notat; tamen si eius verba antecedentia ac consequentia bene perpendantur, satis fortasse apparere, ipsum iuxta sententiam nostram, quae uti diximus communis est, intelligendum. Namque Caeremoniale (*loc. cit.*) haud dicit, Celebrans caput *detegit*, sed ablativo, uti dicunt, absoluto utitur dicens: " Celebrans vero, dicto ultimo *Kyrie eleison,* stans, *detecto capite*, in dicto cornu versus ad altare etc. „. Scilicet, capite, quod iam ab initio absolutionis detexerat, adhuc detecto, ac stans sicuti ab initio stabat, dicit etc.

Arroges, ibi de absolutione agi, quae fit haud ad castrum doloris, iam antea suo loco dispositum; sed

super pannum nigrum, vel super lecticam mortuorum, ante gradus altaris a clericis delatam. Nunc ipsum Caeremoniale apertissimis verbis docet, celebrantem tali in casu, in cornu Epistolae se sistere debere, facie ad altare versa, ibique expectare finem responsorii. Iam vero nonne absonum foret celebrantem videre ante missale *stantem capite cooperto* in decursu alicuius functionis?

Praeterea etiam Caeremoniale (*loc. cit.*) simul in eodem capite exhibet Rubricas vel caeremonias, sive ab Episcopo, sive a simplici Sacerdote in ritu absolutionis servandas. Eapropter cum in eodem numero 5, (*cap. cit.*) caeremonias Episcopi posuisset dicens: " Incoepto *Kyrie eleison*, surget Episcopus detecto capite „ ; postea vero quasi ad discrepantiam significandam inter caeremonias Episcopi, et simplicis Sacerdotis, utitur verbis *Celebrans vero* etc. Hinc si Episcopus tempore cantus responsorii " *Libera me Domine* „ sedet caputque cooperit, simplex sacerdos e contra, etiam iuxta Caeremoniale, stat caputque sub toto responsorio detectum tenet.

Haec quidem dicta sint, ut Dubio veluti ad instar difficultatis, exhibeamus responsum. Nihilominus adm. Rev. Inquirentem exoramus, ut Ephem. legere velit anni 1891 ad pag. 450 et seq. (*Dub. IV*). Ubi quaestio agitur de sedendo vel stando ad Absolutionem a Clero, dum canitur *Libera.* Etenim licet agatur de clero, utrum possit sedere, an stare in casu debeat, optime applicari quae dicta ibidem sunt, ad Celebrantem possunt, vel sedentem vel stantem: cum aliunde indubium sit, hunc sedere quidem in genere posse capite cooperto, nunquam vero capite cooperto stare. Ibi autem facile infertur ex expositis, Celebrantem quoque, quamvis non sit Episcopus, sedere posse, ex

legis interpretatione, dum canitur *Libera;* quia eodem tempore sedere potest et circumstans clerus. Non enim est ratio, cur stare ille debeat, dum iste sedet.

II. *Ex Adamantina in Brasilia.* **De precibus post Missam praescriptis in die Comm. Omn. Fid. defunct.** In locis ubi ex privilegio Sanctae Sedis in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum tres Missae celebrari possunt, preces a SSmo D. N. Leone Papa XIII praescriptae post Missam, quando recitandae sunt?

Resp. Iam alias in hisce Ephemeridibus alteri dubio, huic simillimo, responsum fuit. Ibique docuimus, preces de quibus in casu, utpote non stricte liturgicas ad Missam non pertinere; ideoque haud post unamquamque Missam dicendas, sed post ultimam tantum, si tres Missae una post alteram dicantur.

E contra post unamquamque, vel post secundam et tertiam, si Missae aliquo interiecto temporis spatio inter unam et alteram celebrentur. Brevitatis studio Rev. Inquirentem illuc remittimus (*Vol. tert. pag. 156*), ut momenta perpendat, quibus nostram munivimus sententiam.

III. *E Kiang-Si in Sinis.* **De modo benedictionis ab Episcopo impertiendae post administrationem Viatici.** Persaepe in istis longinquis regionibus accidit, ut Episcopus ipse S. Eucharistiam per modum Viatici administrare debeat; trina ne ab eodem Episcopo benedictio tunc danda est infirmo ac populo, an vero unica tantum?

Resp. Praecipuus propriusque Episcoporum codex, praeter Pontificale, Caeremoniale Episcoporum est. Cum ergo codex iste trinam benedictionem doceat ab Episcopo impertiendam manu, et maxime, cum Venerabili quando solemniter benedicit, huic praescri-

ptioni et in benedictionibus post administrationem Viatici profecto standum est (*Lib. I Caerem. Episc. cap. XXV, n. 3 et 5*). Opponi fortasse poterit, Episcopum agere in casu, uti simplicem Presbyterum; hinc debet se gerere uti simplex Presbyter. Sed difficultas nullius videtur momenti; namque imprimis Episcopus Ordinarius est primus parochus, et omnia, si velit, parochialia munia exercere ipse potest, uti Episcopus. Praeterea in functionibus, quae communes sunt Presbyteris et Episcopis, utrique in iis exercendis se gerere debent, ut propria relativa dignitas exigit, uti evenit etiam in Missa, in benedicendis Nuptiis, etc. Eiusmodi autem est administratio Viatici, peculiariter benedictio, quae infirmo primum, inde populo solemniter datur.

IV. *Ex eodem loco.* **De quibusdam verbis Ritualis: quomodo intelligenda sint.** Rituale Romanum (*Tit. IV, c. 4, n. 23*) de pyxide loquitur velo cooperta. De quonam velo intelligendum, de parvo pyxidem cooperiente, an de oblongo humerali sic dicto?

Resp. Profecto de secundo, uti ex toto contextu manifestum fit. Ibi enim agitur de benedictione cum pyxide danda, quae cum velo humerali impartitur, totam pyxidem contegente. Accedit, ut evidentius negotium huiusmodi declaretur, Decretum S. R. Congnis in *Meliten.* ad 5, d. d. 23 Febr. 1839, quo edicitur: " Deberi in benedicendo populo (*idem ex paritate rationis dicas de benedicendo infirmo*) cum sacra pyxide, illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humeralis ".

Nota. Ad tertium quod attinet dubium respondemus, severam legem, ut ostensorium vacuum velo in casu cooperiatur, nescimus; attamen communiter ita fit ex laudabili consuetudine. Ad quartum denique,

illud non esse nisi typographicum mendum, in alio subsequenti fasciculo postea explicite emendatum (*V. n. 5, pag. 512*).

V. *Ex Aesio.* **De identitate Evangelii festi cum Evangelio feriae occurrentis.** In Aesina Dioecesi festum Translationis Almae Domus Lauretanae ritu duplici secundae classis celebratur: hoc autem anno, occurrens cum Dominica II Adventus, transferri debet, et in feriam IV quatuor temporum incidit. Nunc autem cum idem sit Evangelium festi ac feriae occurrentis, quamquam diversa sit homilia, quid agendum?

Resp. Servandum credimus quod Rubrica praescribit in festo Expectationis Partus, scilicet: pro Homilia in Festo Translationis almae Domus Lauretanae assignata, tres leguntur lectiones de Homilia feriae Quatuor Temporum cum responsoriis tamen de festo, et in fine Missae Evangelium dicitur S. Ioannis, haud feriae, cum idem sit ac illud festi. Cum enim eadem sit ratio, eadem iure supponitur legis dispositio. Et sane extra controversiam est, Evangelium Feriae Quatuor temporum in fine Missae huius festi non posse legi, sicut nec in festo Expectationis partus; quia idem est ac Evangelium festi, quod in corpore Missae legitur. Nunc vero lex certa est, de Evangelio quod in fine Missae non legitur, non esse Homiliam legendam in Officio. Huiusmodi autem ratio optime in casu comprobatur ad festum quod attinet Translationis almae Domus, in feriam IV Quatuor temporum incidentis. Ergo eamdem merito credimus servandam dispositionem iuris pro alio casu statutam.

VI. *E S. Catharina ad Ionium.* **De festis Dominicis affixis, non transferendis.** Gaudent ne translationis privilegio festa duplicia maiora Dominicis affixa? Et quatenus affirmative transferenda ne sunt in pri-

mam diem liberam, respectu habitu ad earum dignitatem?

Resp. Ad primum quod spectat quaesitum, distinguendum est: Vel de festis agitur Dominicis quidem affixis, sed universalibus, uti festa SSmi Nominis Iesu, Septem Dolorum B. Mariae Virginis Patrocinii S. Ioseph etc., et tunc transferuntur in primam diem liberam, ratione tamen habita ad eorum solemnitatem. Vel de festis agitur quae affixa sunt Dominicis, sed quae particularia sunt, idest alicui concessa regno, nationi, dioecesi, etc. et tunc cuiuscumque sint ritus, si ob occursum aliorum officiorum, altioris, vel etiam eiusdem ritus, diebus assignatis celebrari nequeant, sunt omittenda, vel imploranda facultas ea transferendi. Ita pluries declaravit S. R. Congregatio (*Vid. decr. die 12 Nov. 1831, 12 Sept. 1840, 20 Mart. 1863, 19 Iun. 1700 etc. etc.*)

Diximus, *respectu habito ad solemnitatem*, potiusquam ad dignitatem. Ratio sita est in Decreto Generali nuper edito super primariis et secundariis festis, vi cuius, non solnm in occursu et concursu, sed etiam in translatione, festa primaria licet dignitate inferiora, praeferenda sunt secundariis licet potiora dignitate; quia illa îstis *solemniora* sunt (*S. R. C. 2 Iul. 1893*).

Ad secundum quaesitum provisum in praecedenti.

VII. *Ex eodem loco.* **De benedictione pro sponsis.** Matrimonio tempore clauso celebrato, solemnis benedictio statim ne danda est post tempus clausum in qualibet Missa diei currentis, vel potius attendendum est semiduplex aliquod festum, ut votiva Missa pro sponsis dici queat?

Resp. Ad libitum est, vel diem non impeditam expectare, vel in Missa diei eam benedictionem dare. Consultius nihilominus, ac sponsis utilius benedictio-

nem accipere post celebrationem Missae ipsorum propriae. Velim nihilominus animadvertatur, adm. Rev. Inquirentem falso laborare supposito. Enimvero festum semiduplex expectandum profecto non est, ut Missa pro sponsis dici valeat; ipsa enim prohibetur tantum: In Dominicis et festis de praecepto: In duplicibus primae et secundae classis: Per octavas Epiphaniae et Pentecostes, in vigilia Pentecostes et in die octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia primae et secundae classis excludentibus: per totam octavam Corporis Christi prohibetur in iis tantum Ecclesiis, in quibus haec octava celebratur ad instar octavae Epiphaniae: in feria Rogationum, si praeter Missam praescriptam Rogationum, alia Missa celebrari non possit. Ad diem quod attinet Commem. omn. Fidelium Defunct. V. Ephemer. huius anni 1893, n. 3, pag. 159, *Resp. 2.*

Nota. Ad tertium ex eodem loco dubium, respondemus: Probare non possumus, ut aliquam sacram functionem agentes, salutent, vel etiam resalutent per viam, eidem functioni extraneos; ipsi enim agere debent quod agunt.

VIII. *E. Belgio.* **De Presbytero genuflexo Ostensorium a Diacono recipiente ad Benedictionem.** Potestne Sacerdos genuflexus recipere a Diacono SS. Sacramentum in Ostensorio, antequam benedicat populum cum eodem Ven. Sacramento, ut notatur in Pontificali ad processionem in solemnitate Corporis Christi?

Resp. Controvertendum non est, Caeremoniale Episcoporum praescribere, cum de processione agit in festo Corporis Christi, ut Diaconus det SS. Sacramentum in Ostensorio positum Episcopo genuflexo (*Lib. II, cap. XXXIII, n. 20*). Idem praescribitur in eodem codice, cum agitur de processione feriae V in coena

Domini: " Diaconus... offert... SS. Sacramentum Episcopo genuflexo (*Lib. II, cap. XXIV, n. 12*) „. Praeterea ipsemet Diaconus praecipitur accipere SS. Sacramentum genuflexus de manibus Episcopi (*Loc. cit., n. 13*). Ex his adm. Rev. Inquirens quaerit, an debeat inferri, idem posse fieri a Sacerdote: ut nempe de manibus Diaconi SS. Sacramentum recipiat genuflexus, antequam popolum cum eodem Sacramento benedicat.

Sed illatio nobis non videtur legitima. Namque Caeremoniale Episcoporum de processione loquitur, et etiam de benedictione: in illa loquitur de Episcopo genuflexo, recipiente e manibus Diaconi Sacramentum: in ista vero de eiusmodi genuflexione penitus silet. En textualia verba: " ... Qua finita (*Oratione de Sacramento*) accedet ad altare (*Episcopus*), et accepto... Ostensorio cum SS. Sacramento, illud ambabus manibus velatis elevatum tenens... cum illo signum crucis super populum ter faciet... (*Lib. II, cap. XXXIII, n. 27*) „. Inde prosequitur: " Quo facto, iterum deponet SS. Sacramentum super altare etc. (*Loc. cit.*) „. Ex his liceat consectarium inferre, Episcopum videlicet non debere genuflexum esse cum a Diacono recipit SS. Sacramentum, ante benedictionem impartiendam.

Namque aliud est processio, aliud benedictio, sine vel cum processione. In primo casu Episcopus genuflexus, accepto e manibus Diaconi Sacramento, surgit, ostendit stans versus populum Sacramentum, deinde incipit processio, et Episcopus intrat sub baldachinum, portans Sanctissimum Sacramentum. Eadem a Diacono fit caeremonia post processionem, cum recipit Ostensorium e manibus Episcopi, qui SS. Sacramento postea thus adolere debet. Haec autem caeremonia optime

servatur in processione, sive in festo Corporis Christi, sive feria V in coena Domini, iuxta Caeremonialis praescriptum.

In altero vero casu de hac solemniori caeremonia codex liturgicus tacet omnino; quia fortasse Episcopus populum solummodo benedicere debet, nihilque aliud cum Sacramento agere, adeo ut ritus exercendus minus sit solemnis, quam dum fit processio. Inferes, quamvis Benedictio solemniori modo possit dari, hoc est cum duobus maioribus ministris, Diacono et Subdiacono, Alba et Dalmatica indutis; nihilominus, cum locum non habeat processio, sed unice benedictio, neque caeremoniam genuflexionis habere locum.

Opponens: In benedictione Diaconus dare non deberet, iuxta Caeremoniale, Ostensorium Episcopo, qui illud a se ipso debet accipere, uti vidimus. Dato ergo, quod Diaconus in manibus Episcopi Ostensorium ponat, nonne consequens est, ut illud Episcopus genuflexus quoque recipiat? Respondemus negative. Primo, quia si hoc Diaconus agit, ex commodo agit, ita enim facilius ab Episcopo vel Sacerdote Sacramentum accipitur; sed ex hoc non sequitur illum manere debere genuflexum, quod maioris est solemnitatis et non praescriptum. Secundo, quia haec quoque est romana consuetudo in quamplurimis Ecclesiis, inter quas etiam observantiores non desunt. Idem quoque fieri solet, quando Presbyter tantum habetur vel Diaconus in Benedictione pro exponendo et deponendo SSm̃um Sacramentum; sed nunquam functionem peragens Ostensorium recipit genuflexus.

IX. *Ex eodem loco.* **De modo thus adolendi choralibus**. In choris Monachorum, vel etiam Seminariorum, sunt Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, aliique clerici inferiores: in thure iis adolendo, aliqua ne facienda

est distinctio, ita ut Sacerdotes duplici, reliqui unico ductu sint thurificandi, clerici ad modum unius? In sacris Ordinibus constituti recensendi ne sunt inter Sacerdotes, an inter clericos?

Resp. In choris non potest distinctio fieri inter varios clericos, nisi fiat etiam distinctio loci, plus minusve honorabilioris, in quo choralibus sedendum est: vel nisi forma vestium chorales demonstret, uti in Praelatis accidit. Quod probatione non indiget; quomodo enim is qui thurificat Sacerdotes ab aliis discernere potest, qui in gradu inferiori Ordinis sunt? Ea propter dantur in Ecclesiis capitularibus duo vel plures subselliorum series, iuxta quas vel sunt, aut considerantur ut Canonici, vel ut inferiores clerici: et iuxta gradum loci, quem tenent, duplici vel unico incensantur ductu, vel ad modum unius. Quod si omnes indiscriminatim unicam subselliorum seriem tenerent, omnes et singuli eodem modo essent incensandi. Si vero alii superiorem, sint Sacerdotes, sint Diaconi, Subdiaconi, vel etiam clerici, alii inferiorem tenerent subselliorum seriem; tunc illi duplici, isti unico ductu, vel ad modum unius thurificandi essent. Excipe Praelatos, qui primos semper gradus tenent in choro, si tamen praelatitio habitu sint induti, et nihilominus a ceteris distinguuntur, nisi alii sint ipsis dignitate Canonicali pares.

Nota. Functionem peragens, sicuti ministri alii, antequam surgant, ut thus imponatur in thuribulo, iure faciunt SS. Sacramento exposito profundam reverentiam, quia aliam actionem peracturi sunt. De obligatione autem id faciendi, nescimus quid respondeamus; agitur enim de consuetudine, sed nusquam eiusmodi reverentiam praescriptam legimus. Sed, rationem non videmus, quare eamdem agere reveren-

tiam debeat Celebrans, ante Orationem *Deus qui nobis* recitandam; quia simpliciter surgit, quin aliud agat, ut prosequatur functionem per recitationem vel cantum Orationis. Ceterum et hic animadvertimus, nihil esse praescriptum, et consuetudines Ecclesiarum optime posse observari.

X. *E Baionae Dioecesi.* **De loco absolutionis pro defuncto agendae**. Usus alicubi viget, ut Celebrans absolutionem facturus pro defuncto, eo in Ecclesia se transferat quo manet familia defuncti; ibique, pluribus accensis luminibus, Celebrans cantet absolutionem. Est ne iuxta regulam?

Resp. Regulam in casu nec familia defuncti facit, nec Sacerdotis arbitrium, sed Rituale Romanum. Iam nunc Rituale hoc explicite praescribit: " Sacerdos deposita cagula... accipit pluviale... cum Diacono, et Assistente, aliisque ministris... sistit se contra crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei a sinistris duobus acolythis etc. etc. ... absolute dicit... Orationem etc. (*Tit. VI, cap. 3, n. 7*) „. Paulo vero ante (*n. 4*) eadem lex habet: " Deposito feretro in medio Ecclesiae, etc. „. Quid ergo significat Absolutionem facere in loco, ubi est familia defuncti? Num ad solatium id fit eiusdem familiae? Optimum esset, et caritate id plenum, nisi lex obstaret, cuius observantia et defunctum solatur et defuncti familiam. Hinc concludimus: aut familia defuncti se locabit eo proximius, ubi Celebrans absolutionem ex lege facturus est, et recte se sistet Sacerdos ei familiae vicinius: aut alibi dicta familia se sistet, et Celebrans, illius locum negligens, legem adimplebit.

XI. *Ex eodem loco.* **De variis Dubiis facilioris solutionis.** *a*) Presbyter rediens post Absolutionem per-

actam in sacrarium, recitans *De profundis* tenere ne debet caput coopertum bireto?

Resp. Citra controversiam affirmative. Namque semper, quotiescumque Presbyter redit in sacrarium post quamcumque absolutam functionem, capite cooperto incedit. Et sane caput detectum actus esset prorsus inutilis, nihilque significans.

b) Si dum Celebrans rediens in sacrarium recitare debet *De profundis*, nonne repetita antiphona, et praecedentes versus recitabit? At quinam hi versus sunt?

Resp. Affirmative. Versus autem ii sunt, qui in Missali defunctorum typico inscribuntur, id est: *Kyrie eleison etc. — A porta inferi etc. etc.* Nam post Absolutionem ibi legitur: " Deinde... in Sacristiam revertentes, dicant sine cantu antiphonam: *Si iniquitates* cum psalmo *De profundis. Requiem aeternam*, ut infra fol. 45 „. Iam vero loco citato, explicite, post repetitam antiphonam, versus de quibus supra recitandi inscribuntur.

c) Candela accendenda ante unamquamque crucem die anniversarii Dedicationis Ecclesiae, quo collocanda?

Resp. Ubi commodius potest, dummodo prope ad crucem: ut significetur, in honorem uniuscuiusque benedictae crucis adesse lumen, et etiam ad ostendendam festi solemnitatem.

d) Dum in Missa privata a Celebrante communio distribuitur, potest ne alius Sacerdos stola indutus mento communicantium patenam supponere?

Resp. Patenam mento communicantium supponere, quamdam sapit solemnitatem: ut in Missis privatis eadem patena non videatur adhibenda. Ceterum haec caeremonia, si contra Rubricas non est, est certe

praeter illas: ut saltem ubi consuetudo non vigeat, adhiberi non debeat. Hinc S. R. C. declarat patenae suppositionem retineri posse in Missis, quae per Dignitates dicuntur, dum communio generalis agitur (*Andrien. 3 Sept. 1661*); supponit ergo consuetudinem iam vigentem. Proinde cum cl. Martinuccio dicimus, dictam patenam mento communicantium supponi posse ubi mos vigeat (*Lib. II, cap. V, n. 19*). Non tamen quaestio fieri debet de casibus particularibus, uti ex. gr. si detur periculum vitandum ne particula decidat, si persona haud facile particulam recipere posset etc. quia tunc indubie potest patena mento supponi, imo ob reverentiam debet.

e) Dum Celebrans communionem distribuit populo, si particulae deficiant, potest ne Diaconus ad altare pergere, aliam accipere pyxidem et ad Celebrante deferre, ne communio abrumpatur?

Resp. Re in se spectata, ubi eiusmodi mos invectus esset, eum non auderemus damnare. Diaconus enim ut minister Sacerdotis ageret in casu, et ministerium, quod ei competit, exerceret. Nihilominus ubi eiusmodi usus non viget, arbitramur consultius esse illum non introducere ob aliquod incommodum, quod evenire potest, puta si particula sacra in pyxide aperienda vel deferenda decideret. Addas maioris esse reverentiae, si Sacerdos, ad quam communionem spectat distribuere, Diacono et Subdiacono comitantibus, ad altare pergat, et cum alia pyxide ad communionem redeat explendam.

XII. *E Cracovia*. **De incensationum numero in expositione SS.mi Sacramenti.** In solemni expositione SSm̃um Sacramentum positum super mensam altaris, statimne incensandum est, an prius collocandum super thronum, et tunc tantum incensandum? Similiter prae-

ter incensationem quae fit post verba " Genitori Genitoque „ iterumne incensandum est antequam in tabernaculo recondatur?

Resp. Praxis romana in codicibus liturgis fundata, (*Vide Caerem. Episc. Lib. II, c. XXXIII, n. 26*), atque ab auctoribus omnibus veluti regula tradita, docet: in expositione solemni, SSm̃um Sacramentum tunc incensandum esse, cum super thronum collocatum est, et cum verba " Genitori Genitoque „ intonata sunt. Quae praxis recto consonat liturgico sensui; SSm̃um enim Sacramentum tam antequam super thronum collocetur, quam immediate post benedictionem, unico tantum temporis instanti, et non ad adorationem super altare remanet.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.

S. RITUUM CONGREGATIO

Urbis Eiusque Districtus

Quo cultus erga Sanctam Familiam Iesu, Mariae et Ioseph in Alma Urbe eiusque Districtu maiora in dies capiat incrementa, praesertim, quum Sanctissimus Dominus Noster Leo Pp. XIII vehementer optet, ut christianae familiae per Consociationem ab ipsa Sancta Familia nuncupatam, huic artiori pietatis vinculo devinciantur; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis et Eiusdem Sanctissimi Domini Nostri in Urbe Vicarius, Sanctitatem suam humillime deprecatus est, ut a Clero universo tam Saeculari quam Regulari Urbis eiusque Districtus Festum S. Familiae Nazarenae Dominica III post Epiphaniam sub ritu Duplicis maioris quotannis recoli valeat, cum Officio ac Missa nuperrime approbatis: facta potestate idem festum transferendi in primam subsequentem diem liberam iuxta rubricam, quoties enuntiata Dominica impedita occurrerit. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, Emi Oratoris precibus benigne annuit; servatis rubricis. Contrariis non obsantibus quibuscumque. Die 21 Iulii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. VINCENTIO NUSSI *S. R. C. Secretario*

IOANNES Can. PONZI *Subst.*

MONITUM.

Ex typographica incuria quaedam irrepserunt mendae in Officio ac Missa de Sacra Familia, saltem in nonnullis, quas oculis nostris legimus, editionibus.

Perutile gratumque facere credimus lectoribus nostris eas emendare.

1. Benedictio ad octavam lectionem omittitur: esse autem debet: *Divinum auxilium etc.*

2. Omissum quoque vidimus speciale Responsorium Breve ad Primam, quod erit: *Qui natus es etc.*

3. Ad Introitum Missae legitur: *Exultet* in initio; sed legendum: *Exultat*, uti in sacro textu.

4. Eiusdem Introiti tertium ante ultimum verbum legimus: *Qui*; sed emendandum in, *quae*, uti pariter in sacro textu. *(Prov. cap. 23. v. 2.).*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE VALIDITATE BENEDICTIONIS PLANETARUM.

Caius Rector pauperioris cuiusdam ecclesiae, quamvis planetarum materiam ex puro grossypio vel lana prohibitam satis nosset, nihilominus ecclesiae suae nimia paupertate perpensa, iudicat bene se posse ex

eadem materia vetita tres planetas acquirere, alteram nempe albi, alteram rubei, tertiam nigri coloris. Has defert ad Episcopum ut benedicat: qui vel de requisita materia non dubitans, vel ex attentionis defectu, quin Rectorem interroget eas benedicit. Interim Caius de casulis pro sua ecclesia comparatis sermonem cum Titio collega suo instituens, dolenter accipit, eas esse ex decretis S. R. C. prohibitas; imo, quod peius est, nec benedictione capaces, proindeque Episcopi benedictionem irritam fuisse. Anceps Caius quemdam Caeremoniarum magistrum consulit, qui ipsius Caii iudicium confirmat; sed, et quemdam postea Episcopum extradioecesanum consulit, qui eum tutiorem reddit, iis secure posse uti, donec consumantur. — Quaeritur:

1. *Quaenam conditiones ex parte materiae requirantur, ut rerum benedictiones sint validae ac licitae?*

2. *Quid statutum fuerit a S. R. C. circa materiam planetarum?*

3. *Quodnam ex iudiciis prolatis sit veritati conforme?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Vujovich ex alumnis Pontif. Collegii Urbani de Propaganda Fide, habita in Ecclesia Presbyterum Missionis apud Curiam Innocentianam die 2 Decembris 1891: (1) acta Epitoma per R.mum Dom. Dom. Robertum Marcucci ex apostolicarum caeremoniarum magistris.

I. Primae petitionis obiectum conditiones sunt, ex parte materiae requisitae, ut rerum benedictiones licitae sint ac validae.

---

(1) Eiusmodi profecto dies inscripta fuit, qua de praesenti materia disputatum fuit; hucusque nihilominus eius tractationem

Quid pro liturgicis benedictionibus intelligatur optime describit cl. Van den Stappen iam Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Mechliniensis, nunc Episcopus Auxiliaris Emi Dom. Card. Goossens Archidioecesis Mechliniensis (1). Hinc aliis praetermissis auctoribus, etiam antiquioribus, hanc quae magis nobis arridet de benedictionibus notionem exhibemus lectoribus. Itaque " Benedictiones sensu liturgico intelliguntur ritus et preces, quae nomine Ecclesiae, et ex auctoritate ei divinitus concessa a sacris ministris peraguntur et dicuntur, sive ad personas aut res cultui divino consecrandas, sive ad aliquid boni super aliquam personam vel rem exorandum (*Tit. VIII. Quaest. 282*) ". Benedicere enim, docet cl. Quarti, praeter reliqua, quae ad rem nostram non faciunt, significat consecrare et sanctificare, seu conferre aliquod esse sacrum rei quae benedicitur, ut fiat conveniens et apta materia sacramenti vel sacrificii; vel fiat instrumentum salutis, sive animarum sive corporum: ad quod pertinet illud Apostoli (*1. Timoth. 4*): Omnis creatura sanctificatur verbo Dei et oratione. Sic benedicitur Chrisma, Oleum, Aqua baptismalis. Item benedicun-

---

distulimus, quod quaestio vehementius in Academia agitata sperabamus fore ut ex competenti auctoritate dirimeretur. Verum cum nostra fuerimus spe fraudati, negotium uti incertum lectoribus prouti iacet exhibemus.

(1) Opus recens vulgatum est, (1890) cui titulus SACRA LITURGIA, *Tractatus de Administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus ad usum Alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Mecliniensis*, silentio praetermisso nomine: quod nobis patefacere liceat; opus enim maxima laude dignum id meret. Hanc nacti occasionem notum facimus aliud eiusdem auctoris opus pari dignum laude, *De celebratione sanctissimi Missae sacrificii*, quod prodiit 1893.

tur paramenta sacerdotalia etc. (*De Benedict. Tit. I. Lect. I. Dub. I*).

Neque hic praetereundum, personarum et rerum benedicendarum usum semper ab incunabulis suis extitisse in Ecclesia, quippe quam viguisse in ipsa lege veteri apprime constat. Hinc supercitatus Quarti notat peculiariter, ex praescripto legis Mosaicae olim benedici consuevisse incensum, aquam lustralem, Agnum paschalem, aliaque similia (*Loc. cit. Sect. II, Dub. III*). Item Liber Numeri loquitur explicite de verbis, quibus benedicendus erat populus (*cap. 6.*) Exodus similiter loquitur de vestibus sacerdotalibus, quibus induti Aaron et eius filii sanctificandi erant ex praecepto Domini (*cap. XXVIII*). Nunc autem in eiusmodi consecratione benedicebantur et indumenta, quae oleo unctionis erant aspergenda. Ecclesia igitur Christi huiusmodi benedictiones agere semper solemne habuit, uti ex vetustissimis monumentis et testimoniis scriptorum eruitur.

Pluribus omissis Benedictionum divisionibus, hoc ad rem nostram sit satis, benedictiones *consecrativas* seu *constitutivas*, vel personas posse vel res respicere; et per illas eaedem ad cultum divinum destinantur, et in statu rei sacri constituuntur. Adeo ut receptum per benedictionem hunc statum amplius non immutent, neque ad profanum statum aut usum redire per se possint aut profanae ullo modo considerari vel effici valeant. De personis exemplum habes in prima Tonsura, in benedictione Abbatum, Monialium etc. De rebus autem habes exemplum in benedictione coemeterii, oleorum paramentorum sacerdotalium etc.

Ad quaesitum nunc accedentes, dicendum plura citra dubium requiri, ut res quaecumque licite ac valide benedicatur, seu ex parte personae, quae benedicere

debet, seu ex parte verborum, quae pro benedictione recitanda sunt, seu ex parte rei, quae est benedicenda. Quaesitum propositum conditiones peculiariter tangit, quae requiruntur solummodo ex parte materiae, ut rei cuiuscumque benedictio licita dici passit ac valida.

Itaque de eo quod validum est primo dicamus, ut ad licitum inde transeamus. Conditiones quae requiruntur ut benedictio sit valida ex parte materiae, sunt 1.° ipsius essentialis materiae qualitas quam lex requirit: 2.° forma necessaria si res in suo esse constituta existere debeat: 3.° praesentia rei saltem moralis. Aliquid modo dicendum de singulis, ut praefatae conditiones explicentur. Requiritur primo in materia benedicenda qualitas iuxta legem, videlicet, ut saltem substantialiter haud alia sit ab illa, quam lex positiva statuit, quamvis alia accidentaliter tantum esse possit. Exempla negotium perspicuum reddent. Pro chrismate conficiendo lex requirit oleum olivarum et balsamum: iam pone chrisma benedicendum ex alio esse oleo confectum, puta gossipii, nucis, etc. balsamum haud verum esse sed fictum, ut neutrum quod Ecclesia intendit significare valeat: benedictio quae eiusmodi super materia impartitur, nulla est; et eiusmodi chrisma, utpote ex inepta materia confectum, benedictionis est incapax, cum chrisma non sit. Ex eadem causa nulla erit, atque omnino irrita benedictio calicis, sit iste sit ex vitro, ex ligno, aliave materia fragili, vel vili, utpote inepta. Idem dicas de benedictionibus imaginum ex mera charta, coronarum ex crystallo fragili etc. Materiae quae sit alia substantialiter ab ea quam lex requirit, benedictionis nullitas abunde patet ex rei natura: alterius, quae vel fragilis sit, vel vilis, constat ex constanti Ecclesiae praxi et lege, ut coronae seu ro-

saria ex vitro nec solido nec compacto, benedictionem non accipiant (*S. C. Ind. 23. Febr. 1820*), neque chartaceae imagines etc. Ex quo etiam facile intelligas, materiam benedicendam debere esse illam, pro qua determinata benedictionis formula ab Ecclesia constituta est: secus, quemadmodum inepta forma esset pro tali materia, ita inepta materia esset pro tali formula.

Requiritur secundo forma specialis, si res benedicenda in suo iam esse constituta exigatur. Ita ex. gr. superpelliceum non est benedictionis capax, si vel in linea vel cannabina tela pro superpelliceo conficiendo destinata adhuc maneat, quia superpelliceum tela illa non est, quod peculiari gaudet forma. Neque oleum liturgice benedictum credimus, eadem ex causa, si ex olivis benedictis exprimitur, nec consecratus calix, si argentum solummodo vel aurum benedictum fuerit pro illo efformando etc. Etenim verba et ritus pro benedictionibus, constituta ab Ecclesia fuit pro illa quidem materia sed determinatam habente formam, ex cuius defectu inania illa redduntur, quippe quae ad aliam substantialiter materiam diriguntur.

Tertium, obiectum benedicendum, praesens saltem moraliter esse debet. Diximus, *saltem moraliter,* quia plura quae benedici possunt et quandoque debent, saepe videri a ministro nequeunt; ea nihilominus esse quodammodo praesentia, in dubium non cadit. Hinc cum cl. Quarti ait De Herdt: " Ad valorem benedictionis praesentia moralis sufficit (*Pars 6, n. 294*) ". Praesentia autem requiritur, docet praecitatus auctor, quia sermo in orationibus semper ad res praesentes dirigitur per pronomina, quae cadunt super res praesentes; et etiam quia signationes, aspersiones et in-

censationes super solam materiam praesentem fieri possunt (*Loc. cit.*). Hinc, prosequitur: " Cum autem haec ad benedictionem necessaria sint, sequitur, materiam quae praesens non est, etiam non benedici, non obstante benedicentis intentione eamdem benedicendi, quia sola intentio benedictionem efficere non potest ". Quaenam autem propinquitas requiratur pro constituenda praesentia morali, certe determinari non potest, cum ex morali prudentum iudicio pendeat. Communiter admittitur esse posse viginti vel etiam triginta passuum (*S. Alphons. Theol. mor. Lib. 6. n. 213*).

Conditiones autem, quae requiruntur ex parte similiter materiae, ut licita quoque sit benedictio, duo pariter sunt, ut nempe omnes in materia qualitates accidentales, sicut et accidentalis forma, liturgicis respondeant legibus, si quae illa praescribunt. Et primo circa qualitates oportet ut materiae ex. gr. per legem determinatae, alia non admisceatur, maxime si ex eadem lege sit vetita. Ita pro Alba, pro mappis altarium etc. tela ex lino vel cannabe praescribitur: illicitum ergo erit, quia contra legem, si in illis gossipium vel alia tela admisceatur. Cuppa calicum ex auro, vel stamno praescribitur: si ergo metallum aliud cum praescripto permisceatur, erit similiter illicitum, etc. Item color ex quinque in Romana Ecclesia admissis esse debet: illicita proinde certo erit benedictio, si ex alio colore materia paramentorum fuerit, vel plurium colorum, quod est prohibitum, etc. Excipe auream vel argenteam telam, quae ratione pretiositatis admittitur.

Ad formam vero quod attinet, si lex unam praescribat, aliam adhibere notabiliter diversam, uti patet, illicitum est; hinc et benedictio erit illicita, cum materiam illicitam in obiecto habeat. Ex gr. forma

planetarum, si ab ea, quae ex usu, maxime romano recepta est, satis notabiliter differat, omnino licita esse non poterit, secluso saltem peculiari indulto. Hinc S. R. C. ad sacrarum vestium formam quod attinet, *nihil innovari posse censuit, inconsulta Sancta Sede, uti Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus*, essent enim probato Ecclesiae mori contrariae eiusmodi innovationes (*Litt. Emi Patrizi S. R. C. Praef. 21 Aug. 1863*). Item benedicere Albam, quae ex. gr. manicas haberet adeo breves ut talaris manicae magna ex parte apparerent, illicitum foret. Benedicere amictum sine cruce in medio, quam Rubrica exigit, nec videtur aliqua culpa vacare, etc. Brevi, res benedicendae, iis praeditae qualitatibus esse debent, quas Ecclesia pro sua voluntate et sapientia exigit, atque idem de modo et forma dicas, quibus conficiuntur. Hinc tot in decretis prohibitiones habentur earum rerum, quae non respondent voluntati Ecclesiae, vel communiter receptae probataeque praxi, a quibus non est discedendum.

II. Alterius petitionis obiectum respicit ea, quae statuta a S. R. C. fuere circa planetarum materiam.

Facilis per se propositae petitioni responsio, non enim aliud agendum, ut eidem faciamus satis, quam ex authentica Decretorum Collectione ea referre decreta, quae a S. R. Congñe emanata fuere. Itaque primum quod hac super re Decretum se exhibet, est *Mutinen.* d. d. 22 Sept. 1837 ad VIII, dub. 3, et quaerit : " Num planetae, stolae et manipula possint confici ex tela linea, vel gossipio, vulgo *percallo*, coloribus praescriptis tincta, aut depicta? „ Responsum vero est : " Serventur Rubricae, et usus omnium Ecclesiarum, quae huiusmodi casulas non admittunt „. Hinc

patet primo per planetas ex lino vel gossipio, quamvis praescriptis tinctas coloribus, non servari Rubricas, quas tamen servandas S. R. C. iubet (1). Aliud Decretum extat in *Atrebaten.* d. d. 11 Sept. 1847, quod loquitur de paramentis pro sacrificio Missae, quorum *textura ex gossipio aut simili materia solida componitur, cui superimposita sunt filamenta serica et vitrea, quae aurea certe dici valerent, si ex vitro lux auro simillima produci posset: vitrum enim in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis, eodem ferme pacto quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis nuncupatis, vel etiam ad modum operis phrygii disponuntur super telam eadem filamenta. Cum autem haec facili negotio in minutissimas partes frangi possint et delabi in calicem etc. Emus et Rmus Card. Hugo Robertus De la Tour d'Auvergne Lauraguais Episcopus Atrebatensis S. R. Congni humillime sequens proposuit Dubium enodandum, nimirum: An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento?* Responsio autem sequentis est tenoris: " In voto magistri Caeremoniarum, seu ne-

---

(1) Rubrica Missalis ita se exprimit circa paramenta Celebrantis, proinde circa planetas: « Paramenta ... non debent esse lacera aut scissa, sed integra, et decenter munda ac pulchra, et ab Episcopo ibidem vel alio facultatem habente benedicta (*Ritus serv. in celebr. Missae, Tit. I, n. 2.*) ». Rubricae consequenter de materia determinata planetarum nil praescribunt *explicite.* Cum nihilominus competens Tribunal dicat, easdem Rubricas non admittere casulas ex linea tela vel gossipio, abunde patet, ita esse Rubricas intelligendas, ut has materias excludant. Hinc dicendum, ni fallimur, hanc exclusionem in qualitate paramentorum, quae PULCHRA exigit Rubrica, esse contentam. Quidquid sit, certum est, Rubricas non admittere in planetis linum et gossipium, id competenti auctoritate declarante.

gative ad propositum Dubium, propteraque praedictis ornamentis uti non licet„. Ergo patet iterum, gossipium pro planetarum materia esse vetitum, et filamenta simul esse vetita, quae ex vitro sunt.

Tertium Decretum est in *Senen.* d. d. 18 Dec. 1887 ad V; et quaerit: "... An planetae ex lana confectae permittantur?„ Responsum vero est: "... Usus Ecclesiarum laneas casulas non admittit„. Decretum istud si cum alio in *Mutinen.* iam relato conferas, facile coniicies, ideo ex Ecclesiarum consuetudine huiusce materiae casulas non admitti, quia Rubricis minus conformes sunt. Ergo et casulas laneas non esse admittendas patet, quas S. R. C. certe non approbat. Praeterea Decretum quartum vulgatum est nobisque traditum ex regestis S. R. Congñis, quod praecedentia invocat confirmatque, nempe *Sancti Severini,* d. d. 15 Apr. 1880. Inquirit enim: " Utrum permitti possit usus sacrorum paramentorum textili confectorum: 1° ex pura lana, 2° ex gossipio, 3° ex serico et gossipio, 4° ex filo bombycino et gossipio, 5° ex puro gossipio?„ Sacrum vero Tribunal respondit: " Serventur Decreta in una *Mutinen.* diei 22 Sept. 1837 ad VIII n. 3, et in una *Senen.* die 18 Dec. 1877, ad 5„. Ergo Decreta superius relata tota vi pollent, quippe quae S. R. C. servanda praecipit; et seu ex gossipio, seu ex lana, seu ex filo bombycino et gossipio mixto materia planetarum fieri non potest. Denique aliud extat documentum eiusdem S. Congñis per Rm̃um Dom. Dom. Placidum Ralli, a Secretis, vulgatum die 28 Iulii 1881, quod sic se habet: " Quamquam non semel S. R. C. illicitum declaraverit usum planetarum, et aliorum sacrorum paramentorum, sive gossipio, sive lana intextorum; huius-

modi tamen paramenta et Morera Novariensis (1) et alii concinnatores venalia habent, perinde ac illa sint modo a S. R. C. permissa. Itaque ad falsam quamlibet opinionem in re tam gravi sustollendam, RR. Dioeceseum Ordinarios monitos esse volumus, iam de hac re emanata Decreta a S. R. C. plenissime vigere, nec ullam existere novam editam sententiam per quam illis Decretis quovis modo aliqua facta sit immutatio „. Ergo, iterum concludimus, relata Decreta, etsi aliquod factum contrarium detur, vi sua gaudent, et servanda sunt a RR. locorum Ordinariis.

Quintum quoque necessarium ducimus referre Decretum, nempe *Gnesnien. et Posnanien.* d. d. 23 Mart. 1882, quo inquiritur: " An, attenta Ecclesiarum paupertate liceat pro ornamentis sacris illud adhibere panni genus, quod ex parte externa, et oculis intuentium apparente, ex filo serico integre contegitur; habet tamen operis textilis fulcimentum in gossipio, lana, vel lino ?„ Et S. R. C. pro sua prudentia respondere dignata est: " Attenta Ecclesiarum paupertate, panni genus de quo in casu, pro sacris ornamentis tolerari posse „. Ergo materia planetarum ex gossipio, lana, lino, atque etiam bombycino ex eadem ratione, si eiusmodi primis serica filamenta sint intexta, pro Ecclesiis pauperibus est licita. Ex quibus omnibus liquido sequens conclusio indubia profluit: Materia planetarum, quae non sit vel ex auro vel ex argento, vel ex serico: aut saltem, quae mixtum non

---

(1) Notum lectoribus facimus, quidquid de praeterito fuerit impraesenti Morera Novariensem e suis officinis exclusisse casulas ex materia vetita, et nonnisi permissas venundare. Ita ipse, met Mercator nuper tutiores de hac re nos reddidit: hoc pro veritate.

habeat sericum, illicita est, et prohibita, ita ut adhiberi, tot post Decreta, nec possit nec debeat.

Unum, antequam ad ultimum progrediamur quaesitum, animadvertendum manet, nempe, circa planetas ante relata Decreta ex materia nunc prohibita confectas. Quid censendum? Adhiberi ne possunt? Affirmative respondendum arbitramur, ad similitudinem planetarum ex pluribus coloribus, quorum nullus est praecipuus, quae tam pro albo, quam pro rubro ac viridi adhiberi solent. Sicuti videlicet has planetas, attenta Ecclesiarum inopia, S. R. C. permisit (*Decr. Vicen. 19 Dec. 1829, et Tuden. 23 Maii 1846 ad 7.*), expetita nihilominus Ordinarii venia; ita et alias ex materia modo vetita, si tamen vetita materia non erat quando confectae fuerunt, tolerandas credimus eadem de causa. Ex quo sequitur, illis consumptis, sicuti alias multicolores facere planetas non licet, ita nec easdem licere ex materia vetita facere; uti enim primas, ita et alteras prohibitas vidimus, adeo ut nemo iis uti possit.

III. Solutio quaestionis in ultimo quaesito propositae ab alterius quaestionis solutione dependet: num videlicet, benedictio super materia prohibita, proindeque illicita, sit nec ne valida, an tantum illicita.

Cum eiusmodi quaestio vehementius agitata fuisset, atque insoluta mansisset, rationes hinc inde allatas simpliciter referimus. Itaque defendentes, benedictionem super planeta ex prohibito panno confecta esse tantum illicitam, haud vero invalidam, sequenti modo ratiocinantur. 1. Nihil obstat, quominus planetae ex illicita materia valide benedicantur, res enim quaecumque benedictionis capaces sunt. Hinc Ecclesia ipsa pecora campi benedicit, sicuti equos etc. Quomodo

ergo invalide benedicerentur planetae, quamvis ex materia prohibita ? 2. Quod est illicitum in materia, insufficiens est ut benedictionem invalidam reddat, sicut in materia Sacramentorum comprobatur, ad cuius similitudinem Sacramentalia sunt, inter quae et planetarum benedictio. Sane interdicunt sacri Canones baptisma filiorum infidelium, invitis parentibus : quod si a Parocho conferatur, indubie validum est. Nihilominus, subiectum baptismi haud eiusmodi est, uti Ecclesia requirit. Excommunicatus valide ordinatur, quamvis illicite : Sacerdos suspensione irretitus, si Missam faceret, valide consecraret, quamvis illicite ; imo et indulgentiam pro defunctis lucrifaceret, si in altari privilegiato celebraret. 3. Benedictio planetarum est generalis, et in precum formulis pro illa praescriptis species materiae non determinatur; sed simpliciter dicitur in genere, *haec paramenta*, *haec sacerdotalia indumenta.* Ergo benedictio formam potius respicit, quam materiam. Sicut enim militum indumenta nihil interest ut ex serico sint vel ex filo, sed sufficit ut determinatam habeant formam, ita in casu nostro. 4. Principium philosophicum est : imperfectiones rei compositae non reddunt usum eiusdem rei impossibilem ; atque ita imperfectiones in materia planetarum impossibilem non faciunt earumdem planetarum usum. 5. Ecclesia numquam paramentorum ex materia vetita confectorum declaravit invalidam.

Altera vero sententia sequentibus innixa momentis defendit, benedictionem super planetas ex illicita materia confectas, esse prorsus invalidam, si tamen illicitum substantiam materiae afficiat. 1. Pro quavis liturgica benedictione tria requiruntur essentialiter : determinata precum formula, aptus minister, et apta materia, ex quibus si unum desit, invalida et

nulla est benedictio. Atqui materia planetarum ab Ecclesia prohibita, est inepta; ergo benedictio super materia planetarum substantialiter illicita, est invalida. Maior non indiget probatione, etenim neminem fugit ex Liturgiae peritis, formulas benedictionum, quae determinatae sunt ab Ecclesia, necessario esse recitandas, ut res benedictae fiant. Idem patet de ministro, qui si aptus non sit, benedicendo nihil facit. Denique idem quoque de materia dicendum, cui formula respondere debet; si enim verba ad rem applicari nequeant, Sacramentale non fit, sicuti non fit Sacramentum, si verbum ad ad elementum lege praescriptum non accedat.

Probatur minor. Materia substantialiter illicita est prorsus altera ab illa, quae a lege determinatur: ex. gr. lignum vel vitrum pro auro, charta pro tela, oleum nucis pro oleo olivarum etc. Dubitari autem nullo pacto potest, materiam substantialiter mutatam esse prorsus ineptam, et contra intentionem Ecclesiae, illam determinantis.

Inferes, primum momentum oppositae sententiae favens, nihil prodesse; quia, licet quaecumque res, ipsaque animalia, capaces sint benedictionis, nihilominus verba respondere debent in singulis peculiaribus benedictionibus ipsi peculiari materiae, secus nihil fit. Sane cum forma pro benedictione chrismatis, ex. gr. non benedicerentur certe pecora et equi utpote inepta materia, neque viceversa cum forma benedictionis equorum benedici valide possent planetae. Ex quo igitur benedictione sunt capaces res quaecumque, non sequitur planetas ex materia prohibita confectas valide benedici. Ceterum nec pecora, nec equi, nec cetera animalia sunt materia prohibita; ergo paritas nihil probat.

Inferes etiam, principium philosophicum esse in casu vi destitutum, quia respicit imperfectiones accidentales, nos vero de imperfectione loquimur substantiali. Sicut ergo accidentales defectus non impediunt rei usum, ita eumdem usum impediunt defectus substantiales. Qui proinde impossibilem in casu faciunt, non physice quidem, sed moraliter, usum planetarum.

Nunc autem quaerimus: materia, quae tot decretis prohibetur, et declaratur illicita pro planetis conficiendis, uti in responso ad secundam petitionem demonstratum est, dici ne potest apta? Profecto si aptam eam S. R. C. censuisset, inexplicabile foret, cur eam declarasset illicitam, eamque prohibuisset, utpote a Rubricis non admissam. Ergo materia planetarum quae prohibita est et illicita, est materia inepta. Iam vero, huiusmodi ineptitudinis quodnam est obiectum, nisi rei substantia? Et sane: lana, linum, gossipium, nonne a serico essentialiter discriminantur? Illam materiam explicite Sacrum Tribunal reiicit, hanc vero, nempe sericum, aperte exigit. Ergo sericam materiam permutare in laneam, lineam, vel in gossipium, aut in aliam similem, idem est ac in materia pro planetis requisita substantialem inducere mutationem. Atqui, uti superius dictum est, quando materia substantialiter mutatur a requisita, invalida est benedictio; ergo benedictio super materia planetarum, lanea, linea, vel ex gossipio etc. invalida est.

Inferes, secundam rationem pro contraria sententia allatam distinctione indigere. Si enim ageretur de illicito accidentali, quod materiam afficiat, quae ibi dicuntur, concedi possent; sed cum de illicito agatur, quod afficit rei substantiam, iure merito ea omnia negantur. Sicut enim in Sacramentis, materia illicita

eorumdem valorem non impedit, quando illicitum non afficit rei substantiam; ita in Sacramentalibus evenire dicendum est. At e contra, sicut quando circa Sacramenta illicitum in materia, ipsius materiae substantiam tangit, Sacramentum non conficitur; ita a pari, quando circa Sacramentalia illicitum in materia, eiusdem materiae generat mutationem substantialem, nullum erit Sacramentale.

Exempla autem quae allegantur, ad rem non faciunt. Nam omnis infans apta materia est pro recipiendo baptismate: omnis homo apta materia, saltem substantialiter, est pro recipienda Ordinatione: et quivis Sacerdos, etiam suspensus, capax est consecrandi, nec non lucrandi Indulgentiam pro defunctis. Ceterum materia pro baptismo est aqua: materia Ordinationis, sunt res, non personae: materia sacrificii est panis et vinum, non Sacerdos.

2. Materia, sicuti Sacramentorum, ita et Sacramentalium conficiendorum dum seu illa seu ista fiunt, necessario debet esse determinata in specie; quia materia aliqua de essentia Sacramenti vel Sacramentalis semper requiritur, nec umquam eam in hominum voluntate relinquit Ecclesia. Semel autem determinata materia, in potestate ministrorum non est, ut ea mutetur in aliam. Quod si per eiusmodi mutationem materia in specie determinata in aliam substantialiter transeat, sicut actum est de valore Sacramenti, ita et de valore Sacramentalis. Atqui materia planetarum ab Ecclesia fuit determinata in specie, et est materia serica vel aurea vel argentea; ergo cum alia materia substantialiter diversa non conficitur Sacramentale, seu, quod idem sonat, invalida est benedictio. Maior discussioni non subiacet, uti patet ex certa Theologorum, et Liturgicorum doctrina. Sed et

minor non videtur dubitationi locum dare; quamvis enim Rubricae exigant paramenta integra tantum, decenter munda ac pulchra, ut alibi dictum est; nihilominus, cum per varia S. R. Congñis Decreta plures materiae iam reprobatae fuerint, dicere licet, ius liturgicum veluti per exclusionem statuere, planetas esse debere ex nobiliori materia, qualis est vel serica, principaliter saltem, vel ex stamine aureo vel argenteo. Iam vero tela ex mero filo, gossipio, aut lana, est alia substantialiter ab illa materia; ergo ex his materiis confectae planetae valide non benedicuntur.

Inferes, quae num. 3 dicuntur pro opposita sententia, minus esse vera. Etenim nihil interest, generalem esse benedictionis formam pro planetis, materiaeque speciem in ea non determinari, cum ex iure liturgico satis sit superque determinata, ut vidimus: verba autem formae, eidem determinatae materiae respondere debent. Sic quinti Sacramenti forma essentialis est, *per istam sanctam unctionem etc.* at unctio facienda est cum oleo, uti S. Iacobus docet: secus, si aliam materiam adhibeas, puta laridum, nihil facis, et tamen materia non est determinata in forma. Qui coronas, cruces, crucifixos benedicendi potestate gaudent, nequeunt ea ex quacumque sint materia confecta, sub poena nullitatis benedicere, quia prohibita est materia plumbea, ferrea, etc. (*Rit. Rom. Edit. secund. post typic. Instruct pro Sacerd. etc. pag. 794*), et tamen materia generaliter tantum determinatur in forma. Scapularia parva, quae gestant fideles, ex lana esse debent: confice ea ex gossipio, valide ne haec benedicuntur? Negative, ex defectu materiae requisitae (*S. C. Ind. 18 Aug. 1868*), quam pariter in genere tantum forma adhibenda determinat, etc. etc.

Consequenter non sufficit requisita forma in planetis, sed etiam determinata in specie materia requiritur, quamvis nonnisi generaliter significetur in forma, ut valide benedicantur.

3. Ut materia in casu, vel licita sit, vel illicita, ab Ecclesiae voluntate dependet, quae aliam licitam, aliam vero illicitam pro sua sapientia declarat. Benedictio autem super materia illicita, actus est illicitus, utpote contra legem. Verum, ut benedictio illicita, vel valida sit vel invalida, ab eadem Ecclesiae voluntate dependet in casu: quippe quae in sua potestate est, benedictionem illicitam, vel validam vel invalidam declarare. At Ecclesia concurrere nequit ad actum, quem ipsamet ex se prohibuit declaravitque illicitum. Porro, ni fallimur, ad benedictionem illicitam reapse Ecclesia concurreret, si cum posset deberetque eam impedire, non impediret. Tunc autem Ecclesia et posset et deberet benedictionem illicitam impedire, quando ab eius voluntate dependet ut haec vel licita vel illicita habeatur. Si ergo benedictio planetarum illicita esset et tamen valida, ad eam Ecclesia concurreret; eo quod posset proindeque deberet illam invalidam declarare. Consequenter benedictio illicita sed valida, cum illicitum et validum ab Ecclesiae voluntate omnino dependent, non intelligitur. Ergo planeta, ex materia confecta, quae substantialiter est illicita, valide benedici non potest.

Inferes ultimam a dissidentibus allatam rationem satis esse infirmam; quia, quod ex natura sui est invalidum, non est necessarium ut invalidum declaretur: ita est de planetis ex prohibita atque illicita materia confectis. Ceterum, si id explicite declarasset Ecclesia, negotium nulli esset amplius discussioni obnoxium. Interim animadvertas velim, sicut in Sacramen-

tis, ita in Sacramentalibus, quando omnia ponuntur, quae ad substantiam pertinent, semper ea valide confici, quamvis in confectione eorum aliquid dari possit illicitum : ad quod non concurrit Ecclesia, a qua illicitum non dependet. Verum quando aliquid de substantia omittitur, uti in casu nostro materia apta, illicite non solum, sed etiam invalide per se conficiuntur seu Sacramenta seu Sacramentalia. Neutrum autem, id est neque illicitum neque invalidum ab Ecclesia dependet, sed a voluntate agentis ; at si illicitus esset et nihilominus validus actus, hoc dependeret ab Ecclesia, quae actum per se invalidum, validum declararet ; sicque ad illicitum concurreret actum, qui utpote nullus omitteretur, si maneret invalidus. Iam nunc voluntas Ecclesia satis superque ostenditur contraria ; quia illicitam declarat materiam planetarum quam prohibet : illicitum proclamat easdem venumdari : illicitum consequenter actum benedictionis super eiusmodi planetis : explicite denique damnat usum eorumdem planetarum. Hinc etsi daretur, eiusmodi planetas benedici valide posse, eas benedicere oleum esset et operam perdere, cum sit earumdem usus interdictus.

Neque dicas, adhiberi eas posse in casu necessitatis ; namque ponendum necessario foret, ex necessitate eas primum posse vendi, secundo posse et benedici. Sed neutrum admitti potest ; quia nihil illiciti agere permissum est, ut fortuito necessitatis casui, qui supervenire potest, provideatur.

Quidquid itaque sit, concludimus, in prima sententia, bene se gessisse Caium, et planetis acquisitis valide sed illicite benedictis posse ex necessitate paupertatis uti, sicut Episcopus ille extradioecesanus asseruit. In altera vero sententia dicendum, male se

gessisse Caium, excusandum fortasse Episcopum, optime indicasse Titium planetas ex vetita materia confectas esse prohibitas, eiusque iudicium recte confirmasse auctoritate sua Caeremoniarum magistrum.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Ostuno.* **De officiis Passionis in Quadrag. non transferendis.** Quamvis Ephemerides docuerint officia Passionis in Quadragesima transferri non posse post Pascha; nihilominus officium Lanceae et clavorum in quodam Breviario vidimus relatum iuxta ritum paschalem: Transferri ne, hoc saltem, potest post Pascha?

Resp. Doctrina Ephemeridum illa est, quam tradit Decretum *Urbis*, dictis officiis praemissum, d. d. 6 Aug. 1831: ut scilicet ea *officia* non possint amandari ad aliam diem, NISI OCCURRENTE OFFICIO POTIORIS RITUS, *et intra Quadragesimam tantum.* Iam nunc, si ageretur de aliquo particulari calendario, possemus certo supponere Indultum; at cum de Breviario aliquo agatur, et Breviaria non imprimantur pro aliqua particulari dioecesi, ut ordinario accidit; hoc unum concludendum fortasse manet, Breviarium esse, ad hoc quod pertinet, censura dignum, neminemque illud posse sequi.

Grandiusculo charactere notata verba significat, Decretum praefatum fortasse mutatum iri, non enim cohaeret solutioni quaestionis inter primaria et secundaria festa. Proinde, ut dicta Passionis officia aliis oc-

currentibus cedant, non est necessarium, ut haec potioris sint ritus; sed sufficit ut sint eiusdem ritus, et primaria.

II. *Ex eodem loco.* **De festo primario in concursu cum secundario in paritate ritus.** Visitatio praefertur Christi Sanguini in occurrentia: num etiam in concurrentia?

Resp. Maxime, et citra omnem dubitationem, ita disponente universaliter decreto Generali d. d. 2. Iul. 1893 (*V. Ephemerid. eiusdem vertentis anni n. 8, pag. 572 et seq.*) Et notent universi lectores nostri, Dedicationem SS. Salvatoris a Coetu Emorum Cardinalium et Officialium S. R. Congñis fuisse ad dupl. mai. evectam. Sed postea, Decreto Summo Pontifici exhibito, Ipsemet voluit, ut ad idem dup. maius eveheretur etiam Dedicatio Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Haec ratio est, ob quam primum tantum festum in initio Decreti nominatur, in fine autem utrumque. Iterum inferas, ex peculiari ratione haec festa ad dupl. maius fuisse evecta, et inter primaria recensita, videlicet: primum, quia de Dedicatione agitur Ecclesiae, quae est caput Urbis et Orbis: secundo, quia Dedicatio est duarum Basilicarum in Principum Apostolorum honorem dicatarum. Hinc S. R. C. sapientissime censuit, has Ecclesias tamquam proprias iudicandas esse omnium, maxime ecclesiasticorum: adeo ut earum Dedicatio sit pro omnibus ecclesiasticis uti Dedicatio Ecclesiae propriae, proindeque festum primarium, licet inferioris ritus. Ex quo certo inferas, Dedicationem Ecclesiae alienae, uti fuit, manere adhuc festum secundarium.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE HUIUS VII TOMI

De antiquis ritibus Cantuum Missae.

III. Continuatio vide N. 11. anni praeteriti . . . *p.* 1
IV. Continuatio . . . . » 66
V. Continuatio . . . . » 193
VI. Continuatio . . . . » 258
VII. Continuatio . . . » 385
VIII. Continuatio . . . » 456
IX. Continuatio . . . » 513
X. Continuatio . . . . » 641

Decreta SS. Congregationum.

Ex S. Rituum Congregatione.
Strigonien. Dubia varia . » 6
id. Dubia additionalia » 9
id. Responsa ad dubia praedicca . . . » 12
Maioricen. De ritu festorum Patronorum . . . . » 14
Monopolitana. De iure *praecedentiae Tertii Ordinis* in processionibus . . . » 198
Imolen. De *validitate consecrationis* altaris fixi . » 321
Senogallien. I. De colore et qualitate paramentorum in *solemni benedictione* cum Sacramento . . . . » 322
II. De tit. *Comitis* iungendo nomini Episcopi in publicatione Indulgentiarum » 323
De *novo officio et Missa* S. Familiae . . . . . . *p.* 449
Animadversiones . . . » 450
Vicariatus Apost. Carolin. Septentr. De *oratione S. Ioan. Bapt. in suffragiis* in Eccl. quarum est Patronus vel Titularis . . . . » 451
Portus Ludovici. De precibus a Leone XIII *post missas privatas* praescriptis » 452
S. Christophori de Havana. De conformitate Calendarii pro Religiosis . . . » 453
Firmana. De ritibus pro Communione Monialium . » 455
Quatuor decreta vulgantur *circa cultum praestitum* quatuor Servis Dei . » 512
Decretum Generale. De festis primariis et secundariis » 572
Decretum Generale. De translatione festi S. Ioseph. Conf. . . . . » 577
Commentaria . . . . » 579
Goana. Dubia varia . . » 587
Mediolanen. De usu Calendarii pro *Sacerdotibus Ritus Ambr.* . . . . . . » 644
Animadversiones in praedictum decretum . . . » 648
Urbis eiusque Districtus. De Festo S. Familiae . . » 705

Ex S. Congregatione Concilii.
Litterae ad Episcopos et Ordinarios Italiae et Americae *circa Sacerdotes migrantes* . . . . . . *p.* 243
Mediolanen. et Aliarum. Indulti 28 Ian. 1893 . . » 245
Romana. Funeris emolumentorum . . . . » 248
Castrimaris. Matrimonii, 29 Aprilis 1893 . . . . . » 372
Novarien. Funerum, 27 Maii 1893 . . . . » 444
De prohibito circa *missarum stipendia* mercimonio . » 509
Nanneten. et Capitis Haitiani. Dubii quoad ordinationes » 635
Ex S. Congregatione Episc. et Regular.
Colonien. Postulatum circa *Novitios aut professos* votorum simplicium, 19 Aug. 1892 . . . . » 119
Disceptatio synoptica . » 120
Dubia et decretum . . » 113
Ex Sacra Congregatione Indulgentiarum.
Dublinensis. De invocatione *SSmi Nominis Iesu* pro assequenda Plen. Indulg. in *mortis articulo* . . » 126
De benedictione papali a Sacerdotibus animarum curam habentibus impertienda in reditu peregrinationis ad S. Sedem . . . . . » 254
De *quindecim Sabbatis* in hon. B. M. V. a Rosario . . . . » 313
Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis
Lauden. De *distantia requisita* in erigendis Confraternitatibus . . . . *p.* 317
Ordinis Min. Capuccinorum. Circa sensum Decreti » 634
Ex Sacra Congregatione S. O.
Veronen. De cultu Vultus D. N. I. C. . . . . . » 312
Baionen. De occultis *sectae massonicae* coriphaeis. » 448

Dubiorum Liturgicorum solutio scientifica.

E Galliis. De functionibus triduo mai. hebd. *in minoribus Ecclesiis* . . . » 53
E Dioec. Briocensi. De *loco* Celebrantis Vesp. ad Antiph. finalem, si Vesperae *ex libito* celebrentur . » 57
E Germania inferiori. De commemorationibus *eiusdem obiecti* . . . . » 59
Ex Urbe. De *duplici genuflexione* Diaconi pacem dantis. . . . . » 62
E Brixia. De oratione *A Cunctis* vel de Spiritu Sancto in *Vigilia omnium Sanctorum* . . . . » 63
E Belgio. De *votorum professione* Sacramento exposito . . . . » 100
Ex Galliis. De Caeremoniario comitante Ministros in *missa solemni* . . . » 102

Ex America. De missa pontificali solemni *ante SS. Sacramentum expositum* . *p.* 104

Ex Urbe. De hora Missae solemnis *pro Expos. et Reposit. 40 horarum* . . » 116

E Bugella in Pedemontio. De clericis tonsuratis tantum, *ad benedictionem oleorum* Fer. V. in Coena Dñi. » 154

E Provincia Gnesnensi. De constitutionibus Synodalibus, S. R. Congr. decretis *contradicentibus* . . . » 156

E Galliis. De *antiphonarum et orationum ordine* in benedictionibus, iuxta usum romanum . . . . . » 157

E Sabaudia. De missa pro Sponsis in triduo *Rogat. et die 2. Nov.* in Eccl., ubi *solus* celebrat Parochus . . . . » 158

E Liguria. De die quadam octava, utrum *perpetuo* redigenda ad instar simplicis . . . . » 160

E Barcinone in Hispania. De *subsutura* interiori sacrorum paramentorum. . . » 161

E Pedemontio. De *loco septimi candelabri*, Episcopo loci solemniter celebrante » 162

E Bruxellis in Belgio. De festo Patr. dioecesis, utrum *a Regularibus* celebrandum . . . . » ibi

Ex Ostuno. De solemnitate festi, in die *officii translati* . . . . » 163

Ex eodem loco. De *missa de requie* praes. cadav. impedita . . . . *p.* 163

E Goritia in Austria. De concurrentia duorum officiorum Domini, *eiusdem obiecti* . . . . . . » 164

E Sicilia. De anniversariis defunctorum *infra octavas privilegiatas* incidentibus . . . . » 166

Ex eodem loco. De *modo* Sanctissimam Eucharistiam ministrandi . . . . . » ibi

E Mexico. De tribus missis die *2. Nov. ex privilegio* dicendis . . . . . » 167

E Syracusis in Sicilia. De orationibus in missis votivis . . . . » 168

Ex eodem loco. De Vesp. semid., in concurrentia *cum Domin. Passionis* ordinandis . . . . » 169

Ex Ambiano in Galliis. De commem. semid. in simplicem redacti . . . . » ibi

Ex eodem loco. De 9 lect. simplicis *die octava* Corporis Christi. . . . . » 170

Ex dioec. Veronensi. De ordine quarumdam precum in functione pro *postulanda serenitate* . . . . » 199

Ex eodem loco. De campanula ad *Sanctus* in Missa pulsanda, cum recitatur Rosarium a populo . . » 200

E Sicilia. De Matut. defunct. post *Vesperas omnium San-*

ctorum in Cathedr. Ecclesiis . . . . *p.* 201

E Sardinia. De non genuflectendo ad Stropham *Tantum ergo* in recitatione hymni *Pange lingua*, Sacramento non exposito » 203

Ex eodem loco. De antiph. duplicandis in *officio defunct. unius nocturni* . . . » ibi

Ex eodem loco. De antiphonis *non praeintonandis* in off. defunct. et Matutinis Tenebrarum . . . . » ibi

E Centumcellis. De hora missae conventualis *processionem praecedentis* . . » 205

E Gallia. De Bireto praelatitio plura dubia . . » 206

E Ferraria. De occurrentia duorum dupl. 1ae classis » 212

Ex eodem loco. De *Gloria Patri* ad Completorium in Concursu *Dominicae Passionis* et officii vot. *Imm. Concept.* B. M. V. . . » ibi

E Brixia. De patena pro communicandis . . . . » 213

Ex Rumenia. De qualitate Missae in alienae dioecesis Ecclesia, *Iuliani Calendarium* habentis . . . » ibi

Ex Ostuno in Sardinia. De occurrentia . . . . » 214

Ex Verona. De Missa SS. Reliquiarum . . . . . » 215

E Sancto Severino in Piceno. De occurr. *Desponsationis* B. M. V. et *Orationis* D. N. in horto . . . . . » 292

E Neapoli. De usu *Legilis*, et de *manuum iunctione* in Vesp. solemnibus . . *p.* 293

Ex eodem loco. De signo crucis in Missa et officio » 295

E Sicilia. De *loco* Sacrorum Ministrorum in Missa solemni *tempore Kyrie* . » 297

E Dioec. Caietana. De baldachino in processionibus » 300

E Melita. De Missa vot. *Immac. Deiparae* aut *Rorate* in Sabb. Adventus . . » 301

Ex Gallia. De doxologia non mutanda in Vesperis ob festum *solam habens commemorationem* . . . » 302

E Sardinia. De abruptione lectionis Martyrologii in choro . . . . » 306

Ex eodem loco. De quadam concurrentia . . . . » 307

Ex eodem loco. De calice super altari praeparato *ante missam cantatam* sine sacris ministris . . . . » ibi

Ex eodem loco. De *symbolo* dicendo, aut non, ratione concursus . . . . . » 309

E nova Zelandia. De *collecta imperata*, ab ipsomet Episcopo in aliena dioecesi celebrante omittenda vel non . . . . » ibi

Ex Austria. De benedictionibus . . . . » 310

Ex Aciregali in Sicilia. De non surgendo in choro ad *SSmi Sacramenti elevationem* . . . . » 353

Ex Canada. De ordine commemorationum in Vesperis die 27 Maii . . . . *p.* 354
Ex eodem loco. De prima missa in nocte *Nativ. Dñi* » 355
Ex eodem loco. De missa exequiali . . . . » ibi
Ex eodem loco. De privilegiis Missae pro defunctis . » ibi
E Provincia Ianuae. De prohibitis exequiis in *triduo mai. hebdomadae* . . . . » ibi
Ex eodem loco. De missa exequiali in *festis suppressis*, ubi *unus est Parochus* » 356
E Syracusis. De privilegiis Praelatorum, qui *domestici* appellantur . . . . » 357
E Meduana in Gallia. De ordine commemorationum in vesperis . . . . . » 358
E Parisiis. De Missa in aliena Ecclesia . . . . . . » 361
E Borussia. De *mensura temporis* pro Missae celebratione in *Nocte Nativitatis Domini* . . . . . . » 363
Ex Hosca in Celtiberia. De ratione thus adolendi *sacris Reliquiis* aut *Imaginibus* in Missa solemni » 364
E Benevento in Italia merid. De Calice vel Ostensorio rem sacram continente *a Diacono* vel non accipiendo *sine stola* . . . . . » 366
E Dioec. Pistoriensi. De absolutione ad tumulum dubia . . . . » 426
E Nicaea ad Varum. De festo Titularis Oratorii publici *non consecrati* haud celebrando . . . . . . *p.* 428
Ex eodem loco. De quadam *superpellicei* forma utrum permissa . . . . . » ibi
Ex eodem loco. De prophetiis in Sabbato Sancto abruptis . . . . » 429
Ex eodem loco. De *pluribus in die* benedictionibus cum pyxide . . . . . . » ibi
E Belgio. De concursu off. votivi et praeceptivi *eiusdem obiecti.* . . . . » 431
E Dioec. N. De missa et officio SSmi Cordis . . » 433
E Provincia Ianuensi. De lectionibus *ordinandis* 2.i *noct.* in festo SS. Nazarii ac Celsi . . . . . . » 434
Ex eodem loco. De lectionibus 3.ii noct. in die *octava S. Ioan. Bapt.* . . . » 435
E regione Belgica. De colore *conopei et stolae* pro communione, ritu simplici occurrente . . . . . » ibi
E SS. Conceptione in Chile. De quodam festorum concursu . . . . » 437
Ex eodem loco. De die *S. Canuti M. libera* pro alio officio . . . . » 438
Ex eodem loco. De aliquibus supplendis in Missa quadam propria . . . . » ibi
E Verona. De *Alleluia* addendo vel non in quibusdam versibus . . . » 439

E Mantua. De festo *S. Aloysii Gonzagae*, quo die, nisi in suo, possit recoli . *p.* 441
E pluribus locis. De commem. Sacramenti in *die translato* Invent. S. Crucis . . » 501
E Benevento. De Episcopi *assistentibus* in solemnibus benedictionibus cum Venerabili . . . . » 502
E SS. Conceptione in Chile. De officio Patroni Monasterii a monacho *extra degente* recitando . . . » 506
E Dioec. Veronensi. De absolutione pro defunctis in *festis solemnioribus* . » 508
E Gallia. De quadam *superpellicei* forma, utrum permissa . . . . » 562
Ex eodem loco. De benedictione cum pyxide, num sit *de iure tantum Ordinarii* eam permittere . . . » 563
Appendix ad praefatum dubium. . . . . » 565
E Zamora in Africa. De *tempore* accendendi et extinguendi Cerum paschalem . . . . » 568
E Belgio. De *Prima Hora* paulo ante meridien in choro . . . . . . » 560
Ex eodem loco. De *hora* Litanias mai. vel min. recitandi in choro . . . » ibi
Ex eodem loco. De inclinatione ad verba *Corporis et Sanguinis tui* in Oratione *Deus qui nobis* . . . » 570
E Dioec. Lavallensi. De ordine tenendo inter commem. *feriae VI post. oct. Ascens.* et semiduplicis simplificati sequentis . . *p.* ibi
E Tuscia. De quadam sententia ab Alois a Carpo tradita . . . . » 632
Ex eodem loco. De tertia commem. *semiduplicis simplificati* in primis vesperis festi dupl. 2. classis . » 624
E Baiona in Gallis. De nomine ponendo in littera N. ad Orationem *pro Religiosis* . . . . » 627
Ex eodem loco. De antiph. *Si iniquitates* et Ps. *De Profundis* in absolutione » 628
Ex eodem loco. De ℣. *Anima eius* vel *Animae eorum*, an canendus . . . . » ibi
E Dioec. Veronensi. De inclinationibus ad cantum strophae *Veneremur cernui* et *Te ergo quaesumus* . » 629
Ex eodem loco. De genuflexione cruci a *Ministro missae privatae* facienda vel non . . . . » ibi
E Neapoli. De Orationibus addendis vel non in missis votivis . . . . » 630
E Prov. Ianuensi. De signo crucis ad *Requiem aeternam* in absolutione . » 633
E Parisiis. De capite detegendo vel non in absolutione, dum cantatur *Libera me Domine* . . . . . » 691

Ex Adamantina in Brasilia. De precibus *post missam praescriptis* in die Commem. Omn. Fid. defunctorum . . . . *p.* 693
E Kiang-Si in Sinis. De modo benedictionis *ab Episcopo impertiendae* post administrationem *Viatici* . . » ibi
Ex eodem loco. De *quibusdam verbis Ritualis:* quomodo intelligenda sint . . » 694
Ex Aesio. De *identitate* Evangelii festi cum Evang. *feriae occurrentis* . . . » 695
E S. Catharina ad Ionium. De festis *Dominicis affixis* non transferendis . . » ibi
Ex eodem loco. De benedictione pro sponsis . . » 696
E Belgio. De *Presbytero genuflexo* Ostensorium a Diacono recipiente ad Benedictionem . . . . . » ibi
Ex eodem loco. De modo thus adolendi choralibus . » 699
E Baionae dioecesi. De *loco* absolutionis pro defuncto agendae . . . . . » 701
Ex eodem loco. De variis Dubiis facilioris solutionis » ibi
E Cracovia. De *incensationum numero* in Expositione SSmi Sacramenti . . » 703
Ex Ostuno. De officiis Passionis in Quadrag. *non transferendis* . . . . . » 725
Ex eodem loco. De festo primario in concursu cum secundario in *paritate ritus* . . . . *p.* 726

Expositio Novissima Rubricarum Breviarii Romani.

Tit. VI. De Vigiliis . . » 46
Continuatio . . . . . » 130
Continuatio . . . . . » 260
Tit. VII. De Octavis . » 263
Continuatio . . . . . » 557

Institutiones Liturgicae.

Cap. VI. De Sacramento Eucharistiae.
§. 4. De Eucharistiae *expositione,* continuatio . . » 74
§. 5. De *benedictione* cum Sacramento . . . . . » 76
Cap. VII. De Sacramento extremae Unctionis.
§. 1. De *materia, forma* et *praestantia* Sacr. Extr. Unctionis . . . . » 136
§. 2. De olei sancti *asservatione* et *delatione* . . » 138
§. 3. De *administratione* Extremae Unctionis . . » 140
§. 4. De *Subiecto* Extremae Unctionis . . . . . » 142
§. 5. De *Ministro* Extremae Unctionis . . . . . » 226
Cap. VIII. De Sacramento Matrimonii.
§. 1. De *loco* et *tempore* celebrandi Matrimonium » 228
§. 2. De *ritibus* in celebrando Matrimonio . . . . » 337
§. 3. De nuptiarum *benedictione* . . . . . . » 340

§. 4. De missa *pro Sponsis* p. 539
§. 5. De benedictione *Mulieris post partum* . . . » 542

Manuale novissimum pro visitandis Ecclesiis a Vicariis Episcopalibus et Foraneis.

Cap. XIV. De visitatione altarium . . . . » 93
Continuatio . . . . . . » 231
Continuatio . . . . . . » 403

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae.

I. De ritu exponendi Sanctorum reliquias . . . » 26
II. De organorum sonitu in functionibus liturgicis » 80
III. De cantu *Benedictus* post consecrationem in missa cantata . . . . » 144
IV. De missa et litaniis in feria IV. Rogationum » 216
V. De approbatione librorum liturgicorum . . . . » 268
VI. De antiphonarum et psalmorum intonatione in Matut. Tenebrarum . . » 324
VII. De distinctione inter festum et officium . . » 390
VIII. De luminum numero in Missa . . . . . . » 471
IX. De Communione infirmorum . . . . » 545
X. De Ecclesiae consecratione . . . . » 610
XI. De nova denominatione Titularis Ecclesiae . . » 649
XII. De validitate benedictionis planetarum . . p. 706

Argumenta Varia.

Ephemerides Liturgicae et *Irish Ecclesiastical Record.* Duplicis quaestionis examinatio . . . . . . » 16
De presbytero assistente in missa solemni *havd pontificali* . . . . » 35
Leoni XIII Plausus . . » 65
Ad Rituale Romanum Commentarium . . . . . » 172
Utrum Episcopis in Gallia ius competat *Crucis processionalis deferendae* . » 180
Piae Consociationis Sacrae Familiae Regulae . . » 187
Animadversio super cuiusdam decreti intelligentia . » 236
De *ratione exequendi* cantum liturgicum . . . . . » 240
Necrologia . . . . . » 255
Censura de novo quodam *Manuale rituum* . . . . » 283
Bibliographia . . . . » 319
Specimen Kalendarii universalis Eccl. pro anno 1894 » 343
Bibliographia . . . . » 368
De Praelatis *Episcopis inferioribus* eorumque *insignibus* . . . . » 410
Explicatio cuiusdam ambiguitatis in re liturgica » 422
Continuatio . . . . . » 484
De festis *primariis* et *secundariis*: notiones historicae

et decisio cum *Decreto Generali* S. R. C. . . . *p.* 461
Animadversiones et Consectaria ex decr. gen. super *primariis* et *secundariis* festis . . . . » 591
Festa primaria et secundaria *eiusdem ritus et classis* diverso ordini iure meritoque adscribenda sunt . » 662
De ordine Commemorationum in Vesperis . . . . » 493
Animadversiones cl. P. Lafrasse *contra Ephemeridum doctrinam* circa ordinem Commemorationum . . » 597
Responsa ad praefatas animadversiones . . . . *p.* 603
Nonnullis difficultatibus super *ordine Commemorationum* in Vesperis satisfit. . . . . » 681
De *nova* quadam paramentorum *materia* . . . » 516
De insignibus honorificis *Canonicorum Titularium*, utrum et quomodo participent *honorarii* Lauretanae Ecclesiae . . . . . » 522
Monitum . . . . » 633
Casus Liturgicus . . . » 675

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC VII TOMO CONTINENTUR

(NB. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A

Absolutio ad tumulum, probatur consuetudo in absol. ad tumulum ut *Celebrans se sistat in medio tumuli a parte Epistolae*, 426 — Sacerdos cum ad tumulum venit, *cruci tumuli nullam reverentiam facere debet*, *ibid.* — non *est determinatus locus pro schola cantorum* in hac absol., 427 — antiph. *Si iniquitates* et Ps. *De profundis* post absol. *tantum in Commem. Omnium defunctorum omittitur*, 628 — *Anima eius* vel *Animae eorum* ex consuetudine *recitativo modo* Romae dicitur, *ibid.* — ad ultimum *Requiem* post absol. *fieri debet signum crucis*, 633 — dum cantatur *Libera me Dñe* in absol. Sacerdos *capite detecto stare debet*, 691 — et sistere se debet contra crucem *ad pedes defuncti*, 701 — peracta absol. rediens in Sacrarium recitando *De profundis*, *capite cooperto incedat*, *ibid.* — versus dicendi in praedicta recitatione *De profundis* in *Missali defunctorum typico* inscribuntur, 702.

Alleluia, quoties in Missa propria alicuius Sancti post Epist. non invenitur *duplex Alleluia cum versiculis* totum desumitur ex Communi, 438 — non est addendum ad vers. *Adoramus te Christe* et *Emitte spiritum tuum* in hymnis *Vexilla* et *Veni Creator* extra officium, 439.

Aloysius (S.), ipsius festum si die sua celebrari nequeat, celebrari potest *quocumque anni die ab Ordinario determinando*, 441.

Altare, de altarium visitatione, 93 — de materia, *ibid.* — de altari fixo, 94 — de portatili, 96 — de altaris exsecratione, 98 — continuatio, 231 — de altarium mensura, 232 — de structura, 233 — de parte anteriori, 234.

Anniversaria, Missa anniv. consecr. Episc. dioec. si impediatur dupl. 1.ae cl.. *transferatur in primam diem liberam*, responsum ad II., 12 — dicta missa et ea pro electione Summi Pontificis tantum in *Cathedralibus et Collegiatis* celebrandae sunt, responsum ad III., *ibid.* — Anniversaria defunctorum infra octavas privil. incidentes, in *primam diem post oct. etiamsi dupl. mai. occurrat* transferri possunt, 166.

Annulus, vide *Matrimonium.*

Annuntiatio B. M. V., si eius translatio cum feriatione incidat in festum Dedic. vel Titul. Eccl. vel Patroni loci, *quod cum feriatione recolatur*, in primam diem non impeditam transfertur, 582 — S. R. C. decr. circa translationem Annuntiationis, 583 — vide *Officium.*

Antiphona, in officio defunct. et Matutinis Tenebr. *antiph. non sunt praeintonandae*, 203 — vide *Matutinum Tenebrarum.*

Aqua, in benedictione aquae, quae fit in festo Epiph. Dñi, *formula Ritualis Rom. adhibenda est*, 11.

Assistentes, de Episcopi assistentibus in solemnibus benedictionibus cum Venerabili, *assistente Capitulo*, 502.

B

Baldachinum, adhibendum in processionibus Sacramenti *album esse debet*, in processionibus Instrumentorum Pass. D. N. I. C. *rubrum*, 300.

Baptismus, vide *Interrogationes.*

Benedictio, de *antiphonarum et orationum ordine* in benedictionibus, 157 — quid pro *benedictione cum Sacramento* intelligatur, 76 — quaenam servanda *in initio huius actionis, ibid.* — quid *in actionis decursu* servandum, 78 — servanda *in benedictionis actu, ibid.* — in benedictionibus cum Sacramento post Complet. *Ministri induantur Dalm. et Tunic.* et Celebrans *albam deferat sub pluviali*, 322 — de potestate benedictionem

papalem impertiendi a Leone XIII concessa italicae peregrinationis caussa *Sacerdotibus animarum curam habentibus*, 254 — ad impertiendam *benedictionem papalem in art. mortis* facultas requiritur et in eodem morbo *iterari non potest*, 429 vide *Iesus.*

Benedictio cum pyxide, dummodo moderatione utantur Parochi, in praesenti *interdicendae non sunt plures cum pyxide benedictiones*, 429 — non *requiritur Episcopi facultas* ad populo benedicendum cum pyxide, 563 — solvuntur quaedam obiectiones desumptae ex decr. Societatis Iesu 18 Maii 1878, 565 — in benedictione *pyxis velo humerali* cooperienda est, 694.

Benedictio Mulieris post partum, quid et unde eius origo, 542 — non est praeceptiva, 543 — *quicumque Sacerdos* et in *quocumque templo* eam impertire potest, *ibid.* — illi tantum mulieri impertienda est, *quae ex legitimo matrimonio peperit*, 544 — nequit super *puerperam demortuam* cadere, *ibid.* — quare *color albus* praescribatur, *ibid.* — potest, sed non tenetur puerpera *prolem secum in templum* deferre, 545.

Benedictio Oleorum, stante necessitate ab Episcopo permitti potest *ut clerici tonsurati tantum*, Subdiaconorum officio in oleorum benedictione fungantur, 155 — vide *Extrema Unctio.*

Benedictio Planetarum, de *validitate benedictionis* planetarum casus, 706 — quid pro *liturgicis benedictionibus* intelligatur, 708 — de *antiquissimo usu* in Ecclesia benedicendi *personas et res*, 709 — benedictiones *consecrativae* personas vel res respiciunt, *ibid.* — conditiones requisitae ad benedictionis *validitatem ex parte materiae,* 710 — conditiones ut *licita evadat*, 712 — *est illicitum* formam notabiliter variare, *ibid.* — quid *statutum fuerit a S. R. C.* circa planetarum materiam, 713 — prohibentur *gossipium et filamenta vitrea*, 714 — prohibetur *lana* et usus paramentorum *textili confectorum ex gossipio, serico et gossipio* etc., 715 — attenta Eccl. paupertate *tolerari potest panni genus*, quod ex

parte externa ex filo serico integre contegitur; quod tamen habeat operis textilis fulcimentum in gossipio, 716 — *adhiberi adhuc possunt* planetae ex materia *modo vetita,* si tamen vetita non erat *quando confectae fuerunt*, 717 — an benedictio super materia prohibita proindeque illicita, *sit necne valida, an tantum illicita, ibid.* — rationes illorum, qui tenent benedictionem super planetas ex prohibito panno esse *tantum illicitam haud vero invalidam, ibid.* — rationes pro contraria sententia, 718 — *inepta materia est*, quae tot decretis prohibetur et declaratur illicita, 720 — materia conficiendi Sacramentorum et Sacramentalium dum seu illa seu ista fiunt, *debet esse determinata in specie*, 721 — quodnam ex iudiciis prolatis in casu sit verum, 724.

Benedictio pro Sponsis vel Nuptiarum, vide *Matrimonium.*

Benedictus, de *cantu Benedictus* post consecr. in missa cantata casus, 144 — iuxta graecae Ecclesiae disciplinam *duplex est Trysagium* in missa, 145 — de *antiquitate* usus *Trysagii* decantandi, 147 — *significationes in Trysagio contentae* sublimes sunt, *ibid.* — quid *statuat Caerem. Rom.* circa tempus canendi Benedictus; explanatur difficultas *ex praescriptionibus Caeremonialis* desumpta, 149 — ex hermeneutica demonstratur Caeremoniale *sibi ipsi non contradicere*, 151 — concluditur *Benedictus* esse canendum *statim post Elevationem*, *ibid.* — *confutantur rationes*, quae allegantur pro consuetudine canendi *Benedictus* ante Elev. ut in casu, 152 — *obiectum motetti* canendi post elev. in missa cum cantu, iuxta Caerem. ad *Sacramentum pertinere debere*, 153 — concluditur *Benedictus* post Elev. esse canendum, 154.

Biretum, bireti episcopalis *non materia determinatur,* sed color, 206 — est lex certa pro Emis *ut nullum flosculum in bireto gestent*, idem servatur usus inter Iesuitas, 207 — *nihil praescribitur* de flosculo et nulla datur de illo *obligatio*, *ibid.* — admitti potest *funiculus* seu *resticula rubei coloris* pro Cardinalibus, *violacei* pro Episcopis, 208 — utrum *sit stricta lex*, ut biretum ha-

beat *solummodo tria cornua*, 209 — quomodo biretum *supra caput portetur*, 210 — subsutura bireti *cuiuscumque coloris* esse potest, 211 — quomodo *biretum in manibus* tenendum, *ibid.* — an biretum *violaceum aut rubeum* tolerari possit in *pueris chori*, 212.

C

Caeremoniae, vide *Rituale Romanum.*

Caeremoniarius, rite et licite Diaconum comitatur in missa solemni, dum defert *Evangeliorum librum et bursam* ad altare, 102.

Calendarium, solvitur controversia inter duo calendaria de *ordine in commemorationibus* servando, 422 — conferuntur Rubricae, 485 — de interpretatione decr. Ord. Min. S. Franc. de Observ., 488 — Congregationes Religiosae *proprio Calendario* uti debent, si non habeant *conformentur calendario dioecesis*, 453 — quonam calendario uti debeat Sac. Regularis, cui ab Episcopo commissa est *administratio Eccl. Parochialis*, 589 — vide *Concurrentia.*

Calix, de consuetudine calicem super altari praeparandi *ante missam cantatam sine ministris*, 307.

Campanula ad Sanctus in missa, cum *Rosarium a populo recitatur*, pulsanda est, 200.

Candelabrum septimum Episcopo solemniter celebrante ponitur *in medio aliorum* et *in eadem linea*, 162.

Candelae, vide *Lumina* — candelae accendendae ante cruces in Dedic. Eccl. collocandae sunt *ubi commodius possunt*, 702.

Canonici, de *insignibus honorificis* Canonicorum Titularium, utrum et quomodo participent *Honorarii Lauretanae Eccl.*, votum, 522 — utrum dentur Canonicorum Collegia *sine ullis insignibus*, 423 — de *quatuor Brevibus* dicta insignia concedentibus, *ibid.* — *varia insignia* Lauret. Eccl. Canonicis concessa, 525 — Canonici ho-

norarii *eorumdem privilegiorum* sunt participes, 526 — an insignia praefata *ubique locorum deferre possint Canonici honorarii*, 527 — sub *quibus limitibus* iisdem frui possint, 530 — Canonici honorarii in *Lauret. Eccl. Mantellettam* et forte etiam in *aliis Eccl.* induere possunt, 531 — gaudent privilegio *Canonis* et *Palmatoriae* missam facientes intra limites *Lauret. Dioecesis*, 532 — competit ipsis *pileum nigrum cum cordulis et flocco violaceis*, *ibid.* Titulares in aliis Eccl. dioecesis ius non habent exercendi functiones *insignibus canonicalibus ornati*, 533 — idem probatur pro Canonicis honorariis, *ibid.* — obiicitur ex Privil. Pontif. quod permittit insignium usus *tam intra quam extra dioecesim* Lauretanam, 534 — anacephaleosis hucusque discussorum, 537 — Canonici assistentes missae priv. Episcopi *stare debent tantum ad benedictionem* et *rochettum cum superpelliceo* adhibeant, 587 — missam celebrantes solemnioribus diebus, *uti nequeunt alba fimbriis ornata* etc., 589.

Cantus missae, de hymno *Gloria in excelsis* et de eius nominibus apud veteres, 1 — de eius origine, 2 — antiquitus etiam *ad matutinas laudes* et in *publicis gratiarum actionibus* decantabatur, 2 — Stephanus I. hymnum istum concini *in festo Nativ. Christi* iussit, 4 — olim Sacerdotes *ad Orientem versi* hymnum dicebant angelicum, 4 — probatur auctoritate Georgii hunc hymnum primitus in Rom. Eccl. *graece fuisse decantatum*, 5 — de *Psalmo* et *Responsorio*, quae decantabantur dum Diaconus ad cantum Evangelii *se praeparabat*, 66 — a quibus inventa fuerunt *Responsoria*, 67 — *quibusnam diebus* cantabantur, 68 — de *ritu Responsorium* canendi, 69 — de his, quae agebantur *a Schola Cantorum*, 70 — *quibusnam vestibus* praecentor Responsorii Gradalis induebatur, 72 — in quonam loco, *ibid.* de hymno *Alleluia* post Responsorium, 194 — ipsius auctor, *ibid.* — quando cantari inceperit, 194 — qua ratione omittatur *Alleluia ieiuniorum tempore*, 195 — de *modo* canendi *Alleluia*, 196 — quid *Tractus*, 257 —

quot illum canebant, 258 — quomodo nunc canitur, *ibid.* quomodo modulabatur, 259 — *Sequentia* quid, 385 — eius inventor, *ibid.* — alternis vocibus concinebatur, 386 — *abusus* in Sequentiis, *ibid.* — de Sequentiarum *auctoribus*, 387 — de melodiae Sequentiarum *natura, ibid.* — melodia *Veni Sancte Spiritus* altera est ab illa *Victimae Paschali,* 388 — de melodia Seq. *Lauda Sion*, *ibid.* — melodia *Dies irae* mirae pulchritudinis est, 389 — poesis *Stabat Mater* suavis et penetrans est, eius melodia haud una est in variis editionibus, *ibid.*

Cantus Liturgicus, de *obligatione utendi cantu liturgico*, explanatur difficultas *ex uniformitate* cantus desumpta, 240 — de codicibus in liturg. functionibus adhibendis, *ibid.* — quinam cantionum liturgicarum *auctores*, 241 — solvitur difficultas ex mendis desumpta, 242.

Canutus (S.) in die S. Canuti M. semid ad libit. *festum vel translatum* poni potest, 438.

Celebrans, quando post Vesp. omisso Completorio canitur finalis antiph. *in subsellio manere debet*, 57 — *Celebrans,* qui dignitatem habeat in Capitulo, *non potest sedere* contra thronum Episcopi assistentis ad hymnum *Gloria* et *Credo* in sella *brachiis et fulcimento pro humeris* instructa, 589.

Cereus Paschalis, quo tempore accendendus et extinguendus, 568.

Collecta imperata, Episcopus in aliena dioec. celebrans *non videtur obligari ad collectam ab Episcopo loci imperatam,* quando privatim celebrat, 310.

Color, paramentorum color in benedictione, quae immediate datur post Completorium, *albus esse debet*, 322 — de colore *conopei* et *stolae* pro communione, ritu simplici occurrente, 435.

Commemoratio, vide *Officium votivum Duplex*, — Commem. de Cruce, *quae tempore paschali pro Sanctorum Suffragiis dicitur*, omittenda est in officio de SSmo Sacramento, 9 — regula circa commem. faciendam vel non *ratione identitatis obiecti*, 59 — non videtur facienda

commem. de Sacramento, si festum Invent. S. Crucis impedita in die propria *transferatur in primam diem liberam*, qua incidat infra octavam Corp. Christi, 501.

Commemorationes, de comm. ordine in Vesperis, 493 — enumerantur *effectus* impedimenti *occurrentiae*, 494 — de quonam impedimento loquatur S. R. C. in decr. 18 Dec. 1779, *ibid.* — probatur in secunda parte decr. praefati S. R. C. loqui noluisse, nisi *de impedimento concurrentiae* et *de eius effectibus*, 496 — distinguendum est in *ordine commemorationum* a commem. officii impediti in die a *legibus occurrentiae*, et a commem. officii impediti in vesperis a *legibus concurrentiae*, 498 — quo sensu accipiendus Tit. IX Rubr. Brev. Rom., 597 — utrum adhuc sustineri possit in praefato Titulo *agi tantummodo de Commem. officiorum occurrentium*, 599 — ad determinandum commem. ordinem in quibuslibet casibus *sufficientes sunt Rubr. dicti Tituli*, tribus adiectis limitationibus, *ibid.* — commem. occurrentis officii *non est potioris iuris* quam caeterae commem., 600 — responsa ad animadversiones *cl. Lafrasse* circa sententiam Ephemerid. in quaestione de *commem. ordine*, 603 — nonnullis *difficultatibus* super ordinem commem. in Vesperis *satisfit*, 681, — de commem. ordine in Vesp. die 27.ª Maii, 354 — de commem. ordine in *Vesp. die 16.ª Dec. 1893*, 358 — de ordine tenendo inter commem. *feriae VI. post oct. Ascens.* et semidupl. simplificati sequentis, 570 — de tertia commem. *semidupl. simplificati* in 1.is Vesp. festi dupl. 2.ae classis, 624.

Commemoratio omnium Fid. defunctorum, in regionibus quibus concessum est *tres missas de requiem celebrare*, Sacerdos qui missam de octava Sanctorum celebrare tenetur, potest ante vel post missam de festo alias duas celebrare de *Requiem*, 167.

Communio, in communione administranda extra missam tantum sunt de praecepto *versiculi et oratio Deus qui nobis* et semper danda est benedictio, *praeterquam in missis defunctorum*, 9 — de infirmorum communione casus, 545

— quid ferat utriusque Eccl. antiquitas circa *disciplinam SS. Eucharistiam deferendi et ministrandi infirmis*, 547 — quomodo deferebatur, 549 — Decr. Honorii III., 550 — antiquitus Eucharistia *post Extr. Unctionem* administrabatur, *ibid.* — de sonitu *campanae*, *intorticiis* etc., 551 — ad saeculum usque decimum circiter usus viguit in *proprias domos deferendi Eucharistiam* in Occident. et orientali Eccl., *ibid.* — quid circa *delationem et administrationem communionis huius* praescribat Rituale Rom., 552 — quid S. R. C., 553 — Sacerdos *alius a Celebrante* potest communionem infirmis deferre, dum Celebrans sanis illam distribuit, 554 — quid de usu *umbellae* etc. ut in casu, *ibid.* — utrum Diaconus, quum Celebrans communionem populo distribuit, si particulae deficiant, *possit ad altare pergere, aliam pyxidem accipere* et *ad Celebrantem deferre*, 703.

Concurrentia, in concurrentia duorum officiorum Dñi *Vesperae divisionem non patiuntur*, 164 — idcirco *integrae recitandae sunt de altero* nullam commem. agendo de alio officio, 165 — in concurrentia B. M. V. de *Monte Carmelo dup. mai.* cum festo *triumphi S. Crucis dupl. mai.*, totum fit de sequenti cum commem. praeced., 307 in concurr. off. vot. et praecept. *eiusdem obiecti* agendum est de praecept. absque ulla commem. votivi, 431 — in concurr. festi *S. Gabr. Arch.* cum officio *Passionis* dupl. mai. et *S. Raph. Arch.* cum festo *Puritatis* B. M. V. eiusdem ritus, Calendarii redactor *alterutri ex duobus concurrentibus Vesperas tribuere potest*, 438.

Confraternitates, de *adiunctione et aggregatione* Confraternitatum Archiconfraternitatibus, dubia varia et responsa S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, 317.

Congregationes Religiosae, vide *Calendarium.*

Conopeum, vide *Color.*

Consecratio Altaris fixi, ut valida habenda est *sanato quovis defectu cuiuscumque additionis* ante vel post consecrationem factae, 321.

Consecratio Ecclesiae, de Eccl. consecr. casus, 610 — Ecclesiarum dedicatio *in Dei honorem ritu solemni facta*, antiquissimi est instituti, 611 — de *vigiliis* ante Reliquias, *ibid.* — de *vigiliis proprie dictis*, quae per *integram noctem* fiunt *ante reliquias*, 612 — probatur vigiliarum usum constanter *retinuisse utraque Ecclesia,* 613 — de psalmodia, 614 — discrepantia quoad *psalmodiam*, Romanam inter et alias Ecclesias, 615 — *solius Ordinarii est* Ecclesias suae dioec. *etiam exemptas* consecrare, 616 — *valide* Episcopus, proprio marte, Coadiutores sibi deligit ac inter ipsos dividit *varias consecrationis partes*, *ibid.* — *licite* id facere potest, 618 — a *praecipuo Episcopo altare maius* dedicandum est et ab eodem perficienda *inunctio in parietibus*, *thurificatio* etc., 620 — quid de vigiliis, Horis recitatis, crucibus columnis et non parietibus superpositis, etc., ut in casu, *ibid.*

Consecratio Episcopi, vide *Anniversarium.*

Cor Iesu, de missa Cordis Iesu celebranda *prima feria VI.* cuiusblibet mensis, 7 — quoties Cordis Iesu festum ob concurr. cum festo S. Ioan. Bapt. transfertur in diem 25.^am^ Iunii, *Vesperae erunt de S. Ioanne Bapt.* cum commem. de sequenti, 9 — etiam post decr. extensionis Missae et off. SS. Cordis Iesu, *peculiare officium cum respondente missa* dicendum est, 433 — quid agendum si *Vesperae SS. Cordis* concurrant cum *Vesp. alterius festi dupl. 1.^ae^ classis*, 581.

Credo, est regula fidei ab *Apostolis composita et oretenus tradita*, 456 — de pluribus eius nominibus, *ibid.* — de usu *Symboli* in Eccl. in *erudiendis cathecumenis* et in *missa*, 456 — Constantinopolitanum antiqui cantari in missa constituerunt, quia *dogmata orthodoxa clarius exprimit*, 457 — in *Orientalibus Eccl.* cantari coepit, *ibid.* — e *Graecis ad Latinos transiit* ritus canendi Symbolum, 458 — *modus* illud canendi in Eccl. Rom. 459 — *post elevationem* canebatur apud Mozarabes, 460 — *quibus diebus* dicebatur et dicitur nunc, *ibid.*

Crux, de crucis *qualitate* et *loco* in altari, 403.

Crux processionalis, utrum *Episcopis in Gallia* ius competat Crucis processionalis deferendae, casus. 180 — ponitur generale principium *huiusmodi ius Archiepiscopis citra dubitationem competere*, 181 — cum iure praesenti *crucis delatio pallium sequatur*, et pallium non competat Episcopis, concluditur *nec crucem illis competere*, *ibid.* — nonnulli tamen Episcopi *hoc privilegio* gaudere possunt, 182 — probatur ex *concessione huiusmodi privilegii* quibusdam Galliae Episcopis facta, 183 — Episcopo, ut in casu, nec *ex iure* nec *ex privilegio* competit delatio Crucis, 184 — neque *vi consuetudinis* illi competit, 185.

D

Dedicatio, Eccl. Cathedr. Dedic. *a Monachis semper et in quocumque casu* sub ritu dupl. 2.ae cl. sine oct. est celebranda, 507.

Denuntiationes, an denuntiandi sint *sectae massonicae coriphaei*, quando noti sunt ut *liberi muratorii*, sed non ut coriphaei et an *cesset denuntiationis obligatio* ubi praedicti coriphaei *a gubernio tolerantur* et ab ecclesiastica potestate *puniri non possunt*, 448.

Diaconus, in *planum Presbyterii descendere non debet* ad pacem Subdiacono dandam, neque genuflexionem facere *antequam ascendat ad altare*, 62.

Doxologia, vide *Gloria Patri* — de doxologia non mutanda in Vesperis ob festum *solam habens commemorationem*. 302.

Duplex, de quadam sententia ab Aloisio a Carpo tradita circa commem. festorum *duplicium et semid. ad simplicium modum redacta* in dupl. 1.ae cl., 622 — utrum *dupl. maiora Dominicis affixa* transferri possint et in casu transferenda in 1.am diem liberam, 695.

E

Elevatio Sacramenti, Chorus *surgere aut genuflectere non debet* ad elevationem Sacramenti, quae fit in missis tempore chori, 353.

Emolumenta Funeris, decr. in Romana funeris emolumentorum, quaestio inter *Vic. perpetuum Eccl. S. Marci de Urbe* et Par. *S. Mariae in Aquiro*, 248.

Eucharistia, de intelligentia responsi S. R. C. in Lincien. (3 Iun. 1892) circa *modum Eucharistiam Monialibus ministrandi*, 166 — quomodo se gerere debeat Sacerdos, si *fideles cum Monialibus Eucharistia reficiendi essent*, 167.

Evangelium, ultimum Evang. in fine missae a Sacerdote *oblique stante* recitari debet, 8 — de *identitate Evang.* festi cum Evang. feriae occ., 695.

Exequiae, in Triduo mai. hebd. a Matut. Tenebrarum *feriae IV. ad totum Sabb. Sanctum* prohibentur, 355.

Expositio SSmi Sacramenti, *quaenam expositio* sub forma quadraginta horarum, 75 — de expositione Sacramenti iuxta *Instructionem Clementinam*, *ibid.*

Extrema Unctio, materia huius Sacramenti, 136 — benedici debet *fer. V in Coena Dñi*, 137 — formam constituunt verba, *quibus unctio eiusque effectus* exprimitur, *ibid.* — *quomodo* materia et forma sint *coniungendae*, *ibid.* — *quanta praestantia* huius Sacramenti, *ibid.* — *quo loco asservandum* oleum infirmorum, 138 — an *domi illud asservari* Parochus queat. *ibid.* — quomodo antiquitus Oleum Sanctum ad *infirmorum domos delatum fuerit*, *ibid.* — quaenam *in praesenti* servanda ex Rituali Rom. circa delationem, 139 — *quomodo* Extrema Unctio ministranda, 141 — *quaenam partes infirmi* antiquitus ungebantur et quaenam ungendae iuxta *praesentem disciplinam*, *ibid.* — quid Parocho agendum, si administraturus Extremam Unctionem, *infirmum moriturum esse sentiat*, 141 — quid de *unica unctione* ac *generali*

forma iudicandum, *ibid.* — *quomodo* unctiones fieri debeant, *ibid.* — quid Sacerdoti agendum si *mutila fuerit pars ungenda*, *ibid.* — quid *post absolutas unctiones* agendum, 142 — *cuinam dari possit* Extrema Unctio, *ibid.* — quid *cum impoenitentibus* agendum, 143 — *utrum iterari possit*, *ibid.* — quonam *in morbi statu* ministrandum, *ibid.* — minister eius est Parochus, 226 — *in necessitate* quivis Sacerdos potest imo *debet* hoc Sacram. poscenti administrare, 227 — utrum *idem minister* Viaticum et Extremam Unct. possit *eodem tempore* ministrare, *ibid.*

F

Familia Sacra, decr. S. R. C. mandans ut festum S. Familiae cum officio et missa *sub ritu dupl. mai. Dominicae III. post Epiph.* affigatur, 449 — novum officium cum missa de S. Fam. approbatum *non est praeceptivum*, sed omnibus petentibus conceditur, 450 — hoc off. Dominicae affixum et non universale *iure translationis per se non gaudet*, 451 — festum hoc ut secundarium *primario personalis dignitatis inferiori* cedere debet, si sint eiusdem ritus, *ibid.* — anno proximo cum *Dominica III. post Epiph. in Septuag. incidat,* haec simplificatur quia secus hoc festum *primo celebrandum* translationem pateretur, *ibid.* et 705 — Piae Consociationis S. Familiae *regulae*, 187 — munera adimplenda, 188 — servanda a familiis adscriptis, 190.

Feretrum, Parochus in mandandis sepulturae *clericis vel pueris* Rituali Rom. se conformare debet, 589.

Festum, de *distinctione* inter festum et officium casus, 390 — quid festum, 391 — quid officium, 392 — *discrimen* inter festum et officium, 393 — inter festum et officium *quodnam potius*, 397 — de quibusdam casibus peculiaribus, 398 — quid agendum erat in casu proposito et quis ex *duobus calendarii redactoribus* erravit, 402 — non potest Ordinarius locorum *extrinsecam*

festivitatum solemnitatem transferre et permittere tantum *cantum Missae diei* absque alia pompa in Eccl., ubi celebranda erat festivitas in aliam diem translata, 588 — vide *Duplex*, *Semiduplex, Patronus, Commemoratio.*

Festa primaria, approbatur *Catalogus enumerans festa primaria et secundaria*, 572 — de festis primariis et secundariis *notiones historicae*, 461 — *decr. generale S. R. C.* super festa primaria et secundaria, 467 — ex nova doctrina exhibita *duo inferuntur consectaria* et primo *duplicia omnia in duos partiri ordines*, 449 — alterum consectarium *ordines respicit*, quos posuit cl. Doctor Piacenza, 470 — quo sensu accipiendum decr. Einsidlen., 591 — quare festa *Dedic. Bas. SS. Salvatoris*, *S. Mariae ad Nives*, et *S. Petri*, et *S. Pauli* extra moenia recenseantur inter festa primaria, 592 — festa *Patronorum minus principalium* primaria sunt, si agatur de *eorum die natali*, 593 — sapienter Commem. S. Pauli *inter secundaria festa recensetur*, *ibid.* — quare Commemoratio Sanctorum, *quorum corpora vel Reliquiae in Eccl. asservantur,* inter festa primaria ponatur. 594 — *censentur revocata* omnia decreta emanata super festis primariis et secundariis, quae aliud statuebant *a nunc posito principio*, 595 — quo sensu accipienda Rubrica Breviarii titulo XI n. 2, 596 — illustratur votum *cl. Fidei Promotoris* super festa primaria et secundaria. 664 — praecipua ratio de *praelatione festorum primariorum secundariis* est quia festa primaria sunt solemniora, 667 — solvitur difficultas *ex significatione verborum dignius* et *solemnius* desumpta, in nota, 668 — festa primaria tam in occurrentia, quam in concurr. *praeferuntur secundariis*, 670 — festa primaria praeferuntur secundariis *etiam in ordine repositionis*, *ibid.* — de Rubricarum reformatione *circa festum SS. Nominis Iesu* inter secundaria recensitum, 671 — S. R. C. festum SS. Rosarii inter secundaria recensendo *derogare voluit decr. 11 Sept. 1887*, 672 — dubitari nunc potest, *an*

festum *SS. Cordis Iesu in occurr. praecedat omnibus dupl. 1.ae cl.*, licet absque feriatione celebrentur, *ibid.* — in eodem ritu et in eadem classe *dantur festa diversi ordinis*, 673 — concluditur distinctionem festorum *eiusdem ritus in ordines* esse legitimam deductionem ex *Rubricarum spiritu*, et ex *Summorum virorum Liturgicorum doctrina*, 674.

Funus, vide *Emolumenta funeris* — quinam Parochus advocandus in funeribus defunctorum, *quorum cadavera desumuntur in Statione viae ferreae* decr. in Novarien, 444.

G

Genuflexio, Cruci altaris Mai. a Caerem. Ep. praescripta, est facienda et in illis Eccl., quae *in altari mai. non asservant Sacramentum*, tempore functionis tantum, 9 — genuflexio cruci facienda est a ministro Missae priv. in altari *ubi non asservatur Sacramentum*, 629.

Gloria in excelsis, caecutiens missam votivam de B. M. V. ex indulto quotidie faciens, *solis in Sabbatis* et *minime per oct. festorum* eiusdem B. Mariae *Gloria* addere debet, 171 — vide *Cantus Missae.*

Gloria Patri, non est dicendum in concursu Dom. Passionis et officio vot. Imm. Concept., 212 — dicenda est doxologia, *ibid.*

Graduale, vide *Cantus Missae.*

H

Hermae Sanctorum, inter candelabra positae super altari *habeant vel non Sanctorum Reliquias*, thurificandae sunt, 364.

Homobonus (S.), Clerus Civitatis N. ut in casu tenetur festum S. Homoboni Patr. Civit. Episcopalis et Dioec.

ritu maximo cum octava celebrare, 676 — ***non iure*** ad simplicem ritum redigitur Dedic. Bas. SS. Petri et Pauli, sed ***potius reponenda est in prima die non impedita***, 677 — in dictis parochialibus Eccl. ut in casu ad literam N. in oratione ***A cunctis*** omitti debent verba ***atque beato N.***, ***ibid.*** — vigente antiquissima consuetudine commemorandi S. Martinum in Suffragiis, an sufficiat eius nomen ***Patrono et Compatronis praeponere*** vel ***potius requiratur alia antiphona*** separatim, 678.

K

Kalendarium, specimen Kalendarii univers. Ecclesiae pro anno 1894, 343 — vide *Calendarium*, *Missa*.

I

Iesus, invocatio saltem mentalis SSmi Nominis Iesu est ***conditio sine qua non*** pro universis Christi fidelibus, qui ***in mortis art. constituti***, plenariam Indulgentiam a *Bened. XIV. concessam* assequi volunt, 126.

Imago D. N. I. C., tolerari potest ut ***pallio contegatur in process. fer. VI. Mai. Hebd.*** iuxta usum Goanae Archidioec., 588.

Incensatio, duplex est facienda in expos. Sacramenti, cum *super thronum est collocatum* et ad versum *Genitori*, 703.

Inclinatio, nulla fieri debet ad verba *Corporis et Sanguinis tui* in oratione *Deus qui nobis*, 570 — ad cantum *Veneremur cernui* chorales omnes ***profunde se inclinare debent*** cum iam genuflexi inveniantur, ad stropham *Te ergo quaesumus* omnes genuflectunt, 629.

Indulgentiae, in indulgentiarum publicatione post pontificalem benedictionem, ad nomen Episcopi titulus *Comitis* adiungi nequit, 323 — indulgentiae adnexae *pio exer-*

citio quindecim Sabbatorum in hon. B. M. V. a Rosario lucrifieri possunt ab operariis *die Dominica*, servatis conditionibus praescriptis in decr. diei 21 Septembr. 1889, 313.

Indultum, utrum sustineri adhuc possit indultum in Mediolanen. 20 Oct. 1579 circa Canonicos ad chorum non intervenientes ex eo quod *ab Episcopo ad aliud officium deputantur*, 245.

Insignia Canonicalia, vide *Canonici* — Insignia Praelatorum, vide *Praelati*.

Interrogationes, in baptismo lingua vernacula *prohibentur a S. R. C.*, ideoque nil valent *Constitutiones Synodales* etiamsi confirmatae ab aliqua alia Congregatione Rom., 156.

Intonationes, vide *Matutinum Tenebrarum*.

Ioannes, (S.) Baptista, in Sanctorum suffragiis, ubi S. Ioannes Bapt. est Titularis, *recitanda est oratio de Nativitate* immutata voce *Nativitate* in vocem *Commemoratione*, 452 — in occursu Nativ. S. Ioan. Bapt. cum S. Gulielmo, *ubi de hoc fit patronale festum*, transfertur in diem immediate sequentem, 581 — vide *Lectiones*.

Ioannes (S.) a Capistrano, quanam die celebrandum festum eius post decr. S. R. C. sub die 19 Aug. 1890, ubi *eius officium fiebat die obitus eius*, 10.

Ioseph (S.) in translatione eius festi ad normam decr. Generalis elapsi anni *locum cedere debet tantummodo dupl. 1.ae cl.*, ceu Dedicationis, ceu Titularis locique Patroni, quando haec *sub duplici praecepto fiant* et reponatur in diem immediate sequentem, 577 — officium *cedere debet* festo, 579 — translatio S. Ioseph facienda est *ad tramitem Decr. lati de festo SS. Cordis Iesu*, 580.

L

Lectiones, de modo ordinandi lectiones secundi noct. in festo *SS. Nazarii et Celsi* ab utentibus Calendario Urbis et

ab utentibus Calendario universali, 434 — de authenticitate decreti docentis *lectiones tertii noct. in die oct. S. Ioannis Bapt. easdem esse ac in die festi* 24 Iunii, 435.

Legile, in Vesp. solemnibus adhibendum est *legile tectum ante Celebrantem* et Celebrans *manibus iunctis* cantare debet quidquid est canendum, 293.

Libri Liturgici, de librorum liturgicorum *approbatione* casus, 268 — *officii seu psalmorum recitatio ab ipsis Eccl. incunabulis* incepta est, 270 — *quibus de causis* et *quando* ortum habuerit *approbationis lex* in libris liturg., 273 — *qualis esse debeat* eiusmodi approbatio, 276 — editio librorum liturgic. *communem praeferentem approbationem et non specialem* contra regulam est. 278 — num defectus approbationis *liceitati* obstet, 280 — num *validitati* recitationis officii, 281 — quid sentiendum de duabus sententiis ut in casu, 282.

Litaniae, vide, *Rogationes* — Litaniae maiores vel minores in choro *recitari debent post Laudes*, 569.

Lumina, de luminum *numero* in missa casus, 471 — de *caussis*, quae luminum usui originem dedere in missa, 472 de caussis *determinati et multiplicis luminum numeri* in missis, 476 — plures distinctiones missarum privatarum, 477 — in praedictis missis luminum numerus *non est determinatus*, 479 — de luminum numero in *missa cum cantu sine ministris, ibid.* — in missa cum cantu cum ministris, iuxta Missalis Rubr. *sex lumina videntur adhibenda*, 480 — in *missa pontificali*, ratione Episcopi Ordinarii functionem agentis, *septima candela* requiritur, *ibid.* — consuetudo romana fert *ut non augeatur praefatus numerus* in missis solemnioribus, *ibid.* — de luminum numero *persona Celebrantis inspecta*, *ibid.* — Rubr. Missalis Rom. de tertio cereo in missa accendendo *in se inspecta praeceptiva est*, quamvis per contrariam consuetudinem abrogata, 482 — de quadam consuetudine circa *tertii cerei accensionem*, 483 — tertius cereus *in missis cum cantu* et a fortiori in *solemnibus*, non est accendendus, 484.

M

Manuale Rituum, de *novo quodam* rituum manuali *censura*, 283 — examinatur titulus: *Missa cantata in festis infra annum*, duobus assistentibus clericis, 284 — obiiciuntur contra exposita, *quae sub fine Memorialis rituum leguntur*, 286 — perpenditur *ultimus Manualis titulus*, *ibid.* — de ritibus et caeremoniis, quas describit pro *duobus clericis inservientibus*, 288 — thurificatio in missis sive cum cantu sive non, *omittenda est quando ministri desunt*, 289 — pro gratia conceditur Capuccinis *incensatio altaris in missis conventualibus*, quae sine ministris celebrantur, 290.

Mappae, de mapparum pro altaribus *numero* et *materia*, 234.

Martyrologium, tolerari nequit consuetudo aliquid omittendi de Martyrologio in choro *ad nutum Superioris*, 306.

Matrimonium, locus matrimonii celebrandi est Ecclesia, 288 — matrimonia mixta in *Ecclesia celebrari non debent, ibid.* — locus opportunior in Eccl. *est altare*, 229 — omni tempore absolute loquendo matrimonium contrahi potest, quamquam *optimae rationes* ut *mane celebretur suadeant*, *ibid.* — simplex matrimonii celebratio *nullo tempore prohibetur*, *solemnitas* vero ex iure positivo *prohibetur tempore clauso*, *ibid.* — quale sit tempus clausum, *ibid.* — *qua de causa* prohibeatur Matrim. solemnitas tempore clauso, 230 — quid sub nomine *solemnitatis Nuptiarum* veniat, *ibid.* — ritus explendi a *Sacerdote* et ritus explendi *a contrahentibus*, 337 — Sponsi *vulgari sermone* interrogandi sunt, *ibid.* — latine interrogari possunt, si *latinam linguam calleant*, 338 — *nomine et cognomine* sponsi interrogari possunt et *uterque sponsus de consensu* est interrogandus, *ibid.* — quid per *utriusque dexterae iunctionem* significetur, *ibid.* — quid significet *annulus*, et ex *quanam materia* esse possit, 339 ritus benedictionis annuli *semper est servandus*, et praeter ritus Ritualis Rom. *alii adhiberi licite queunt*, *ibid.* —

quid sub *nuptiarum benedictionis* nomine veniat, 340 — nuptiae *non semper benedicendae sunt* et quaenam, *ibid.* nuptiae benedici nequeunt *nisi infra Missam per orationes* quas habet Missale Romanum, 341 — posita nuptiarum invaliditate, *benedictio repetenda non est*, 342 — solus sponsorum Parochus est *minister benedictionis nuptialis*, *ibid.* — nuptiarum benedictio a Celebrante, *qui matrimonium non benedixit*, dari potest, *ibid.* — agenda a Parocho si *sponsi tempore clauso* Matrimonium celebrent, *ibid.* — de Matrimonii cuiusdam nullitate *decretum in Castrimarens.*, 272.

Matutinum Defunctorum, in Cathedr. Eccl. *statim post Vesp. Omnium Sanctorum* recitari potest, 201 — vide *Antiphona.*

Matutinum Tenebrarum, de *antiphonarum et psalmorum intonatione* in Matut. Tenebr. casus, 324 — quid antiphona, 325 — *Divo Ignatio Antiocheno* alterna cantus modulandi ratio tribuitur, 326 — *quando inceperit* antiphonae praeintonandae usus, 328 — quibus de causis, 329 — *relationes* inter antiphonas et consequentes psalmos, 330 — quid *statuat Caerem. Episcoporum* circa antiphonarum intonationem, 332 — quid *Directorium chori* et *Vesperale Rom.*, 334 — quid de consuetudinibus prout in casu, 335 — regula *pro cantus uniformitate* in cunctis Vesper. vel Matut. psalmis, *ibid.* in nota.

Ministri in Missa Solemni, duplicis quaestionis Ephem. inter et Irish Ecclesiastical Record. propositio, 16 — examinantur et refelluntur argumenta, quae faciunt pro prima quaestione *hibernicae Ephemerid.* circa ministros, 17 — expenduntur argumenta alterius quaestionis *circa stolam a Sacerdote deferendam in Viae Crucis exercitio*, 21 — conclusio, 26 — in missa solemni Ministri, *tempore quo cantatur Kyrie nisi sedeant*, stare debent in cornu Epistolae sicut ad Introitum, 297.

Missa, de missa *Rorate* dicta tempore Adventus iuxta Hungariae consuetudinem, 12 — de qualitate missae in aliena dioecesis Eccl., *Iuliani calendarium habentis*, 213

— Sacerdos missam in aliena Eccl. celebrans legere potest missam *speciali modo dioecesi concessam*, 361 — missa Reliquiarum *Ecclesiae B. M. de Paradiso* indulta absque officio respondente est Missa de communi plurim. Mart. *Sancti tui* Temp. pasch. cum orationibus missae Reliquiarum, 215 — prima missa in nocte Nativ. Dñi *celebrari nequit sine cantu*, 355 — pro celebratione Missae in nocte Nativ. Dñi *horologiis locorum* attendendum est, 363.

Missa Conventualis, vel Solemnis, *observandae Rubricae in missis solemnibus,* quae ex inveterata consuetudine in Hungariae regionibus coram exposito Sacramento celebrantur, 12 — missa Pontificalis solemnis iuxta mentem Rom. Ecclesiae *congruentius est non celebrare* in altari Expositionis, 104 — adduntur *nonnulla specialiora* relate ad missam solemnem in altari Exposit., 114 — missa solemnis pro Exposit. et Reposit. 40 Horarum iuxta praxim unanimem *prima die ita incipere debet ut paulo ante meridiem*, tertia vero *ita ut paulo post meridiem finiatur*, 116 — missa Conventualis in Cathedr. Eccl., in quibus est consuetudo missam canendi ante processionem SS. Sacram. post Tertiam, *decantari nequit post Nonam* vi decr. S. Iacobi de Chile 7 Aug. 1880, 205.

Missa De Requie, *quibus diebus* prohibetur, 163 — dici potest, praesente cadavere, *in festo SS. Cordis Iesu*, 355 — non omnes missae de *requie gaudent iisdem privilegiis*, *ibid.* — missa *exequialis* dici nequit in festis suppressis, ubi *unus est Parochus*, 356 — vide *Officium votivum.*

Missa de Spiritu Sancto, ab Episcopo permitti potest in *initio scholarum* ubi cum magno apparatu celebratur, sed non *in perpetuum*, 588.

Missa pro Populo, utrum applicanda praeterquam in festo particularis Patroni loci particularis, *etiam in festo Patroni dioecesis.*

Missa pro Sponsis, est *praeceptiva* in celebratione Matrim., si *eiusmodi Missam sponsi petant*, 539 — prohibita est *tempore clauso*, *ibid.* — et quoties mulier iam in *aliis nuptiis benedictionem accepit*, 540 — quibusnam diebus prohibeatur missa ista *ratione ritus*, *ibid.* — in triduo Rogationum, si *una tantum missa dicatur in Ecclesia et non fiat processio*, Parochus *missam pro sponsis* legere potest; item in Commem. Omn. Defunct., si *in Eccl. non cantetur officium pro defunctis*, *ibid.* et ad pag. 158 quid agendum a Parocho si nuptiae celebrari debeant et *ritus diei missam non permittat*, 541 — ad applicationem Missae pro sponsis non tenetur Parochus *nisi ratione stipendii*, cum vi legis *ad Missae lectionem tantum* teneatur, *ibid.* — haec missa est *votiva* et si missae pro sponsis impeditae alia sit sufficienda, nunquam tamen *est omittenda commemoratio*, *ibid.* — quare paramentorum *color albus* praescribitur in hac Missa, 542 — *unica tantum missa dicenda est* pro pluribus nuptiis eodem tempore celebrandis, *ibid.*

Missa votiva, in missa vot. de Imm. Concept. *secunda oratio debet esse* de *Spiritu Sancto*, 168 — de missa vot. Imm. Concept. et de missa *Rorate* in Sabbatis adventus, 301 — de intelligentia Decr. Clodien. 7 Aug. 1875 *circa orationes in missis votivis*, 630.

N

Nomen, de nomine ponendo in littera N. ad orationem *pro Religiosis*, 627.

Nuptiae, vide *Matrimonium*.

O

Occurrentia, de occurr. duorum dupl. 1.ae cl., 212 — de occurr. festi *S. Dorotheae V. M.* semid. 6 Febr. in *Calendario*

Ostunensi, cum ea die in *Calendario univers.* officium dupl. *S. Titi Ep.*, 214 — in occurr. *Despons. B. M. V.* et *Orationis D. N. in Horto,* de festo Dñi agendum est et festum Deiparae transferendum, 292 — vide *Commemorationes.*

Octava, de quadam die octava utrum *perpetuo ad instar simplicis redigenda*, 160 — in die oct. Corporis Christi *non est legenda lectio nona* Simiduplicis, 170 — de octavarum *origine*, 264 — de Oct. fit officium vel saltem commem. *per octo dies continuos,* 557 — fit de oct. in *Pascha Resurr.*, in *Ascens. Dñi* in *Pentecoste*, in festo *Corp. Chr.* et in festis quibus in Calendario *apponitur oct.*, 658 — item in festis *Dedic. Eccl.*, *Patroni principalis* et *Titularis loci vel Eccl.*, 559 — in festis Sanctorum, quae apud quasdam Eccl. Congregationes et Religiones cum octavis *solemniter celebrari consueverunt*, 560 — nisi illa festa venerint in *Quadrag.*, quo tempore *omittitur officium cuiuscumque oct.*, *ibid.* — adveniente ergo Quadrag. *omnis octava abrumpitur et cessat*, 561.

Offertorium, quid, 513 — quis eius *institutor*, 514 — qua ratione *toto oblationis decursu*, cantabatur, *ibid.* — cantus Offertorii *antiphonus* erat, 515 — de eius natura, *ibid.*

Officium, commendatur opus cui titulus: *Tractatus de officio divino seu de horis canonicis ad usum Alumnorum Seminarii Archiepisc. Mechliniensis,* 368 — quum festum Annuntiat. B. M. V. incidit in *fer. VI. post Dominic. III. Quadrag.* iis in locis ubi hac die fit off. *SS. Quinque Vulnerum*, transfertur hoc off. in Sabb. seq. si est dies libera secus in aliam die intra Quadrag., quae si non suppetat, *omittitur*, 10 — officium *cedere debet festo*, 579 — vide *Festum.*

Officium defunctorum, etiamsi *submissa voce recitari nequit* in festis dupl. 1.ae cl., Octavis privilegiatis et in festis solemnioribus, 508.

Officium Tenebrarum tantum *permittitur* in cappellis publicis puta *hospitalium* in Triduo Mai. Hebd. *iuxta normam parvi Ritualis Bened. XIII*, 53.

Officium votivum, ubi off. vot. de Imm. Conc. fit sub ritu dupl. in diebus Sabbati, *missam privatam de requie celebrare licet,* 8 — privatim recitans off. vot. *feriis Quadrag.*, *Quatuor Temporum*, *aut Vigiliarum* missam de feria in *colore violaceo* celebrare potest *et nulla commem. facienda est* de off. vot., *ibid.* — animadversio super praedictum decr. contra Ephemerid. gallicam *Le Canoniste Contemporain*, 236.

Officia Passionis, in Quadrag. *transferri nequeunt post Pascha,* ideoque censura dignum putatur Breviarium off. *Lanceae et Clavorum* iuxta ritum pasch., 725.

Oleum Infirmorum, vide *Extrema Unctio.*

Orationes, de orationibus in missis votivis vide *Missa Votiva.*

Ordinatio Sacra, de quadam praxi usque adhuc servata in ordinatione clericorum Seminarii Haitiani intra *limites dioec. Nannetensis* ut in casu decr. S. Congr. Conc., 635.

Organum, de *organorum sonitu* in functionibus liturgicis casus, 30 — quandonam *invecta* sint organa, 81 — quibus de causis, 95 — obiectiones explanantur desumptae ex eo *quod organa instrumenta profana sunt* et a caelestibus mentes et corda avertunt, 86 — *quomodo* pulsanda organa, 87 — quibus temporibus, 89 — quid dicendum ad organorum sonitu ut in casu, 90 — organum pulsari nequit dum cantantur *Lamentationes*, *Responsoria* et Ps. *Miserere*, nec non ad reliquas liturgicas partes in Fer. 4. 5. 6. Mai. Hebdom., in *versiculis coram Sacram.* tolerari potest, attenta aliqua consuetudine, 587.

Ostensorium, Presbyter a Diacono ostens. recipere debet ad Benedictionem *non genuflexus*, 697.

P

Paramenta, non est decretis contrarium insuere interius paramentis *telam ex lino licet diversi coloris*, 161 — de *novo quodam textili* ex *serico et moro* commixto pro paramentorum materia, 516 — suffragium cl. *Ioseph Antonelli* Scientiarum Naturalium professoris, 517 — decr. S. R. C. in Ceneten. quo *approbatur posse adhiberi* dummodo textum de quo agitur *non immutetur*, 521 — vide *Benedictio Planetarum*, *Color*.

Passio, in cantu Evang. Passionis *tres legivi et totidem libri* adhiberi possunt, 587 — Cantores non possunt *faciem convertere* ad Sacerdotem, *ibid.* — neque admitti potest quod unus cantorum sit *in ambone* et alii duo in *separato quoque altari*, *ibid.* — cum Celebrans est unus cantorum, se collocare debet *a cornu Evangelii*, non a cornu Epistolae, *ibid.*

Patena, in Euch. ministranda Sacerdos *uti nequit patena cum manico* ab ipso Sacerdote cum pyxide tenda, 213 — in communionis distributione patena adhibetur in *missis Dignitatum* dum *communio generalis agitur*, 703.

Patrocinium, B. M. V. Patroc. Dominicae III Nov. affixum *sine speciali indulto* quoties impeditur *transferri nequit*, idcirco omittitur, 11.

Patronus, in celebrandis festis particularium Patronorum *dioecesium Hispaniae* post decr. sub die 2.ª Maii 1867 in *Majoricen.* servandus est ritus sicut prius, 14 — Monachi officium Oeconomi Curati gerentes *extra conventum degentes*, tenentur ad officium Patroni Monasterii *eodem ritu ac in Monasterio* celebrandum, 506.

Planeta, vide *Benedictio Planetarum.*

Praecedentia, in processionibus Tertiarii S. Dominici, *dummodo gaudeant privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter proprio habitu incedant*, iure praecedentiae gaudent supra quascumque Confraternitates, 198.

Preces, a SSño D. N. Leone XIII. post missam privatam praescriptae *omitti nunquam possunt*, sed illis adiici queunt aliae *preces consuetudinariae* pro anim. Purg. ut in casu, 453 — de ordine quarumdam precum in functione *pro postulanda serenitate*, 199 — in die Commem. Omnium Defunct. ubi tres missae ex privil. recitantur, *post ultimam tantum missam* dicendae sunt, 693.

Praelati, de Praelatorum qui *domestici* vocantur privilegiis, 357 — de Praelatis *Episcopis inferioribus eorumque insignibus* dissertatio, 410 — Praelatus hic intelligitur *qui inferior Episcopo dignitate*, aliis tamen presbyteris in *servitium Pontificis excellit*, 411 — *enumerantur* primi Praelati, *ibid.* — de praeminentiis et insignibus *Vice-Camerarii*, 412 — de insignibus *Auditoris Camerae Apostolicae*, *Praefectus aerarii* et *cubiculo Praepositi*, *ibid.* — de *Protonotariorum Apostolic.* insignibus et primo de *participantibus*, 413 — de insignibus Protonot. ad *instar participantium*, 414 — de *Praelatis palatinis*, 417 — de *Cubiculariis secretis participantibus* et de *Praelatis Auditoribus*, *ibid.* — de insignibus *Praelati domestici*, 418 — de insignibus *Protonotariorum titularium* seu ad honorem, 419 — de caeteris Praelatis, 420.

Presbyter Assistens, de duabus Instructionibus circa *presbyterum assistentem in missa solemni* haud *pontificali*, 35 — quaestionis status, 36 — cuium principium sit alii praeferendum, 37 — aliud principium non est spernendum, *ibid.* — Ephemeridibus instructio A *magis arridet quam instructio B.*, 38 — sustineri nequit iuxta instructionem B, Assistenti cum superpelliceo *exeundum esse e Sacrario*, et dum thurificatur altare *pluviale induendum*, clerico adiuvante, 39 — Assistens procedat ad scamnum cum ministris, sed post Celebrantem, *sedeatque a dextris illius*, contra quod docetur instructione B, 40 — neque sustineri potest iuxta instructionem B, Presbytero assistenti *thus adolendum esse post Diaconum* ab ipso thuriferario, 41 — S. R. C. per verba

assistat tantum ad librum noluit interdicere Presb. ass. alios actus liturgicos, quos ab eodem iuxta Rubricas peragi necessum est, 41 — quomodo vi decretorum gerere se debeat Presbyter assistens *simplici Sacerdoti solemniter celebranti,* 42 — animadversio super una ex Rubr. Missalis citata in Decr. in Vicentina, 43 — consectaria, 44.

Prima, in choro per se *hora undecima* dici potest, 569.

Processiones, *nullo anno tempore* per se prohibentur, 300.

Professio Religiosa, vota religiosa vel solemnes consecrationes *fieri possunt SS. Sacram. exposito*, 100 — non licet renovationem votorum accipere a singulis sororibus *antequam singulae recipiant SS. Eucharistiam*, 101 — convenientius extra missam, et tantum in missa tolerari potest, quatenus renovationis votorum formula *elata voce pronuncietur ab una ex Monialibus*, 102.

Prophetiae, legentes prophetias in Sabb. Sancto *illas abrumpere nequeunt* quando Celebrans *lectionem terminat*, 429.

Psalmi, pro intonatione Psalmorum vide *Matutinum Tenebrarum* — vide *Cantus Missae.*

Pyxis, vide *Benedictio cum pyxide.*

R

Regulares, postulatum *circa novitios aut professos* votorum simplicium, compendium facti, 119 — disceptatio synoptica, 120 — dubia et decretum S. Congr. Episcoporum et Regul., 123 — Regulares *tenentur ad officium Patroni dioeceseos*, si locus Patronum principalem non habeat, 162.

Reliquiae, de *ritu exponendi* Sanctorum Reliquias casus, 26 — Sanctorum Rel. ab ipsis Eccl. incunabulis *magno semper in honore habitae sunt* et exponebantur fidelium venerationi, 28 — idem probatur *quoad Eccl. Graecam*, 29 — *quomodo* et *quibus ornatibus* venerationi proponebantur, *ibid.* — disciplina Eccl. Latinae in hac

expositione *rigidior et severior erat*, 31 — Reliquiae non sunt collocandae super Altare, *in quo reipsa Sacramentum expositum est publicae venerationi*, decr. S. R. C. et commentum, 31 — nunquam *sub baldachino* exponendae sunt, 32 — S. R. C. praecipit ut *duo lumina ardeant ante Reliquias*, 33 — haud male agunt qui Reliquias in altari *ad ornatum collocant*, ubi Sacramentum exponendum est, 34 — de *simplici* et *duplici ductu*, quo Reliquiae thurificantur, *ibid.* — Reliquiarum officium, ubi *ritu duplici celebratur die 26.ª Nov.*, cedere debet officio *S. Silvestri Abb.* et ad aliam diem liberam amandandum est, 13 — de Sanctorum Reliquiis in *solemni Sacramenti expositione*, 74 — quid sit, quidque peculiariter servandum, si fiat Expositio sub *forma quadraginta horarum*, 75.

Responsorium, vide *Cantus missae*

Rituale Romanum, adhibendum semper est in sacris functionibus *etiam ubi habetur Rituale dioecesanum*, 9 — in benedictionibus optime relinquitur Rituale particulare *ut adhibeatur Romanum*, 310 — utrum Eccl. universalis *novas caeremonias* et *obligatoria praecepta* circa eas imponere possit, 172 — quid dicendum de ritibus christianis *cum ethnicis communibus*, 174 — an condito novo Testamento, *cæremoniae veteris Testamenti ita sublatae sint*, ut earum usus interdicatur, 177.

Ritus, Sacerdotes ritus Ambrosiani celebrare possunt in *cappellis minoribus Eccl. ritus romani* iuxta Ambrosiani calendarii praescriptum, dummodo *solemnioribus diebus* se conforment Calendario Eccl., in qua sacrum faciunt, decr. S. R. C., 644 — animadversio super praedictum decretum, 645.

Rogationes, de *missa et litaniis* in fer. IV Rogat. casus. 216 — Rogationes *a rogando* ita dictae sunt et ex *quibus precibus* constent, 217 — Litaniae aliae *maiores* aliae *minores*, ratio distinctionis, *ibid.* — Litaniae minores *S. Mamertum* institutorem habent, 218 — *incertus est institutor* Litan. maiorum, 219 — e *Gallia harum precum*

speciem in Italiam invectam fuisse tenendum est, 220 — quo tempore invaluit *usus homiliae* in his processionibus, 221 — in initio *non invocabantur Sanctorum nomina*, *ibid.* — causa prima huius institutionis est *aversio malorum omnium* etc., *ibid.* — quid Rubricae ac decreta statuant *circa tempus missae Rog.* sive cum cantu sive non, 222 — quid circa *orationes et Evang.* dicendum in fine, 223 — iudicium fertur de singulis ut in casu, 224.

S

Sacerdotes, Litterae S. C. Conc. ad Episcopos et Ordinarios Italiae ed Americae decernentes *normas ab Episc. tenendas* in litteras discessoriales concedendo *Sacerdotibus in Americam migrantibus*, 243.

Semiduplicia, in simplicem ritum redacta *si in dupl. 2 cl. occurrant.* commemoratione gaudent tam in primis quam in secundis Vesp., 169 — de tertia commem. semid. simplificati in *1.ᵉ Vesp. festi dupl. 2.ᵃᵉ cl.*, 624 — vide *Duplex*, *Commemorationes.*

Sequentia, vide *Cantus Missae.*

Solemnitas, externa festorum solemnitas non transfertur, sed *tantum ritus Officii et Missae*, 163,

Signum crucis, de *crucis signo* in missa et officio, 295 — de signo crucis ad *Requiem aeternam* in absolutione, 633.

Statuae Sanctorum, de Statuarum, quae super altare exponuntur, *materia*, 630.

Stipendia Missarum, de prohibito circa missarum stipendia *mercimonio*, 509.

Stola, Diaconus vasa rem sacram continentia *tribus casibus in Caeremoniali exceptis* sine stola ministrare potest, 366 — vide *Color*, *Ministri.*

Subdiaconus, antequam a Diacono osculum pacis accipiat *nullam genuflexionem facere debet,* accepta pace in *infimo gradu genuflectit*, 63.

Suffragia Sanctorum, vide *Commemoratio.*

Superpelliceum, de quadam *localis superpellicei* forma, 428, 562.
Symbolum, de Symbolo dicendo aut non *ratione concursus*, 309.
— vide *Credo*.

T

Tantum ergo, non est genuflectendum cum dicitur *Tantum ergo* in hymno *Pange lingua* si non sit expositum Sacramentum, 203.
Tertiarii, Decretum prohibens fidelibus cooptatis uni Ordini ne *cooptentur alii vim retroactivam habet*, idcirco fideles pluribus ordinibus adscripti nunc *libertate gaudent unum eligendi prae altero* ex tertiis ordinibus, quibus iam sese mancipaverant, decr. S. C. Indulg., 634.
Tertius Ordo, dubia varia proposita circa *Tertium Ordinem S. Francisci Assis.* S. Congregationi Indulg., eiusque *responsa*, 314.
Thurificatio, de modo thus adolendi choralibus *Sacris Ordinibus inter se distinctis*, 699 — vide *Hermae Sanctorum*.
Titularis Ecclesiae, Titularis *oratorii publici haud consecrati* recoli non potest festo liturgico, 428 — de *nova denominatione* Titul. Eccl. casus, 649 — templis Christiadum Deo dicatis convenienter *nomen aliud imponitur* ratione distinctionis, 650 — quid antiquitus intelligebatur per verba *Patronus et Titulus* et quid in *praesenti*, in nota, 650 — Tituli definitio *etimologica*, 651 — vulgus facile *Eccl. Titulus cum ipsa Eccl. confundit*, in nota, 652 — primis Eccl. saeculis iis in locis construebantur, ubi Sancti *Sanguinem pro Christo fundebant*, 653 — nomen Tituli *in ipsa consecratione* imponebatur, 654 — Titulus *immutari nequit* sine nova Dedicatione aut benedictione, 656 — Presbyteri a divo Salesio dicti *festum antiquius*, ut in casu, recolere debent *non obstante consuetudine*, 658 — quid censendum de Episcopo ut in casu, 660 — quid, si tota facti series perpendatur, *ibid.* — In oratorio priv. Seminarii Ra-

cholensis, in oratione *A Cunctis* exprimendum est nomen Sancti Titul. Eccl. eiusdem Seminarii, 588.

Tractus, vide *Cantus Missae.*

Transitus, B. M. V., tolerari possunt quidam usus in aliquibus Goanae Archidioec. Ecclesiis *transitum B. M V.* recolentibus, 588.

Trisagion, quid et de ejus *origine*, 641 — *antiquissimi instituti est* cantus eius in missa, 642 — ex Decr. Conc. Vasensi II *in omnibus missis* dici debet, *ibid.* — Chori *inclinatio* ad cantum Trisagion, *ibid.* — *nonnullis rythmis* a quibusdam monachis interpolabatur, 643 — vide *Benedictus.*

Tumulus, tolerari potest usus contegendi *ramis et floribus* tumulos, qui eriguntur *occasione funeralium*, 588.

V

Velum, in benedictione cum pyxide, pyxis *velo humerali* cooperienda est, 964.

Versus, vide *Absolutio.*

Vesperae, in concurr. Vesp. semidupl. cum Dominica Passionis, a *capitulo tantum fit de Dominica* cum commem. praecedentis, 169 — vide *Concurrentia*, *Legile*, *Commemorationes.*

Via Crucis, de stola *deferenda necne* a ministro in hoc pio exercitio, 21.

Viaticum, si viaticum ab Episcopo ministretur ex necessitate, post illud *trina benedictio infirmo et populo* danda est, 693.

Vigilia. unde hoc nomen, 46 — quid vigilia in *praesenti disciplina*, 47 — *vigiliae septemdecim* hodie celebrantur iuxta Rom. Ritum, *ibid.* — vigiliarum divisio in *maiores et minores*, 48 — quid intelligatur per verbum *per annum* in Rubr. Vig. Brev. Rom. et quid per ea, *quae ieiunantur*, 49 — non fit de Vig. officium, si *festum occurrat novem lectionum vel octava*, tunc enim in officio legitur nona lectio de Hom. Vig., 51 — et

fit de ea commem. *ad laudes* tantum cum antiph. ad *Benedictus* et *versiculis* feriae occurrentis de *Psalterio* et oratione de *Vigil.*, praeterquam in festis maioribus, quae inferius excipiuntur, 52 — si Vigilia occurrat in Dominica de *ea fit officium in Sabbato*, nisi sit impeditum officio novem lectionum, 129 — excipiuntur ab hac regula *Vigiliae Nativ.* et *Epiph. Dñi*, quae si venerint in Dominica fit de illis, 130 — si autem in Vig. occurrat festum solemne alicuius loci vel ex solemnioribus infra annum, *nihil fit de Vig.*, 131 — excepta Vig. de *Epiph. Dñi*, 135 — idem servetur quando *Vig. venerit in Adv. Quadrag.*, nulla enim in his feriis de Vig. fit commem., *ibid.* — officium Vig. *incipit ad Matut.* et *terminatur ad Nonam*, 260 — officium Vig. *totum fit de fer.* occurrente et tres lectiones leguntur de *Hom. in Evang. Vig.* cum tribus *Responsoriis* de feria occurr., 261 — dicuntur *preces fer.* et *Commemorationes communes*, 262 — excipiuntur ab hoc ordinario Vigiliarum, *Vig. Pentecostes*, quae cum tribus nocturnis *sub ritu semid.* celebratur et *Vig. Nativ. Dñi*, 263 — in Vig. *Epiph.* et *Ascens.* fit officium ut in propriis locis, *ibid.* — in *Vig. Omnium Sanctorum*, quando fit de semid., sicuti *prima Oratio de festo esse debet,* altera de Vigilia, ita tertia debet esse *A cunctis* et non de *Spiritu Sancto*, 63.

Visitatio B. M. V. praefertur festo *Christi Sanguinis*, tam in occurrentia quam in concurrentia, 726.

Vultus D. N. I. C., approbatur cultus, *qui Veronae tribuitur SS. Vultui*, prout exponitur, decr. S. C. S. O., 313.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1893.